




6
12
1
1





LUMEN TOT SIDERA AB UNO

NIHIL MORTALE SONAT

IOANNIS BARCLAII ARGENIDIS CON...

MDCXXVII.

CASTI AMORIS

DELICIAE

FRANCOFURTI,
Apud Fratres Aubrios
et Clementem Schleich.



INTEGERRIMIS, PRÆSTANTISSIMIS, DEQVE RE LITTERARIA

OPTIME MERITIS VIRIS, DANIELI & DAVIDI AVBRIIS, fratribus germanis, & CLEMENTI SCHLEICHIO, Hæredibus WECHELIANIS, ciuibus & Bibliopolis apud Rempublicam Francofurtenſem celeberrimis, DDD. amicis, fautoribuſque meis obſeruandis Salutem Dico

Iohannes Ludouicus Gotofredus.



SCRIBENTEM IVVAT IPSE FAVOR MINVITQVE LABOREM, ait poeta. Nouit hoc, puto, expertusque eſt, qui JOHANNIS BARCLAII,

ſummi & eloquentiſſimi viri, ARGENIDEM auſus eſt continuare, Gallica quidem lingua, ſed ad admirationem ſuaui. Auſus, dixi: nec iniuriâ. Quid enim aliud, quam Apellis affectam Venerem? ſi modo Argenis illa Barclaiana non ipſa Venus eſt. Emiſit is ſuperiori anno SECVNDAM ARGENIDIS PARTEM, quo ſucceſſu, quo applauſu, quęritis? Totius Galliæ. Galliæ? Vt de cæteris regnis taceam, etiam noſtræ Germaniæ. Vultis ſponſores dem? vos ipſos dabo Viri integerrimi: quibus SECVNDAM illam Argenidis Partem, velut bonæ fidei poſſeſſoribus, à me in Latinum ſermonem conuerſam inſcripſi, gnarus, in officina veſtra caſtis emtoribus proſtare Argenidem Barclaianam. Gallis autem hunc Mouchembergii laborem gratum fuiſſe hoc arguit, quod tam celeriter poſt ſecundum librum, tertium quoque in lucem emiſit, velut ſuperfætatione quadam. Si enim prior proles diſplicuiſſet emun-

emunctioribus;cur tanto ſtudio deproperaret effundere alteram? Et fruitur ille quidem haud dubie laborum ſuorum præmio,diligentiæque ac elegantiæ fructibus perpetim duraturis: nobis tamen Germanis non inuidebit, opinor, eam, quam ex lucubrationibus eius percipimus honeſtam delectationem. Profitetur enim ſe Galliç quidem ciuem;ſed adſcriptum, ſed inquilinum: cæterum origine parentibuſque Germanum.

Illius pars tertia Argenidis Continuatæ,cum nuper à Pariſienſibus Bibliopolis mihi oſtenſa fuiſſet,non conquieui donec eam mei iuris facerem, ac pari cum ſuperiore ratione loqui Latine docerem. Iſtud mirari ſubiit,quæ hominem ratio perpulerit,vt multa quæ in ſuperiori volumine perſcripſerat, huc repeteret,niſi forte δὶς καὶ τρὶς τὰ καλά. Mihi firmum fixumque animo ſtetit, Auctoris veſtigiis religioſe inſiſtere, nec in fidi interpretis officium ac leges impingere,

 cum

cum *improbe faciat, qui in alieno libro ingeniosus est*: in quo quidem eo minus mihi ipsi indulsi, quod non Illustribus solum dedicatus esset personis, sed & amplissimo à potentissimo rege munitus priuilegio.

Hanc autem versionem laboremque meum cui offerrem, ne quęrendum quidem mihi fuit. Nam primum, si ad alium iuissem: vestrum erat ius, vestra intercessio, vestræ vindiciæ. Poteratis alienæ sobolis possessori non iniuria Plautinum illud obiicere:

Tune hic Feles Virginalis liberos parentibus sublectos habebis?

Neque vero mea in vos obseruantia, affectus, studium, mos, permittebat, aliud optare labori meo patrocinium, quam eorum, quorum in me tot singularis beneuolentiæ exstabant documenta.

Accipite igitur, Viri optimi, vos Fratres Aubrii, Tuque Clemens Schleichi, corcula litterarum, ocelli studiorum, animulæ Musarum, quibus soli prope

cruento

cruento & ferreo hoc ſeculo vitam ac ſpiritum ſuppeditatis, TERTIAM hanc ARGENIDIS LATINÆ partem, eadem facie ac dextera qua ſecundam, & ab eadem dextera. Quęret hæc vel ſponte lubensque ſorores ſuas in veſtris alueis pluteisque, quibus tot nominib. deuincta & coniuncta eſt, vt eas domicilio diuellere nefas fuerit. Quod ſi vobis nec Labor meus, nec ſtudium diſplicuerit: ne de Lectorum quidem fauore (vt occeperam dicere) dubitabo: ſed & nec de felici venditione. Ita voueo mente, voce, manu, Offenbachii ad Mœnum, Kalendis Januariis AN. C. M. DC. XXVII.

AD EOSDEM VIROS PRÆST.

EPIGRAMMA EIVSDEM.

Argenis loquitur.

ILla nouercali Fortunæ pressa furore
ARGENIS, instabilis turbo iocusque Deæ:
Innumeris iactata modis, extorris, egena,
Exagitata fretis, exagitata Solo:
Vincula Barbarici non mitia passa Tyranni,
Præda latrocinijs, obijcienda feris:
Vos adeò supplex AVBRII, par nobile fratrum,
Et SCHLEICHI, Clarii lumina trina Chori.
Gallica sum fateor, sed Celtica dicta sonantem,
GOTFRIDVS docuit verba Latina loqui.
Bibliopolarum multas miseranda Tabernas
Pulsaui, à nulla verò recepta fui.
Tempora causantur, tantum arma valere, iacere
Castaliasq; Deas, cumque Helicone Libros.
At vos me geminis sociate sororibus, vt sim
Tertia: Sic vestrum nomen ad astra feram.

ARGE-



ARGENIDIS CONTINVATÆ PARS TERTIA,

LIBRI I. CAPVT PRIMVM

PERIOCHE.





Fectli tadio tam diuturnæ in Ægypto commorationis, captique amore patriæ Argenis & Aneorestus, reuerti in Galliam cupiunt. His iter marinum insistentibus occurrit cum triremi Gobrias, frustra vndique perquisito Poliarcho. Galactio Argenidi & Aneroesto miros suos casus, variasque vicissitudines, quas expertus fuerat, exponit.

QVod de Heliotropio herba narrant, eam huius esse naturæ ingeniique, vt miro affectu in Solis contuitum feratur, vt faciem suam assidue illi obuertat, huiusque astri ita sequatur cursum, vt non al ò quam eò se flectat, vbi Sol vel oritur vel occidit: Sic nescia erat quietis virgo: & quamuis indefessa colendi Numinis assiduitas & religionis cura nequaquam superficiaria ægri-

ægritudines eius dissipare, inque hanc solam rem animum conuertere poterant; tantus tamen erat amor eius in Poliarchum, vt spiritus ac cogitationes eius semper versarentur extra Africam. Cuius adolescentis desiderium tunc maxime creuerat, cum intellexisset ipsa ex Archocedone, & viuere illum, & sanitati restitutum in Iberiam nauigasse, vt inde iter in Galliam maturaret, Auditis his tanto delibuta est gaudio puella, vt eo die se demum natam arbitraretur, ita natiuus purpureusque color genis rediit, & conquieuit nonnihil impatiens moræ animus, cum spem offerri sibi videret, potiundi aliquando tam chari capitis,

At nouum Ægypti regem longe alia res sollicitum habuit, quæ & in stuporem eius rapuit animum, cum sciscitaretur ex eo Auunculus eius: amauisset ne aliquan- Argenidem aliquam in Sicilia Insula, tunc cum ad Delphicum oraculum profectus fuisset? tunc enim intellexit, Argenidem illam, quam toties viderat, qua cum plus centies collocutus fuerat in Ægypto, eandem illam esse, quam in Sicilia deperiuerat, nempe Regis Siculi filiam. Nec diuersam aliamque ab hac ipsa esse eam, quam sub Veneris appellatione adorauerat in Columbina Insula, quamque ipse tacitus numinis cuiusdam vice in suo colebat ac venerabatur pectore. Non potuit talia cogitans Rex iuuenis, quin inuideret Poliarcho tam incomparabilis thesauri possessionem, indignabaturque ac succensebat fortunæ suæ, quod non iunxisset se auunculo, cum repetiisset insulas suas, vt videre ac colloqui potuisset cum eo, quem fratris loco colebat atque diligebat: gnarus, tam raræ pudicitiæ & venustatis virginem non mancipaturam fuisse seipsam Poliarcho, nisi & genus, & virtutes, omniaque summa in eo conspexisset, quæ cum cogitabat, non valde decipiebatur iudicio.

His cogitationibus cum pauculi dies consumpti fuissent,

ſent, Argenis, obſeruata temporis opportunitate, capta inſuper ingenti viſendi Poliarchi cupiditate cum Aneroëſto littus petiit, vbi cum triſte & longum vale vtrinque dictum fuiſſet, conſcenderunt hi duo triremem, & impellente carbaſa ſecundo Euronoto, magna celeritate, relicta poſt ſe Africa altum mare tenuerunt. Etiam vela verſus Galliam proraſque conuerterant, cum Aneroeſto dubium obortum eſt, ſatiuſne foret, Siciliam Inſulam curſu præterire, an vero ibi appellere, ad reficiendas & commeatu complendas naues, inſtruendamque nouam claſſem, vt maiore ſplendore & magnificentia Poliarchi regnum ingrederetur. Accedebat, quod hac ratione exiſtimabat, ſe inſtructa claſſe illi laturum ſuppetias, ſi opus foret: aut in aliquo portu eum præſtolaturum, ſi in Galliam nondum appuliſſet. His Aneroeſti cogitationibus vna obſtitit Argenis, quæ conceptis verbis negauit, ſe pedem in ſicco poſituram, antequam appuliſſet triremem ad littus Gallicanum quo fatis vrgentibus proficiſci iubebatur. Tantum autem valuit hoc virginis propoſitum, vt præteriens Sardiniam Inſulam cuius ad fratrem Archombrotum pertinebat imperium, nollet appellere: exiſtimans omne ſibi perire tempus, quod non in perueſtigando Poliarcho ſuo impenderet.

Peruicit regina, obtinuitque vt plenis velis remiſque impellerent naues, omiſſa Sardinia, recta Gallicanum littus petituri. Ibi conſpicantur aduerſum ſe venientem peregrinam triremem, quæ eandem videbatnr tenere viam, quanquanquam curſu contrario. Trierarches Ægyptius nihil cunctatus ad eam acceſſit: at præfectus nauigii alterius, conſpicatus in triremi Africana Argenidem, è veſtigio eam agnouit. Erat autem hic Gobrias ille, qui ante id tempus tam diuturnas in Sicilia moras traxerat, plenus ſpe, fore vt eo aliquando appelleret Poliarchus.

liarchus. Cum ergo vidiſſet virginem raptus in admirationem continuo eam Reginam Galliæ ſalutauit. At Argenis, omiſſis cæteris quæ dicebantur, ſtatim de Poliarcho mentionem iniecit, & vbinam is eſſet gentium, percunctata eſt. Hæſit Gobrias, cum non haberet quod reſponderet, ſtetitque attonito ſimilis, donec prior Argenis vltro narraret, quot modis iactata fuiſſet ipſa: quibus ſubiunxit, didiciſſe ſe ex epiſtola quadam, quam Poliarchus ad principem quendam Ægyptium miſiſſet, (vtque eius rei fidem faceret, prolatam è ſinu oſtendebat epiſtolam) conſtituiſſe eum periculoſa plane ratione, in Iberiam proficiſci, vt per eam prouinciam in Galliam rediret: nec ſe dubitare quicquam, quin iamdudum eo appulerit.

At Gobrias ſuam orſus & ipſe narrationem, ſui itineris rationem explicuit, quod nulla alia de cauſa ſuſceperat, quam perquirendi Poliarchi gratia. Sicilia igitur digreſſum nauigaſſe ſe in Mauritaniæ regnum, fruſtra quidem; nec enim ibi reperiſſe quem quæſiuerat. Archombrotum autem inde profectum fuiſſe ea ipſa die, qua ipſe aduenisset, inſtructam ſecum trahentem claſſem, vt laboranti forte alicubi terrarum gentiumque ſuppetias ferret Poliarcho, cuius quidem mater, Maurorum regina, conceptis verbis iurauerit, nec facultatibus nec vitæ ſe parſuram, donec reſtituiſſet illum, cui regnum vitamque ſuam acceptam ferre deberet. Lætata eſt non parum Argenis, audita hac Reginæ promptitudine, & quod de profectione Archombroti fratris acceperat, quem paulo poſt ſe viſuram ſperabat. Intellecto autem Galactionem nauigare cum Gobria, multo magis gauiſa, vocari eum ad ſe continuo iubet, præſentemque ambabus complexa vlnis, etiam oſculum homini tulit. Erat autem huius viri adſpectus ominis inſtar virgini, fore vt nō multis diebus poſt ipſum

Poliar-

Poliarchum ad eum amplecteretur modum, quo iam tenebat virum amicorum sponsi sui fidelissimum. Sic olim ratiocinantur homines, haud longè post ipsum Solem collustraturum radiis Solis terras, cum vident Luciferum, vestitum purpureo Auroræ amictu, sese paulatim attollere supra nostrum Horizontem. Hos igitur viros, Galactionem dico atque Gobriam, cum satis splendido pro præsenti apparatu accepisset Argenis conuiuio, institit vrgere Galactionem, vt promeret ex instructo memoriæ suæ penu, quid ipsi in tam longo & periculoso obuenisset itinere: quibus bonis auibus ductus in Gobriam eiusque triremem incidisset: hæc inquam admodum solicitè percunctabatur.

Nec passus est se rogari operosius Galactio, sed vt satisfaceret Principi suæ, simulque nauseam & nauigationis tædium narratione aliquo pacto abstergeret, orsus est ab itinere suo Siciliensi. Hanc insulam se cum Gelanore deseruisse, inque Galliam rediisse, fortuna parum quidem propitia, inprimis autem Gelanori, qui, cum exemisset Elisam Regiam puellam è custodia, in qua iussu Ambiodorigis captiua asseruata fuerat, ipse mutato cum virgine vitæ genere, captus vinctusque fuisset. Se cum aliis nauigantem, in Piratas incidisse, quibus beneficio noctis euitatis, necessitas illis imposita fuerit, vicinas insulas Baleares petendi. Ibi eos omnes à mortis periculo haud sane longe abfuisse, in quod eos coniecerit perfidia Regis Tunetani, qui cum simularet, permittere se illis nauigium quo in patriam redirent, mandauerit tamen, vt in Numidiam deducerentur, & Elisa in Regia primariæ vrbis custodiretur, donec ipse aduenisset, ducturus eam vel nolentem vxorem. Ibi filium Regis amore Elisæ captum, cum ea se potiri non posse videret, quod maxima cum cura à statione vigilum custodiretur; vsum opera Magi cuiusdam, cuius beneficio miris

ratio-

rationibus aditum sibi ad virginem pepererit. Quadam die, cum ipsi præ mœrore animi in lectulo decumbenti propinquus assideret iuuenis, præter expectationem superuenientem patrem Regem, adeo exarsisse iracundia, vt exiens è possessione mentis, trepidantem ac fuga sibi consulere cupientem adolescentem pugione intra corpus adacto trucidauerit. Hoc tam inaudito facinore magnopere perturbatam fuisse vniuersam aulam Numidicam, se vero etiam toto pectore perculsum, qui & ipse virginis causa tunc mancipatus fuerit carceri, quod accusaretur Elisa, prostituisse suam Regali filio pudicitiam. Accidisse autem per id tempus, vt rex quidam iuuenis cum bona classis suę parte violentia ventorum eodem appulsus fuerit, cuius quidem iam sibi non succurreret nomen, eo quod ii à quibus custoditus fuerit, noluerint in id inquirere, laborem rati superuacaneum, nec sibi licuisse postea sciscitari istud, abducto in alium carcerem, haud longe à speluncis, in quibus degunt Brachmani, ad pedem ac radices præalti montis Atlantis. Paucis diebus post, inquit, contigit mihi videre & experiri admirandas fortunæ meæ vicissitudines, quæ fere omnes ingentia post se trahebant damna vel pericula. Cum igitur, vt supra dixi, raperer ad eum locum, in quo ipsa pietas probitasque stabulari credebatur: inuadit nos prædatoria è Troglodytica regione manus. Diffluentibus autem comitibus nostris, quibus animus erat in pedibus, vt in vicinum sese abderent nemus, ego solus substiti, non quod ita vellem, sed quod aliter non possem, cohibitus à fuga pondere vinculorum, quibus innexus & oneratus eram. Quærebant ex me Latrones, quis essem? quid designassem flagitii, quod ad hunc modum onustus catenis incederē: nec n. nisi grauib. de causis ad hunc tristem locum me deduci. Respondi simpliciter,

quie-

quicquid verborum ipſa rei veritas mihi ſuggerebat, quod ſperarem demens, victurum me ſaxea eorum pectora narrationis meæ veritate & ſimplicitate. Sed id fruſtra erat; non enim aliam eorum in me experiebar miſericordiam, quam vt me venderent truculentiſſimis hominum Piratis, quod poſtero die ſine mora executi ſunt, tradito me latronibus in neruum.

Quid ego tibi iam narrem miſerias calamitateſque meas quas pertuli? Quid primum quid poſtremum perſequar? nauigaui cum illa latronum manu mare Mediterraneum, perque fretum Gaditanum peruaſi in ipſum Oceanum Atlanticum: quantum autem viderim flagitiorum, quantum ſcelerum, donec in illa triremi catenis vinctus ad remum applicatus fui, iam commemorare animus non eſt: & ſane vereor, vt ſine horrore percenſere queam (aiebat) etſi vel maxime velim. Ne tamen tuum ô virgo Regia, videar poſthabere velle imperium, morem geram audire infortunia mea volenti: vt ſimul inde vtilitatis aliquid percipiant, quibus iiſdem ſe exponere periculis libido eſt, iſtud ſaltem mihi dari temporis velim, donec pranſi fuerimus. Iam enim aderant dapiferi, qui virginem de capiendo prandio monebant, & ſtructor iam miſſus adornauerat: quod facile obtinuit Galactio, adhibitus ab regia puella menſæ.

CAPVT SECVNDVM.

PERIOCHE.

LAmiarum vrbs ſcelerum ac flagitiorum omnium officina. Aulicorum mores, qui principum abutuntur fauore, pinguntur. Galactio captiuus.

GAlactionem perſequi, quam orſus fuerat, narrationem, omnes diſcupiebant, ecquiſnã fuiſſet finis captiuita-

ptiuitatis eius. Nec iam patienter ferebant moram; sed vbi

Conticuere omnes intentique ora tenebant

Tum Galactio Argenidis imperium haudquaquam contemnendum ratus:

infandum Regina iubes renouare dolorem,

inquit, dum illam tam odiosam me cramben recoquere mandas, & denuo ob oculos mihi ponere, terrores illos atque cruciatus, quos omni studio hactenus & à memoria mea, & ab imaginatione propellere conatus sum. Sic igitur accipe. Cum in Piratarum potestate constitutus eorumque ludibriis expositus essem, ligatum me deuinctumque catenis paruæ nauiculæ actuariæ imposuerunt, quam inualescens ventus continuo abreptam è conspectu cæterorum abstulit. Ibi ego cum aliter non possem, valedixi libertati meæ, non alio me vsurum quam miserabili, in quo versabar vitæ genere existimans. Nihil enim quicquam liberum habebam præter linguam, qua sine intermissione supremum Numen de auxilio implorabam, & minabar diuinam vindictam surdis illis ad meas expostulationes latronibus Arabicis. Nullum vnquam infortunium potuit deiicere imperterritum Galactionis animum. Si qua tamen fides, id horæ omnia perdita arbitrabar, nec vnquam me

Fumum de patriis posse videre focis.

Qua enim ratione euaderem vel ferrum vel ignes, quos mihi Piratica illa manus in singula prope intentabat momenta? Tenebamus ergo cursum nostrum satis diu super fluuium, Nigrum dictum, donec is cum aquis suis nos euomuit in Oceanum Atlanticum, haud longe à promontorio Baiadoriensi, cuius vicinum collem cum ascendissemus, paruum oppidum ingrediebamur, totum inclusum hortis nemusculisque amœnissimis, quos loci dominus conseuerat delectationis ergo. Spectabant

bant autem cum horti tum ipſum oppidum ad Magum quendam generis Chaldaici, quem ante id tempus Sabæi rapuerant è patrio ſolo, vendiderantque quibuſdam negociatoribus Æthiopicis, acceptis precio loco Africanis mercibus. ſic quidem ille in hanc regionem deductus paruo tempore fama artis Cabaliſticæ magnum inter Æthiopes adeptus eſt nomen. Colebatur à ſummis, erat in exiſtimatione apud plebem, cum & habitus viri, & mores, & ſermones ac geſtus nihil vulgare præ ſe ferrent. In palatio quodam, exiguo ſane, in quod ego primum aduenıens deductus ſum, pendebat tabula picta, in qua viſebatur facies Lamiæ, nec ipſa magna, vnde illi parti Æthiopiæ, Afrorum lingua nomen. Erat autem imago puellæ perelegantis, patentibus ad alliciendos prætereuntes mamillis totoque pectore, quod erat niue candidius, ſi quos forte eo ſpectaculo ad amorem ſui inuitare poſſet. Tenebat manibus vnum de ſuis infantibus, quem videbatur crudeli cultro ſecare in partes. Exhorreſcebam ego ad tam horribile ſchema, quanquam iniquæ fortunæ aduerſitatibus obrutus, non ſatis aduertebam animum ad myſteria, quæ ſub figura illa latitabant, & quæ in illo loco exercebantur. Præterea animaduertebam ad portam virum, Satyri forma & habitu, tenentem clauem manibus, quæ ſpecioſo ei ſeruiebat prætextu, demerendum hunc eſſe obſequiis, qui vel ad ipſum Dominum vel ad præcipuos eius miniſtros admitti vellent. Audiebam illum alere intra domicilium ſuum elegantem Nympham, quarum non paucas terra illa procreat. Cumque mihi loqui inciperet, omnis eius ſermo erat de cultu atque veneratione, quæ debetur cæleſti Numini. Hæc autem tanto cum deuotionis affectu proloquebatur, vt pone aſtans puella, quæ hæc omnia percipiebat auribus, poſtremo in obſcœnum eius amorem conſentiret, vt improbus ille Sa-

tyrus, nihil reueritus Deorum, quos tot ſpecioſis verbis ore vſurpauerat, vindictam, hominumque præſentiam, illam comprehenſam manu intra ædiculam ad portam deduceret, eamque nec repugnantem virginali ſpoliaret honore. Non longe inde aberat exiguum delubrum, cuius dies noctesque ardens lucerna penſilis illuſtrabat obſcuritatem; ſeruabaturque ignis ille magna cura & religione. Ibi mirum & pudendum ſe mihi obtulit monſtrum. Nympha alia ingreſſa Oratorium hoc, proſtrato ante altare corpore, fundere preces videbatur. Hanc ingreſſus Satyrus iſte arripuit impudentiſſime, cumque nudaſſet veſte ſinus eius, alligatam arctiſſimis amplexibus, crebris conſpuebat baſiis, abreptamque in locum obſcuriorem ſubagitare incipiebat. Fruſtra: obluctabatur enim turpiſſimo hirco magna vehementia puella, cumque ſe ab eo explicare non poſſet, ſublato alto clamore vim ſe pati ſignificabat. Occurrerunt quidam è proximis, & vociferanti opportunas tulere ſuppetias. Magna autem erat huiuſmodi inceſtibus, adulteriis, ſtupris, pollutionibus non impunitas ſolum, ſed & propoſita præmia in illis partibus, adeo omnes videantur Priapi ſacris initiati, Satyrion bibiſſe.

Alibi animaduertebam homines forma draconina, queis os dentibus acutis prælongiſque horribilem in modum rigebat, quibus lacerabant miſera quædam mancipia, quæ à vicinis rapuerant populis. Blandiebantur autem lingua ſua viris quibuſdam optime de loco illo meritis, qui ad monſtra illa viſenda venerant. Cum autem hi abiiſſent, loquebantur contemptim & contumelioſe de abſentibus. Erat autem hæc apud eos conſuetudo perfrequens, vt certis quibuſdam conuenirent horis, narrarentque ibi in commune, quid quis in vnoquoque animaduertiſſet reprehenſione dignum, quotquot ab eorum alieni erant ſodalitio. Nec profecto mihi

res

res mira videbatur, quod aliis non parcerent, qui ne à se ipsis quidem mutuo carpendis sugillandisque abstinebant, cum ob frequentes detractiones, quibus alter alterius imminuebat honorem atque famam, haud rarò ad manus veniretur, nec fere nisi multo sanguine vulneribusque terminabatur calumniandi scabies.

Alia ex parte homines vulpecularum habitu spectabantur, qui inito inter se ipsos arctissimo fœdere, coniurabant, vti mutuis sese tuerentur auxiliis, aduersus cæteros omnes, quos vellent, si ita vsus foret, fallere, decipere, prodere, fortunis omnibus honoribusque euertere. Vnde eueniebat, vt si quis ex eorum numero rem quampiam appetiuisset, cæteri omnes continuo applauderent subscriberentque desideriis eius, & quanquam animis non probarent conatus hominis, verbis tamen præ se ferebant, melius nihil quicquam excogitari posse. Paulo longius ab eo loco stabat manipulus remigum voluntariorum, qui futuræ nauigationi operam suam vltro addixerant, qui vna sermocinantes, quæcunque in buccam veniebant, loquebantur. Inter alia hoc erat eorum colloquii argumentum, neminem ibi recipi posse nisi qui duabus linguis instructum os haberet; vnam, qua mentiretur impudentissime; alteram, qua fescenninos versus recitaret, obscænasque historias, quibus delectabatur Regina Cypri supra modum, & quas inter secretiores suas curas admittebat. In hoc autem genere primo loco habentur illi, qui salibus iocisque cæteros antecellunt, nec vrbani tantum hic valent, sed & scurriles, & qui eruditas ac argutas proferre potest nequitias, cæteris doctior, aptior, melior iudicatur, & ad honores euehitur.

Et his quidem ad hunc modum in obscœnitatis & nequitiæ palæstra luctantibus, alii epulis, conuiuiis, cæterisque deliriis diffluebant. Compotationum, comes-

ſationum,ebrietatis luxuriæque nullus finis. Et dum alii quidem exquiſitis cibariis ab altero orbe vſque petitis aqualiculum ſaburrant,alii vero exoticis vinis ſe ingurgitant ; tertii abiectis omnibus veſtibus, etiam interula,nudi penitus prodibant ad ſaltandum, oſtentantes ea per ſummam laſciuiam,quæ natura occultari vult, quin & præter ipſam naturam ſeſe mutuo inceſtabant, adeo omnia erant in eo loco dedita vitiis, vt quotquot videres,è flagitiis compoſitos diceres. Nihil autem mihi videbatur admiratione dignius, quam quod plerique neſcio,quam grauitatem & honeſtatem vultu, moribus ſermonibuſque præ ſe ferebant, & tamen priuatim ad nullum non ſceleris flagitiique genus prouoluerentur. Ibi ego mecum ita: hîc vero mihi larga eorum ſeges,

------qui de virtute locuti
clunem agitant------

Hærebam in his tam fœdis ſpectaculis defixus cum audio quoſdam inter ſe tricantes & murmurantes ob neſcio quas nugas,quarum tamen me fugiebant cauſæ: quanquam paulo poſt ſine difficultate cognoui omnia. Quidam enim ex eorum numero,hircinam promittens barbam,quam ſine fine pectebat, mulcebat, ornabat, prodiens vicinum conclaue ingrediebatur. Et quanquam celeriter poſt ſe retracto oſtio omnes vellet arcere ſecretorum ſuorum arbitros, excludere tamen oculorum meorum curioſitatem non potuit,qui ipſum ingredientem,quatenus licebat,ſequebantur. Deum immortalem,quæ ibi monſtra vidi! Horreſco referens,cum ſola earum rerum recordatio penitus mentem percellat meam,& iam mihi


conſtiterunt horrore comæ & vox faucibus hæret.

Extabat ibi clauus trabalis, extra murum prominens, iuſtæ longitudinis,de qua pendebat funis, quo vnus remigum è claſſiariis Principis ſibi ipſi paulo ante fauces eliſerat,

eliserat, suspendioque spontaneo perierat. Hoc ego cum attonitus contemplarer, adductum, vt dixi, cum cura ostiũ vlteriora intueri cupientẽ excludit. Auribus tamen varios eiulatus planctusq; percipiebam, vociferantium supra cadauer, ac rimantium, si quis forte venis inerraret spiritus, vnde spes vitæ superstitis affulgeret; verũ id frustra erat, & nauigabat ille iam Styga Cocytumq; amnes.

Sic cum multis verbis, quæ dolor dictabat lugentibus, acerbitatem casus deplorassent, id agebant, vt cadauer in aliquo occulto angulo, secreto contumularent, eiusque mortem omnibus modis celarent. Sed frater defuncti vindictam fraternæ necis spirabat, quam se minime neglecturum multis clamoribus & lamentis testabatur, sed vindicaturum acerbe in iis, qui miserum aspera tractatione atque minis ad spontaneum adegissent suspendium. Intelligebant omnes, iustissimas habere iuuenem querelarum causas: igitur vt ipsum aliqua ratione sedarent, promissis blanditiisque oneratum hominem exorauerunt, ne narraret patri hanc calamitatem, vtque tam atrocis facinoris delerent memoriam, finxerunt, egressum illum cum aliis ad littus maris, deflexisse in proximam syluam, vbi quid ipsi contigerit, in obscuro esse: certe eum non amplius comparuisse.

At Nauarchus noster facile iudicare poterat, clamores illos tam inconditos ad meas quoque peruenisse aures, vnde fieri posset, vt ego quoque illius rei aliquam percepissem notitiam. Propere igitur me adiens, quanquam formidine & confusione plenus, quid factum fuisset, ingenue fatebatur, addebatque, nihil noui esse apud Æthiopes, vt qui grauibus opprimantur calamitatibus, simul & miseriis suis & vitæ finem laqueo imponant. Eos autem qui talia patrent, plerunque esse homines excordes, & timidas matulas, qui non ferentes quoscunque acerbiores fortunæ insultus, formidine transuersi



uersi rapti ad funem confugiant, vtque minus malum euitent, omnium subeant longe maximum. Orare autem se quoque, vti hanc rem in occulto seruarem, perpetuoque premerem silentio, ne quisquam mortalium rescisceret, præsertim eorum, qui eodem veherentur nauigio. Præmium taciturnitatis mihi fore tractationem longe clementiorem, quam antea expertus fueram. Vtq; huius specimē aliquod ederet, evestigio iussit mihi demi ferrea vincula quibus oneratus incedebam, vt possem libere commeare, quo vellem, tantisper dum ille de me penitus liberando cum sociis consultaret.

Longe autem alium res & diuersum sortiebatur euentum, & à promissis eius, & à mea, quam conceperam, spe. Vniuersum enim sociorum collegium concordibus suffragiis libertatem mihi negabat, nec id solum, verum vt arctius custodirer, donec liqueret, quo mortis genere potissimum è vita tollendus essem. Nec enim illos fugiebat, si libertas mihi eundi redeundique daretur, quin aliquando captata occasione è manibus eorum essem euasurus. Quod cum fecissem, non dubitabant, quin toti mundo essem aperturus quæ videram flagitia, quæque illi tam sancto occultabant silentio. Nec enim ius fasque censebant, vt cuiquam mortalium innotesceret quicquam horum, quæ intra eorum agitarentur latibula & lustra.

Ergo in hanc sententiam cum frequentibus iuissent sententiis, denuo compedibus catenisque ferreis vinctus sum, cum libertatem iam auido præcepissem animo, & nihil minus quam noua sperarem vincula, lata insuper lege, ne quis mecum colloqui auderet, proposita pœna, quæ legum patriarum conculcatoribus & proditoribus reipublicæ constituta erat. Cumque ita censuissent vniuersi, dimisso senatu, deducebar in longam cryptam sub-

terraneam,

terraneam, ab cuius vtroque latere erant horribiles munitissimique ad asseruandos facinorosos carceres, in quibus omne genus scelerati homines captiui detinebantur magno numero. Quidam pastores gregum armentorumque ruri violauerant: alii dominas suas aut heriles filias de stupro appellauerant: tertii per petulantiam aut ebrietatem sese gesserant insolentius: praetereaque manticularii, saccarii & sectores Zonarii, aliique eius furfuris homines. In interiore carceris loco, latebant quidam rasis capitibus, quibus intercedere clandestina cum spiritibus infernalibus pacta grauis erat suspicio. Et sane non vnum ediderant Magicarum scientiarum specimen.

Nec deerat huic ergastulo mente captorum numerus, quorum facili momento è rectæ rationis tramite exibat & à seipso peregrinabatur animus, vt dicto citius agitarentur furoribus & intemperie, quamuis sibi pulchre constare crederentur. Erant hi firmissimis catenis compedibusque ad proximos muros alligati, quos subinde flagellabant percutiebantque, clamoribus insanis & vinculorum illisione, neque vero coerceri continerique poterant, nisi assiduis ictibus eorum percalescerent scapulæ ac latera, quæ iam occalluerant ob frequentes impactas vites ac vlmearum virgarum, quæ in dorso eorum frangebantur, quotidianum insultum.

CAPVT TERTIVM

PERIOCHE.

Homo quidam ingenii nimis viuidi & acuti in alienationem mentis incidit. Includitur ob id ergastulo furiosorum, in eodem, quo Galactio attinebatur, carcere.

Inter hos, quos irati Numinis indignatio infelici illo carceris damnauerat domicilio, dignus spectatu erat quidam miser, qui ad certos Lunæ motus miram animi sentiebat imbecillitatem & aliquando alienationem, Causa illi malo non alia quam Amor. Ea est enim vis imaginatricis facultatis, vt subinde animo ac cogitationibus nostris obiiciat ingeratque diuersas rerum species, in quas mens nostra libenter fertur affectibus: vnde pro diuersitate imaginum, quæ nobis aut placent aut displicent, generatur vel appetitus, vel timor, vel pudor, vel mœstitia, vel ira, postremo amor atque odium. Hæ igitur affectiones adsueuerunt imperium in totum sibi arrogare hominem, vt pro temperamenti eius vel calore vel frigore, faciem quoque nunc rubore pingant nunc pallore: vnde vel cupitarum rerum illi affectatio vel desperatio.

Hic igitur miser, cum esset spiritu præ cæteris viuido, & temperamento ob nimium sanguinis calorem feruentiore, in somnis fere audebat aut perficiebat, quæ alii ne vigilantes quidem aggredi potuissent. Virtus enim interior, quanquam in ipsis venis musculisque occultata, exigua videatur, facile tamen per quamuis imaginationem excitatur. Vnde obuenit, vt dormientes se nequaquam commoueant, nisi fantasia eorum potenti aliqua imaginatione agitetur, qui dormientium motus aut parum aut nihil differt ab agitatione brutorum, quiescente ratione, quæ ataxiæ eorum obsistere deberet.

Huius rei luculentum furiosus hic noster præbebat documentum. Primò enim conscensis ædium tectis, fastigiis eorum tam firmo gressu inambulabat, quasi super ipsam humum ingrederetur, descendebatque eadem facilitate & securitate qua adscenderat. Cuius rei caussam existimamus, quod imaginatio oppressa & sopita admixtione variarum exhalationum, non potuerit concipere

cipere periculi magnitudinem. Quanquam hæc nullius momenti esse videantur præ illis quæ dicturus sum.

Paucis mensibus, antequam mens illius exorbitaret, rem fecit, quæ fortasse difficulter apud alios sit inuentura fidem. Admouerat eum pater litteris, in quibus adeo profecerat, vt non omnes solum suæ ætatis, sed & superiores longo post se relinqueret interuallo. Effecit hac discendi celeritate, vt fratribus minoribus, aliisque ex propinquitate sanguinis præficeretur, quos in litteris institueret. Præfuit huic officio aliquandiu tanta cum sedulitate & studio, vt de nocte dormientis audirentur clamores, docentis pueros, exhortantis, increpitantis, minitantis: quod quidem tanta faciebat cum vociferatione, impetu & pædagogis vsitata molestia, vt prope iacentibus quietem excuteret. Cumque harum ineptiarum finem non faceret, ausus est quidam vicinorum flagra ei minitari & scuticas nisi cessaret: Erat autem hic mœnomeno illi iunctus affinitate. At æger, cum minas illas intra animum demisisset, cauendum malo ratus, rem ausus est non minus ridiculam quam periculosam. Nam

Repente noctis circiter meridiem

surgens de lecto, sepultus etiamnum profundo somno, solaque indutus interula, cum apprehendisset forcificem manu, egressus cubiculo, suspenso gradu contulit se in vicinum agnati sui conclaue, qui ei verbera minatus fuerat. Patuit hic, quantum prouidentia Diuina posset.

Forte per extensas radiabat Luna fenestras,

nec dormiebat is, qui nocturnum didascalum flagello increpiturus erat. Hic conspecto homine cum forfice in se irruente, subduxit se ab ictu, & cauit periculo; defensurus se, si is vlterius quid tentasset. At noster hic, cum tribus quatuorve ictibus punctim stragulum petiisset, contentus iis vulneribus, desertoque cubiculo, suum repetiit

petiit lectulum, composuitque se eodem modo ad somnum, vt non surrexisse strato videri potuerit.

Vix illuxerat, cum noctambulo hic excitatus è somnis iuit, vt salutaret affinem suum, eumque sibi assumeret socium futurum in capiendo ientaculo, ad quod amicus quidam vtrumque inuitauerat. At is, qui nocturnum euitauerat periculum, cum non sine stupore intueretur percussorem suum, abstinere non potuit, quin exprobraret ei, quod superiore nocte tam atrociter eius appetiuisset vitam. Negare alter, conceptisque verbis iurare, nihil tale sibi vnquam in mẽtem venisse. Istud duntaxat se subobscurè meminisse, videre se per somnum forficem, cuius voluerit vti beneficio ad defendendum se, si alter cum virgis scuticisque ad se flagellandum venisset, vti minatus fuerat.

Paucis diebus postea, cum singulis diebus magis magisque insanire inciperet, tandem ad eam peruenit amentiam, vt crederet pariter diceretque, se Solem esse: nec cuiusquam vel eloquentissimi oratio ab hac eum dimouere potuit stoliditate. Cum igitur se abdidisset solum in conclaue quoddam sane modicum, ausus est dicere, regiam aulamque illam Solis esse, sublimibus altam columnis, coruscam gemmis & flammas imitante Pyropo. Insanientem ad hunc modum quidam ex amicis inuisere statuit, vt propius contemplaretur, quid infelix rerum gereret. Inuenit igitur eum insedentem cathedræ, quam supra mensam collocauerat, habentem scipionem manu, & nescio quid regii vultu gestibusque repræsentantem. Neque verò intrante hoc faciem aut habitum mutauit, sed, cum quam orsus fuerat orationem, demurmurasset, conuersus ad amicum, ades dum inquit, charissime animo meo Phaëthon, & fer mihi osculum. Neque formidaueris fili dilectissime, vt claræ illæ vultus mei stricturæ tuos vel perstringant oculos,

vel

vel lædant puerilem faciem. Securum, inquam, te esse iubeo, cum ita constituerim temperare fulgorem illum & radiorum meorum aciem, vt amantissimum tui patrem citra noxam contingere possis. Quid trepidas? quid refers gressum? Ades dum fili, cui ne currus quidem mei, si id à me petas, aurigationem negauerim, vt meam sustineas vicem in subministrando lumine toti huic vniuerso. At alter, auditis hisce tam stolidis verbis, memor præcepti Iureconsultorum, *Furiosos Agnatis*, statuit tentare, an posset insaniam tam absurdam contrario remedio excutere, communicatoque cum iis, quos imaginarius hic Sol sanguinis necessitudine contingebat, consilio, in tenebricosum hominem compegit ergastulum. Mutauit is hoc pacto furorem, sed alio furoris genere. Destitutus enim mensa sua, suaque quam illi imponeret, cathedra, arbitratus iam de se actum esse, veritusque, ne careret mundus lumine suo, in apertam actus rabiem, non iam insanus sed immanis euasit, vt laceratis vestimentis, cruentos iis iniiceret vngues, qui alias afferebant vestes: constatque, vnum atque alterum vix euasisse, quin ab ipso elisis faucibus strangularentur.

Memini, cum aliquando sedatis paulisper vitiosis humoribus mens illius nonnihil acquieuisset: eum miris modis sermocinari de generatione Meteororum, quorum species ita in aëre effingi affirmabat, vt diceret assurgentes à terra & aqua vapores diuersorum colorum, tam varias pingere imagines. Addebat his disputationem de Auri, Argenti, cæterorumque metallorum intra terræ viscera conceptione & partu: nec non de Gemmis ac vnionibus, quorum causas assignabat influentiis ac calori corporum cœlestium. Hinc delapsus ad vegetabilia, inprimis segetes, affirmare audebat, suo beneficio flauescere messibus campos, quorum vbertate vniuersum lætaretur genus mortalium. Inter plantas vero eximiis

imiis efferebat laudibus Loton & Heliotropium herbas, quibus tantus esset sui, id est, Solis, amor, vt vno loco se continere non possent, sed suum, quo is ipse Zodiacum perambulat, æmularentur cursum, vnde non iniuria duo parui quidam Soles in terra, aut saltim inter flores, dici possent. Hæc cum vociferaretur, eo dementiæ adscendit, vt diceret, se quoque cæteris Astris stellisque quicquid habent luminis, largiri, inprimisque Sorori suæ Lunæ. At paulo post idem hic Sol, ingentem passus Eclipsin, cum bilis in eo effeuesceret, suffundebatur oculos, vniuersamque atro felle f.ciem, vt fremens frendensque linguam palato exsereret, propiores morsu appeteret, intentaret vicinis manus, sublatisque ingentibus clamoribus omnia confringeret, quorum illi fiebat copia.

Quid tibi nunc deinceps videtur, Regina? satisne commodo & luculento per id tempus, quo captus fui, vsus sum diuersorio? satisne amico & eleganti stipatus sodalitio? constitutus in campis Elysiis, inter ergastula mente captorum, furiosorum, cruciariorum, furciferorum, furum, latronum, effractorum, postremo eorum qui vltima expectabant supplicia?

CAPVT QVARTVM

PERIOCHE.

PErsecutus carceris Piratici fœditatem Galactio, narrat quo pacto ex eo euaserit. Omissis Hesperidibus ad Nades Insulam se confert. Elegans Schema impudici amoris mulieris erga adolescentem. Hæc frustra se esse ambitiosam sentiens, conuerso in odium amore, Galactionem

nem accusat qui innocens pronunciatus, abit.

EGo vero, vt cætera, quæ restant, subiungam Regina, maximo animi dolore afficiebar, aiebat Galactio, cum viderem eo me miseriarum redactum, vt in loco tam funesto & ferali detentus inter facinorosos & maleficos versans compar cum illis paulo post subirem supplicium, idemque foret & innocentiæ meæ præmium in illa solitudine, quæ scelerum & flagitiorum in aliis pœna. Angebar admodum atque cruciabar animo, ignarus ab ea tam tartarea crypta me initium salutis libertatisq; meæ habiturum. Cum enim grauissime omnibus interdictum esset, ne quis me inuiseret: factum est vt nemine me accedente, nemo quoque nosse posset quæ intra pectus meum moliebar consilia. Erat autem in ipso carcere exiguum quoddam foramen, per quod illapsi pauci diei radii malignum dubiumque lumen suppeditabant; per idem quoque aliquantum aquæ & panis mihi porrigebatur, non vt sedata fame latranti satisfacerem stomacho, sed vt esset, quo deficiens corpus aliquantisper alerem, vt afflicta inedia membra futuris possent sufficere cruciatibus. Est ingeniosa vt nosti, Domina, necessitas. Hæc eadem me quoque sagacem ac circumspectum reddidit: vt considerarem, si qua ratione possem, perrupta maceria, fenestellam illam ampliorem efficere, vt ad capiendum emittendumque me satis laxa fieret. Cæterum præter scalpellum librarium aut simplex grapheium nihil ad manum erat, quo murum perfoderem.

Nox erat, & placidum capiebant fessa soporem
Corpora. ------ -----

Cum ego iam è captiuo, perfossor parietis, feceram mihi ad euadendum portam, cum recordatus Philidorii, qui

inter

inter turbam illam mihi honestissimus videbatur; quod nunquam subscripsisset immitibus & cruentis eorum de me tollendo consiliis; statui illum pariter vinctum mihi adsciscere socium fugæ, quemadmodum & libertatis, quam tunc agitabam animo viribusque, vt ea ratione gratias referrem ei, qui aliquoties de me conseruando laborauerat. Nec ille diutius rogandus fuit, vt consentiret, qui iam vltro accusabat meam tarditatem.

Stabat ad littus scapha maior actuaria, & Piratæ, vt quiescerent mollius fuerant ingressi oppidum, occlusis summa cura & solicitudine portis. Ibi ego atque Philidorius audax aggressi facinus, id agebamus, vt totum mundum deciperemus. Scalis igitur admotis cum murum conscendissemus, demisimus nos in subiectos hortos Principis, super ipsam fluminis ripam, vbi erat deligata nauicula illa, qua de locuti sumus. Cum autem rudens longior, amplius à littore discedendi spatium ei indulsisset, credidimus nos ipsis Oceani fluctibus, satius fore rati eorum experiri clementiam quam Piratarum, à quorum crudeli imperio nos vix magna diligentia asserueramus: & Philidorius animaduersa trepidatione mea, non cessabat me cohortari, vt alacrius pergerem, recitatis ingentibus periculis, quibus me ipsum expositurus essem, nisi festinarem, crudelissimorum hominum potestate penitus exire. Properarem igitur & malo cauerem. Sic igitur nauigii compotes facti, cum iam altum teneremus, incidimus in aliquot mercatorum naues, qui ab insulis Hesperidibus vela faciebant, quibus nos subiunximus, eandem cum illis subituri fortunam. Præfecti nauium Philidorium in armis esse iusserunt, de me quid statuerent, non perinde facile inueniebant. Cum autem viderent, me suffecturum eorum consilio, quod de me ceperant, statuerunt me in insulam Nades mittere, vt ibi

ſacris initiatus, penitus operam darem rei diuinæ perquirendisque myſteriis. Nec tamen caruit hæc res ingentibus periculis, cum facile fieri poſſet, vt interceptus à Piratis, antequam eo appellerem, de nouo pœnas darem; & propter inſidias, quibus me aliqui appetebant proficiſcentem, quanquam irrito eorum conſilio.

Inſtruxerant me autem Heſperidum inſularum Mercatores fiduciariis literis, quibus Nadenſibus commendauerant, quæ res magno mihi in illis locis fuit adiumento. Vix ergo fuit vllum templum, vllumque delubrum, in quod non fuerim admiſſus. Ex Æſculapii fano ingreſſus ſum ædem Mineruæ, in qua Sacerdotum magnam, ſi vſquam alias, animaduerti diligentiam & aſſiduitatem, in rebus ad ſacrorum adminiſtrationem pertinentibus. Præerat his Hierophantes quidam, homo doctrinæ incomparabilis, plenuſque diuinis afflatibus, qui paulo poſt terreſtre hoc ærumniſque plenum cum cæleſti inter aſtra commutauit domicilio. Sed, prô dolor, cum me in vado nauigare, & omnes ſuperaſſe difficultates opinarer, incidi in maius periculum, quàm vnquàm ſperare aut metuere potueram. Quædam enim muliercula ex earum numero, quæ Hierophantæ ſunt à ſacris miniſteriis, cum me intentis oculis accurate conſideraſſet, ſatis oſtendit, ſe non ex earum eſſe numero, quibus nares obeſæ, cor eſſet ſtupidum, nec ſe adſueuiſſe, futili garrulitate indignam ſeipſam reddere, quæ ſecreta intra pectus ſuum occultaret myſteria. Noſti, opinor, Domina, Pictores ſtatuarioſque cœcum fingere atque pingere amorem. Is igitur puer vere mihi in puella illa cœcus fuiſſe videtur, quod non animaduertit, ſe omnibus prodere domicilium in quo habitabat. Rem autem exactius conſideranti mihi viſum eſt, eum Puſionem; oculorum, quibus ipſe carebat, aciem conceſſiſſe aliis, quibus agnoſceretur, in quo diuerteret hoſpitio,

vnde

vnde conuicta misera, affectum, quo in me satis importune ferebatur, nec negare nec dissimulare poterat.

Non iam dicam, quam officiosa fuerit circa curam valetudinis meæ, cum leui quadam ægritudine me correptum audiuisset, quanta sollicitudine meam medicis commendauerit salutem; quoties ad me missitauerit, subinde alios prætexens amori causas & velut colores. Et aliis fortasse imposuit, mihi nequaquam, qui non dubia alterati animi in ea deprehendebam indicia: cum viderem eam nequaquam ea agilitate & celeritate sua expedire negotia, qua ante consueuerat, nec ea indictis gestibus suis honesta libertate vti, qua solent crudæ intactæque puellæ, quas nondum improbus ille puer sagittis suis percussit sauciauitque. Ex his signis quorum locuples concurrebat syndrome, non difficile, cum mihi tum aliis erat iudicare, eam penitus & in imo corde cupidinis œstro percussam; quæ quidem res quam digna fuerit & ipsa & loco, equidem videre non possum: Sacerdoti quidem parum conueniebat.

Vt autem dicta factaque eius aliam interpretationem non admittebant, quam quæ inconsiderata eius affectio exigebat: ita ego nulli rei magis operam dabam, quam vt Magistro eius Hierophantæ placerem, ratus hoc illam contentam fore obsequio.

At illa nimis se fingebat officiosam, quasi omnia negotia sola sustineret, discursabatque nunc huc nunc illuc, adeo, vt siue ego deambularem in horto, siue in palatio, siue in cubiculo, siue in propinquo nemore, semper aliquid inveniret, quod illic ageret, & cuius nomine eo sibi eundum foret: cumque percontarer tam crebri aduentus causam, semper proferebat negotium aliquod, quod illic sibi expediundum fuisset. Profecto satis dici non potest, Domina, quot artificia, ingeniosa mendacia, subtiles inuentiones, quot astutias nequitias-

que

que ſuppeditet Amor illis, quorum ſibi mancipauit pectora. Igitur conſtitui ego illi paria reddere, ſed magno, vt patebit diſcrimine. Nec enim ſatis attente animaduertebam, nec arbitrabar fieri potuiſſe, vt tam profanum ignem occultaret ſub tam ſacratis cineribus. Cogitabat igitur illa me decipere. Et vt verum fatear (quid enim diſſimulem) decepit me; ſed longe alia ac diuerſa ratione, quam à principio præ ſe tulerat: nec enim amor illius in me quicquam habebat honeſti aut virtuti cõgruum. Amabat me, fateor: ſed vt alios quoque ante me, id eſt, parum pudice. Docuit hoc euentus, qui paulo poſt ſecutus eſt. Cum enim deſerto ſacro miniſterio è loco illo exiſſet, oſtendit ſe indignam quæ vnquam ad id cooptata fuiſſet. Proſtituta enim pudicitia ſua vulgatoque corpore, velut diobolare ſcortum omnibus patuit, vt infans qui inde natus fuit, incerto patre natus perhiberetur, dignusque qui VARII nomine inſigniretur.

Quis enim mirabitur, eam auſam mihi criminis alicuius notam intentare. Perſuaſit enim neſcio quibus argumentis atque rationibus, nonnullis ex eorum numero, qui rerum diuinarum curam gerunt, me eſſe perfidiæ & ſacrilegii reum. Inuenit maligna calumniatrix fidem apud eos, quorum clanculariis machinis factum eſt, vt deinceps multo inclementius haberer quam antea, nec quicquam deerat ad ſummum rigorem, qua Iudices vti ſolent in exquirenda etiam per violentiam veritate; qui tamen ob gratiam qua valebat accuſatrix mea, non receſſerunt à comitate & æquitate, erga reos nondum conuictos exerceri ſolita. Me quidem principio & pauor & metus verecundia mixtus habuerunt; ſed cum cauſa decenter diſceptaretur, ringente malitia & calumnia, triumphauit mea innocentia, vnde ſuperior victor abiui, cum totum ſacrilegii onus in accuſatricem meam optimo iure deuolutum ipſam pro me culpæ affinem

reddidisset. Etsi autem non dubia esset mea victoria, certa innocentia, non tamen cauere poteram, quin aliquid, quod dicitur, hæreret. Enimuero non errauit, qui multitudinem cæcam appellauit bestiam, quæ quouis tumultu sine ratione excitato ducitur, vt nihil sit difficilius, quam ex animis vulgi euellere sinistras opiniones, & ex eorum ore maledicentiam, quam suggerit illis calumniæ & mendacii virus, loco sanctæ puræque veritatis. Populus est instar torrentis, qui rapit trahitque secum omnia quæ adipiscitur, etiam ipsa saxa & rupes virtutis, quæ tamen satis validæ videbantur, ad sustinendum atque eludendum eius impetum. Sic ego tum non sine causa metuebam, ne malitia præualeret innocentiæ. Nihil enim se vnquam feliciter opposuit impudentiæ. Hinc ego nescio quid veritus, quod optimis quibusque maxime inimicum esse solet, constitui, non amplius in eo commorari loco. Sed & diuturna absentia mea à charissima patria satis acutis cunctantem propellebat stimulis, vt ruptis quibus ita attinebar vinculis, celeriter inde digressus proficiscerer ad Gades insulam, vbi occurrit mihi Gobrias, gloriosum felicitatis Gallicanæ instrumentum vt me non frustra ominatum postea patuit.

CAPVT QVINTVM

PERIOCHE.

Galactionis patria & adolescentiæ studia in aula Gallicana. Galliæ terræ diuisio multiplex ex veteribus monimentis. Polyarcho quis primus amorem Argenidis instillauerit, qui intellectis eius virtutibus & pulchritudine, ipse proficiscitur ad eam

ad eam visendam. Quomodo cum Principes tum populus hanc regis sui profectionem fuerint interpretati.

FInierat Galactio: at Argenis, quantum perturbata fuit initio Iliade malorum, quæ in eam decubuerat; tantum vicissim mente lætata est, cum eum post tot calamitates & indigna optimo viro vincula pulchræ videret restitutum libertati. Acquisiuerat is quidem antea in Sicilia insula immortale nomen, multumque fidebat ei in omnibus negotiis suis Polyarchus: cæterum hæc in perquirendo Principe suo hominis sedulitas, & ob eam exhaustæ difficultates multo reddebant eum illustriorem suisque gratiorem. Argenis igitur, quam plura discendi cupiditas curiosam fecerat, perrexit ex eo sciscitari; qua natus esset patria, & qua ratione educatus fuisset? Non difficile iudicabat Galactio, percunctantis satisfacere desiderio, sic igitur vbi se collegisset, orsus est.

Ignorare te non puto, Virgo Regia, maiores nostros Galliam omnem diuisisse in Cisalpinam & Transalpinam, quasi præalti illi montes, quos Alpes communiter appellamus, debeant præstare limitis officium, quibus nomen nostrum vel hinc vel illinc coerceretur: cum tamen constet, gloriæ Gallianæ limites esse eosdem qui sunt totius huius vniuersi. Quicquid sit, posterioribus tamen seculis placuit, sub Galliæ nomine eas tantum capere prouincias, quæ sunt cis Alpes, quà occidentem potissimum Solem spectant, vt iam iis includatur nomen Gallicanicum limitibus, quos Rhenus fluuius, Oceanus, Pyrenæi montes, Mare Mediterraneum, & supra dictæ Alpes constituunt. Alii quos fere communis vsus secutus est, triplicem fecerunt Galliam: Belgicam, Aremoricam, Celticam.

Et Gallia quidem Celtica principale oppidum habet Rhodanusam, quam duo nobilissimi fluuii alluunt, Arar & Rhodanus: circa quam vrbem mira soli fertilitas & vbertas, cœli clementiæ exactè respondens. Potissima hæc pars est Imperii Poliarchi. Aremorica, quæ & Aquitania, extendit se à Garumna fluuio, versus Oceanum Aquitanicum & Pyrenæos montes, estque ea Galliæ pars vicina tuo ô Argeni, regno, qua meridiem spectat, quanquam magna pars oppidorum, in illis partibus paruerit imperio patris Poliarchi, cuius se longe lateque extendit ibi potentia. Belgam quendam regem opinantur nomen dedisse illi parti Galliæ quæ Belgica dicitur, quæ his velut naturæ limitibus definitur: Rheno, Sequana, Matrona fluuiis, & Oceano. Suntque primi huius partis Galliæ incolæ semper præ cæteris habiti bellicosissimi & potentissimi, diuisi in quindecim conuentus siue Toparchias, magnanimi, hostibus suis terrori, confœderatis autem amicisque præsidio, fideles in pactis fœderibusque: vnde gloriosum eorum apud omnes prope populos nomen.

In hac postrema Galliæ parte, quam Belgicam appellari diximus, ingens quidam fluuius, postquam multas terras populosque perluit, oceanum ingreditur: fluuio apud nos nomen est Phridis. Vbi autem exonerat aquas suas in multa brachia minoresque amnes diuiditur, estque ea tota terra paludibus frequens, solo humido & vliginoso, vt necesse sit, multis id hinc inde ligneis pontibus sternere, cum alia ratione non ferat vestigia humana, multoque minus vehiculorum onera. Ipsi regioni à frequentia Pontium: præcipuæ autem vrbi Archimandropoli nomen est, quæ sita super ripam illius fluuii, æstu & reciprocat one maris alluitur. Hanc mihi patriam voluerunt esse superi, in hac natus educatusque sum ea ratione, quam temporum modus & parentum meorum

captus

captus patiebatur. Porro ipsi Parentes mei è Germania huc migrauerant. Hinc profectus sum Leucetiam, vbi illustris quidam Tyrhenus, vir magnæ potentiæ, pollens auctoritate apud Reginam, quæ tum non minus Reipublicæ quam filii sui Regis, etiamnum adolescentuli curam agebat, me in familiam atque clientelam suam recepit; qui & me ad maiora euehere constituerat, nisi fatalis hora præmatura morte illum sustulisset. Hinc dedi me in seruitium Poliarchi, cuius mater Regina non indelectabatur meis obsequiis, quæ summa fide, ea autem qua poteram dexteritate præstabam. Cùm aliquando inter exercitia corporis liberius loquerer cum Rege adolescente, ausus sum ei narrare, quæ mira vidissem, in itinere meo orientem versus, eo tempore, cum Deorum immortalium reuerentia me Delphos, postea Athenas vocasset, ad perdiscenda Græcæ religionis mysteria: Et quo pacto delatus in Siciliam Insulam, in admirationem raptus fuerim, visa incredibili tua, ô Domina, pulchritudine, quib. te præ omnib. puellis cælestes ornauerunt influentiæ. His verbis cũ attentas Poliarchus præbuisset aures, moui saliuam iuueni, vt se infelicem, humilem, nullius vsus existimaret, nisi talis virginis demereretur fauorem atque gratiam. Omnes igitur ab eo tempore in eam solam rem conuertit cogitationes, vt quibuscunque possent modis dignum se redderet amore Filiæ Siculorum Regis. Nihil versabatur homini ante oculos quam præstantia formæ Regiæ virginis; nihil ferebat in ore præter nomen Argenidis: nihil agitabat animo, quam iter in Siciliam: quod quidem vt facile expediebat, ita difficulter videbat, quo pacto ignotus ingredi posset Insulam. Quoties desertis congerronibus suis solitudinem captauit, vt posset indulgere cogitationibus secretioribus? Quoties omissis principibus nobilibusque ad me solum se contulit, vt familiarius mecum lo-

queretur de ſuis amoribus? Non poſſum facere quin rideam, quoties recordor, quam puerilibus & ridiculis me nonnunquam fatigauerit quæſtionibus; vt hæc penſitaſſe mihi videatur is, qui primus Amorem puerum pinxit, cum amatores aut pueros faciat aut puerilibus impleat ſermonibus actionibusque. Parum dormiebat de nocte, rara ei quies de die, non amplius in eo is apparebat vigor & alacritas, quam mutauerat in triſtem ac tardum corporis habitum, curarum & mœſtitiæ non dubium indicem. Incedebat enim ſimilis languenti aut melancholia correpto, ſemper cogitabundus, ſecum ipſe loquens, hominum & aulæ frequentiam fugiens. Et vt rem verbo dicam, non videbatur amplius is eſſe Polyarchus, qui ante fuerat, Martius animo, generoſus pectore, alacer agilisque corpore, gloriæ ſolius cupidus, præterea nullius rei auidus. Nam animus ignarus Cupidinearum affectionum, omiſſis curis illis & cogitationibus regiis, totus occupabatur in conſideratione tuæ pulchritudinis, cuius ideam ſubinde ſibi pingebat ante oculos, & quaſi præſentem intuebatur.

Nec animi ſolum mentisque actionibus profitebatur affectum ſuum: ipſa facies loquebatur internum cordis motum. Nec enim ſucculentus is & viuax rubor genas pingebat, qui ante; oculi inflati tumidique teſtes erant nocturnarum vigiliarum. Obtutus eius varius & inconſtans, nunc ſurſum in aerem ferebatur, nunc terræ affixus hærebat. Loquebatur quandoque vicinis, ſed velut aliud agens, cum non pertexeret ſermonem cœptum, obuerſantibus animo eius variis imaginationibus. Memini eum ad leniendas curas in Equiria, in Hippodromum, hortos, ſphæriſterium, hydrurgias, alia diuertere exercitia, quæ tamen velut pertæſus mox deſerebat, cum in nullo horum deſideratam requiem inueniret. Obluctabatur nonnunquam optimus iuuenis totis viribus

ribus huic affectui, & videbatur superior factus respirare aliquantum: sed induciæ fallaces erant, cum paulo post in eundem prolaberetur morbum. Audiebantur crebra illius suspiria, cum nulla appareret tristitiæ causa: quanquam supprimebat quandoque gemitus importuniores, & in ipsa natiuitate suffocabat. Audi plura si libet, Tabulam Geographicam, in qua Siciliæ Insulæ typum Geometra scite expresserat, in pariete Palatii regii suspenderat: in hanc subinde respiciens, nunc limis nunc rectis oculis, adspectabat tam elegantem picturam, qua tamen

Impleri mentem nequit, ardescitq; tuendo.

Me quoque ipsum, audacter dicam, propter te amabat, Regina, nec vllius hominis per vniuersam Galliam magis se affici quam mea asseuerabat familiaritate. Cuius quidem in mè affectus non erat alia ratio, quam quod ego primus ei de forma deque virtutibus tuis loquutus fueram: quodque arbitraretur, se mecum libere de suis amoribus colloqui posse, quorum ego conciliator fueram, vt non dubitaret, quin mihi fidere suosque sensus credere auderet. Postremo sicut ignis ille subterraneus, qui in Insulæ tuæ montibus latet, occultari aut includi se non patitur, sed aperta sibi summa violentia via prorumpere amat in lucem, qua potest, vnde tam repentini fulgoris claritatem mirantur accolæ: ita nos grandis admiratio tenuit, videntes sine causa manifesta Principes regni ad Reginam vocari, & haberi senatum procerum. Qui vbi conuenissent, præter spem omnium constituisse se apud animum suum dixit, profectum alio, & regnum & necessitudines suas eorum committere fidei & prudentiæ: darent igitur operam, ne quid detrimenti Respublica per suam absentiam caperet. Damnatum se voti, quod pro adipiscenda regni auiti corona fecisset, proficisci ad ea quæ vouisset, persoluenda. Etsi autem pleri-

que regni Principes aliter iudicarent, debere hæc per alium expediri censentes; posse Regem tanto periculo tantisque supersedere molestiis, surdo tamen narrabant fabulam. Secretissime enim profectus est, cum se velut furtim ab aula & vrbe subduxisset, vt nulli mortalium quicquam de eius nauigatione innotesceret, nisi forte Gelanori, quem sibi viæ comitem selegerat, & me, quem tantisper in Gallia subsistere iussit, donec in Siciliam ab eo vocatus appellerem, quod me fecisse, Regina, non ignoras.

Digresso Rege, tota aula varii audiebantur sermones, cum quidam non satis honorifice & ex dignitate de eo loquerentur. Parum conuenire tam magno Regi clandestinum discessum, qui fugæ quam profectioni similior esset. Non deerant qui natales eius in dubium vocabant, ad sceptrum ac Diadema vocandos eos quos leges regni ipsumque iûs naturæ vocaret. Vnus ex agnatis Commindorigis abusus perturbatione temporum, motum popularem excitauit, creuitque ad eum modum seditio, vt omnia terra marique implerentur armis, donec Poliarchus noster rediens, repente in regno compareret, quasi cœlo delapsus, aut sydus aliquod miraculosum Galliæ illucescens. Ad hunc modum sopitis turbis, Rex in Siciliam perrexit, & Commindorix ipse quoque ad ingenium, quod dicitur, prioresque conatus rediit: vt dici satis non possit, quot calamitatibus diuexatum afflictumque fuerit regnum Galliæ, oppressis ciuibus iniustis coniuratorum armis. Regina cum videret res pessum ire, optimum iudicauit, violentiam vi retundere, conscriptamque validam militum manum iniustis Cômindorigis copiis opponere.

Me vero sine mora misit ad Poliarchum, vt eum de tristi Galliæ statu motibusque ciuilibus quam primùm edocerem, vt calcata omni mora reuersus salutare rebus

afflictis

afflictis perditisque afferret remedium. Pollicitus est prolixe, opportune se adfuturum, inque eum finem me præmisit, sed nunc intelligo, eum, quod cum primis doleo, nondum in regnum patrium aduenisse, quanquam Gobrias (vt ipse quidem narrat) eum vbique locorum quæsiuerit, in vltimam vsque profectus Mauritaniam. Tuli hactenus moram illam adeoque diuturnam absentiam impatientissime: non quod verear ne alicubi perierit, quem Diuinæ prouidentiæ tantopere cordi curæque esse nullus dubito: sed quod sciam, quanto ipsum optet patria desiderio. De me quidem vt profitear, certus sum, Deũ, qui illum in grauioribus incolumem præstitit periculis, porro quoque conseruaturum Patriæ, Regno, Matri, Necessariis, postremo Aris Focisque nostris.

CAPVT SEXTVM.

PERIOCHE.

OCcursus nauium Archombroti & Argenidis. Salutatio & ἀπάντησις fratris ac Sororis. Galliæ regum fœdus cum AEgyptio.

ADhuc loquebatur Galactio, & in spem optimam erigebatur visendi paulo post Poliarchi, de quo tam certa tamque grata narrauerat Galactio: cum repente nunciatum est, conspici à longe numerosam classem, qualiscunque tandem illa foret. Insueti rerum marinarum primo existimabant nubeculas quasdam esse, quæ è mari surgerent; post se delusos sentientes, scopulos credebant qui supra aquas eminerent. Facti autem propiores, naues reuera esse animaduertebant, & quidem militariter instructas. Ibi Gobrias primus sublato clamore, Archombroti classem esse certò pronunciauit. Quo audito

dito Argenis quæ iam nonnihil metuere occeperat, facta hilarior, exorauit Tierarcham Ægyptium, vt tubis clangeret, edito lætitiæ sono, simul vt intelligeret Archombrotus, amicas adesse naues à quibus nihil metuendum periculi. Archombrotus audito clangore tubarum, imperauit nautis demissa bolide rimari maris altitudinem, si forte alicubi anchora proiici nauesque statui possent. Gobrias, cuius triremis optime vtebatur velis, celeri cursu cæteras omnes anteuertens, cum triplici remorum ordine vteretur, celeriter ad Archombroti Prætoriam adnauigauit, agnitus primum è vexillis, in quibus arma Gallicana depicta visebantur, & quod in documentum amicitiæ ter signum grande demisisset. Ipse primus conscensa scapha actuaria ad Regiam Archombroti Triremem vectus, in eius se conspectum dedit. Viso Gobria obstupuit Princeps, vt verbum proloqui nullum posset: audito autem sororem Argenidem triremi proxima vectam subsequi, recepit spiritum pariter & loquelam. Ingenti igitur perfusus gaudio, continuo omnes in nauibus tubicines clangere iussit: ipse insiliens scapham properauit ad nauim, in qua soror Argenis vehebatur, quam complexus arctissime, propeobruit osculis, inque ipsius facie defixus hærens, cum intuendo eam satiari non posset: teneone te, inquit, mea soror, mea Argenis? Et vbi nam hactenus vixisti misera, cuius aduentum in Mauritaniam tanto sum præstolatus tempore? Vbi est Poliarchus tuus? Quid faciunt peregrini isti, ambusti & decolores Ægyptii, quos circum te video? Respondit breuiter Argenis, non vnius horæ esse quæ sciscitaretur frater, nec præsentis lætitiæ: ne tamen nihil ageret, recitauit succincte, quid sibi accidisset ad illum vsque temporis articulum, quo Polyarchus saucius expositus fuisset in Columbina Insula. Tunc enim Archombrotus, cum hæc audiuisset, temperare sibi non

poterat,

poterat, quin victus miseratione tam calamitosi iuuenis, lachrimas funderet. Cum autem instaret frater vt cætera persequeretur, eadem vsi loquendi breuitate Argenis, deduxit filum historiæ suæ narrauitque quo pacto Polyarchus, recuperata valetudine, in Iberiam abiuisset vectus triremi, quæ mercatorum Tarsidensium fuisset. Ad hoc verbum amplius se contineri non potuit Archombrotus, sed rapto similis aut lymphatico: Iouem lapidem iurauerim, dixit exclamans, hos mercatores eos ipsos fuisse, qui nobis ad Agathense Promontorium facti sunt obuiam, in ipso sinu Virgitano. Negotiator enim is qui mihi loquebatur tum cum poculum inauratum dono ferret, narrabat mihi, quendam illustri loco natum iuuenem cum ipsis nauigare, quem cum ingens desiderium cepisset visendæ Iberiæ, idem cum mercatoribus conscendisse nauigium.

Libet nunc meam ipsius accusare fortunam, inquiebat iracundus simulque fastidiosus Archombrotus, quæ me priuauit colloquio illius, quo nemo mihi charior sub hoc Sole superat? Nescio quid superi tandem de me facturi sint. Nam si voluerunt, vt sororem meam in lato hoc æquore nauigans offenderem; cur iidem noluerunt me Poliarchum quoque fratrem meum in eodem inuenire mari? Vbi te nunc dicam esse gentium ô Poliarche frater optatissime? vbi te requiram ô animæ meæ dimidium? Quæ curiositas compulit te in terram illam nobis adeò inimicam proficisci? Atqui non longe aberant abs te Mauritania, Gallia, Sardinia, quæ regna omnia tuo patebant arbitratui; Nam vt ex literis illis colligo, quas in Columbina insula scripsisti, paulo ante discessum tuum, voluntaria fuit illa tua, non coacta in Iberiam nauigatio. Nos vero, inquit Galactio, certi esse debemus, Poliarchum Regem tanta esse prudentia, vt nihil nisi grauibus compulsus rationibus in hac causa susceperit, quan-

quanquam nos hac quidem vice comprehendere animo non queamus. Cautior eſt, & multo circumſpe-ctior, quam vt regnum, dignitatem ſuam, ſeque adeo ipſum in voluntarium ſit præcipitaturus periculum. Tantum autem abeſt, vt me hoc nomine affligam, vt contra optima & feliciſſima quæque de hoc illius itinere mihi pollicear. Gobrias fortaſſe hoc ſibi perſuadere non potuit, ob ingens periculum, quod aditurus fuit Poliarchus, ingrediens Iberiam, ex quo regno Commindorix acceptis pecuniis auxiliaribuſque copiis ſuum roboraſſet exercitium. Non ignorabat, Regem illum tacite adſpirare ad Diadema regni Gallicani, quod per cuniculos & clandeſtinis artibus ſuis ſibi vendicare nitebatur. parſurum eum minime Poliarcho, ſiquidem eum agnitum in poteſtatem ſuam redegiſſet.

At longe alia mens Aneroeſto, qui in prouidentiam diuinam totum negotium reiiciendum eſſe dixit, ipſe etiam in partem gaudii & lætitiæ publicæ venit, complexus & exoſculatus Archombrotum: cumque omnia in meliorem partem ac pro ſe interpretatus fuiſſet, iuſſit eos, quotquot aderant, optime ſperare, conſolatus præ cæteris Argenidem, quæ in fratre recepto certiſſimum pignus adepta fuiſſet, videndi propediem chariſſimi Sponſi. Ægyptii, quibus hic Archombroti occurſus præter omnem expectationem acciderat, ſtabant attoniti, vtique cum viderent immenſos honores, quibus ab vniuerſis colebatur Argenis, in qua nihil ipſi animaduerterant, quam magiſtram & antiſtitam Veſtalium Virginum apud vrbem Memphim, iam autem eam intuebantur, vt reginam magnique regis ſororem. Habuit eos comiter Archombrotus, omnique humanitatis genere proſecutus hoſpites, multis ſe obligatum nominibus Regi Ægyptio teſtatus eſt, ob beneficia in Argenidem ſororem collata. Vtque oſtenderet non ficta hæc ſe facere

cere

cere beneuolentia,conceptis verbis iurauit publice,non conquieturum ſe,donec cum Rege Ægypti rediiſſet in gratiam, facta pace non cum eo ſolum, ſed & cum omnibus in vniuerſum Ægyptiis. Hi enim grauiter admodum offenderant Siculos, direptis horum nauibus, vnde vtrique alteris dira minitati fuerant, addito iuramento, nunquam ab odio & nocendi ſtudio diſceſſuros. Addebat his Archombrotus ſe deinceps perpetuum legatum in Aula Regis Ægyptii habiturum, neque per ſe ſtaturum,quo minus pax illa atque amicitia æterna ſit atque immortalis futura. Tierarcha Ægyptius qui non ignorabat,quantum claſſe valerent Siculi ſociati Gallis, & quæ vtriuſque populi eſſet potentia, facile pro ſua prudentia perſpiciebat, quanto cum regis ſuo commodo hæc futura eſſet pax,vnde accedens Archombrotum, confirmauit ei, pariter affectum ſuum quoque regem, qui nihil antiquius haberet ſancta pace, oblata ſimul ſua opera, ſi ſe vellet rex Siculus ea vti ad rem tanti momenti,quæ conſiſteret in concilianda gratia & feriendo fœdere inter vtrumque regem,quod eſſet ex vſu vtriuſque,nec ſe dubitare,quin res illa Archombroto eiuſque Sorori æternæ ſit futura gloriæ & honori. Gratum fuit Siculo hominis officium,iuſſitque,vt exquiſitis afficeretur honoribus:cæteri pro ſua quiſque dignitate & conditione comiter tractabantur. Argenis ad eum diem alio non vſa fuerat famulitio, quam duabus puellis Ægyptii generis, quæ ancillarum ei præſtiterant ſeruitium.Frater igitur,cui Sororis dignitas curæ erat, familia illam auctiore inſtruxit, adiunctis quibuſdam è domeſticis ſuis,vt maiore culta apparatu,& illuſtriore prodiens magnificentia, illa videretur,quæ reuera erat, & vt genus eius,opes,virtutes,nuptiæque regiæ merebantur.

CAPVT

CAPVT SEPTIMVM

Perioche.

Historia rara & obseruatu digna, de laudabili duorum filiorum è domesticis Argenidis in parentes decrepitos affectu & pietate.

HAbebat duos fratres in numero seruorum Archombrotus, quos præ cæteris singulari complectebatur fauore. Hos vehementer desiderabat Argenis sibi permitti, cupiebat enim eos inter domesticos suos recipere. Difficulter autem eos poterat consequi à fratre, quanquam nihil negare Sorori volenti: sed hos duos seruos præ cæteris diligebat. Et sane dignierant, qui meliore sorte fruerentur, cum per totam Siciliam grati essent omnibus, ob præclarum facinus, quo conseruauerant iis vitam, à quibus ipsi ante acceperant. Aneroestus, cum hæc percepisset, cupidus cognoscendi rem, vti gesta erat, quæsiuit ex Argenide, an hæc ita se haberent, & an ipsa huius facti haberet notitiam? Qua affirmante, exorauit senex virginem, vti sibi recitare vellet quod ipsa non grauate fecit; existimans hoc ad laudem Siciliæ patriæ suæ pertinere, quæ tam probos produxisset liberos.

Igitur Ætna, inquit, mons est Insulæ nostræ, cuius ima pars pratis & pascuis lætissimis adeo abundat, vt pecudibus ex pabuli pinguedine frequens suffocationis periculum immineat, nisi vena in auricula secta sanguis mittatur. Media eius & decliuia loca fagis, piceis, & abietibus horrent, adeo densis vt non sine formidine ingrediantur peregrini, loco ob frequentiam densissimarum syluarum perobscuro & formidoloso. Ab summo coopertus est niue, & tumulis arena congestis, in quorum

rum medio hiatus patet ad ingentis labri aut cupæ æneæ similitudinem, quæ apertura quive hiatus paulatim angustior fit, quo profundius in ima montis viscera descendit. In specu subterranea exhalationes quædam ab meridionali montis latere prodeuntes cohercentur, cum subtiliores sint & imbecilliores quam vt possint motu suo terram findere incumbentem, oriuntur in concauitate illius cauernæ mugitus horribiles, quos sine metu audire vix cordatissimus quisque possit.

Quadam die, dum hæc subterranea murmura & velut tonitrua nescio quid minitantur, nouum plenumque terroris Siculorum oculis offertur spectaculum.

Rupes enim Messenensis; quæ bonam partem totius montis constituit, tota cooperta niuibus, vi subiectæ materiæ fissa crepuit medio, vt flamma adepta nouam viam, alte emicaret proiectis late ignibus cum ipsis montis visceribus, quæ per nouum hiatum euomebantur, non sine maximo terrore & damno accolarum. Primum nihil prodibat, quam densus fumus, quem plures globi ignei illustrabant, volantes in altum, cum tanta cinerum copia, vt tota illa pars montis obtegeretur. Præterea profluebat torrens non exiguus è liquefactis silicibus & glarea per campos, qui quacunque se ferebat, exurebat herbas atque segetes, & fontium venas siccabat, vt quicquid ei veniret obuiam, siue homines siue pecora, continuo salutis studio aufugerent. Hic ergo riuus igneus, qui fluebat instar liquefacti metalli, quod à fornace prodit, ex vna parte terram albedine quadam inficiebat, ob spumam quam in superficie secreuerat, ab altera parte flauescebat humus, copia sulphuris, quod crebris exhalationibus ex ipso montis cratere eructabatur, magna quoque scintillarum & arenæ copia proiiciebatur in ipsum mare, ea potissimum parte qua naues Archombroti & Poliarchi stabant in Anchoris,

ris,ſpatio ſic ſatis longo à portu. Multi è prudentioribus nihil boni inde ominabantur,iactantes præſagia hæc eſſe improſperæ noſtræ profectionis: & hos quidem minime mentitos fuiſſe,paulo poſt experti ſumus. Sed & aliud oſtentum oculis noſtris oblatum fuit. Diffugientibus omnibus, qui vicinum collem inhabitabant, vt euitato incendio in Catanenſis oppidi conualles ſe reciperent, cumque quiſque pro ſua ipſius ſalute ſollicitus, aliorum rationem habere non poſſet;accidit, vt duo adoleſcentes fratres, quorum alteri Anapiæ,alteri Amphinomo nomen erat, parentes,ad fugiendum præpediente ſenio tardiores,in præſentiſſimo mortis periculo conſpicarentur. Ibi iuuenes recordati ſe pereuntium eſſe filios,è veſtigio accurrentes, dulces & glorioſas ſuſtulere ſarcinas, altero patrem, altero matrem in humeros tollente, qui nec conquieuerunt, donec grandævos extra incendii periculum exportatos, in ſecuro loco conſtituiſſent.Cum autem nimio onere depreſſi adoleſcentes incederent gradu tardiore,vidimus eos ſubito in igneis volutos turbinibus, atque ab omni parte circumdatos labaſcere. Nec tamen proinde animum deſponderunt, aut ceſſerunt magnitudine periculi: ſed pro eo, quod proiecta ſarcina fugere poterant, arrepto atque alligato firmioribus amplexibus quiſque onere ſuo, perſecuti curſum ſuum,ac inſiſtentes propoſito,per medias inceſſere flammas. Iam deinceps tibi, ô Aneroeſte,rem miram narrabo,& quæ omnem fidem ſuperare videbitur. Defluxerant duo torrentes feruidi,ſulphure incenſo & bitumine ardentes,omnia,quacunque ruebant,exurentes & peſſundantes.Hi ergo duo torrentes per decliuem tramitem currentes ſe coniunxerant, eo ipſo in loco, qua adoleſcentibus illis baiulis tranſeundum erat. Hi gemini fluuii,aduenientibus cum dulci illo & venerando onere iuuenibus, ceſſere, factoque diuortio in diuerſas

uersas partes abeuntes, iis transitum indulsere, cumque transiissent, rursus coeuntes, eodem quo ante se vniuere modo. Fuit autem hoc adeo euidens miraculum, vt nemo in vniuersa sit Sicilia, qui istud negare audeat. Et hæc est causa, ob quam frater meus rex, duos illos fratres hactenus in pretio habuerit dilexeritque, cum dignos iudicaret amore suo eos, quos ipsum supremum numen amasset, quod Parentum cura illis fuisset potior quam propriæ vita incolumitas. Catanenses profecto ad indelebilem tam egregii facinoris memoriam, in honorem horum fratrum columnam marmoream erexerunt, cui hoc filiorum factum, vti acciderat, insculptum, posteris salubris admonitionis locum præstaret. Additus etiam ipsi loco honos, in quo columna suscitata fuerat, vt CAMPVS PIETATIS appellaretur.

Habes causam, cur ego eos, vt opinor non iniuria diligo, cum tam illustre eorũ factum nulla vnquam obliterari debeat obliuione, sed dignum sit vt in recenti apud posteros cõseruetur memoria. Manent enim Pietati & Misericordiæ sua fixa firmaque præmia, nec dubium est, si à mortalibus ea non persoluantur, quin in cœlis merces iis sit reposita copiosa, quam & suo tempore percepturi sunt beneficiorum, acceptorum memores, multum ringentibus ingratis, qui, quantum benefactoribus suis debeant, obliuioni videntur tradidisse.

D ARGE-



ARGENIDIS CONTINVATÆ

LIBER SECVNDVS.

CAPVT PRIMVM

Perioche.

Archombrotus, intellecto, puellam illam, quam in suo vehebat nauigio, Sponsam suam esse, sororem Polyarchi, mira effertur lætitia. Vnde inter noscitantes secolloquia.

ET hæc quidem in hunc modum in Sicilia contigerant. Gobrias autem narrabat Archombroto felicem Mauritaniæ statum, ipsamque Reginam per omnia prospere agere, bonaque vti valetudine: cumque videret Regem nuncii bonitate suauiter affici, factus audacior, vicissim ex eo sciscitatus est, quæ nam esset virgo illa quam in sua veheret triremi, deducturus eam in Agerianam ciuitatem: teneri enim se impenso eius noscendæ desiderio, siue eam nosset siue non nosset. Hæc quæstio Gobriæ, ipsissimum cor penitissimasque fibras Archombroti tetigit. Est enim amor tam exquisito sensu

ſenſu prǽditus, vt ſi vel leuiſſimo pungatur aculeo, cõtinuo ſanguinẽ mittat, eoq; genas rubore ſuffundat. Sentit primus & prope ſolus Amor, quantumvis clandeſtinus, ſi quis vel verbulum de eo loquatur. Vix de puella loqui cœperat Gobrias, & puncturam ſenſit Archombrotus, quodque ſaucii & vulnerati ſolent, miſit manum ad plagam, indignatus hac ratione amores ſuos in lucem protrahi. Ecquid enim attineret hæc talia percunctari? quæ ratio ipſum cogeret hæc noſſe? Ibi Gobrias, vt nec temeritate ſe ductum, nec ſtudio noſcendi res alienas oſtenderet, narrat Archombroto, quid de illa in Mauritania audiuiſſet. Galactio cum hæc audiret, ſtabat attonito aut ſyderato ſimilis, cum prẹter omnem expectationem inter manus Archombroti videret illam, quæ eius deſtinata erat nuptiis, nec poterat ſatis mirari, cum tam pone iuxta ſe cerneret eam, quam dudum periiſſe arbitrabatur in terra Africa. Et, vbinam eſt illa, inquit, ô Regum potentiſſime? vbi eſt regia virgo quæ parem non inuenit? Deum immortalem! vigilans an ſomnians hæc audio? Sicne tibi prouidentia Numinis in manus tradidit eam, quam ante fata deſponderant, quæ Polyarchi auſpiciis in manum tuam conuenit? Hominum fidem! Cyrtheamne ego hic inuenio? Cyrtheane nauigat cum Archombroto, cuius beneficio tot exempta ſoſpes eſt periculis? Quis vnquam crediniſſet, hunc ipſum fore, qui eam è ſummis, quibus in Mauritania adobruta fuit, ereptam neceſſitatibus, ſuis nauibus in Galliam chariſſimam patriam deducturus eſſet? Poſſumne ego eam, ô Rex, videre? poſſumne tam clari ſideris intuitu ægrum illius deſiderio erigere animum. Et hæc quidem Galactio non ſine ſtupore effundebat.

Enimuero Archombrotus etſi in eandem raperetur admirationem, aliter tamen multo affectus erat quam ille, cum intelligeret, eam quæ hactenus ſe Eliſam di-

ingemiſceres meis doloribus, quos mihi afferebat tua præſentia? Vidiſti me amore tui tantum non contabeſcentem, Cyrthea, vidiſti inquam, remedium afferre potuiſti, nec tamen feciſti. Miror mehercule, quo pacto tanta crudelitas in tantam venuſtatem cadere potuerit, vt videns coram non moderatis exuri cor meum flammis, ne guttula quidem vnica ſolatii inſperſa, aut commodo verbo id refrigerare fueris dignata. I nunc quo lubet, per me enim licet, poſtquam te expertus ſum inimicam, quæ me tamdiu patriam genuſque tuum cœlaueris. Quo pacto enim te amicam credam, quæ mihi tot menſibus aſſumto falſo filiæ mercatoris nomine impoſueris? Hæc autem omnia, & ſi talia ſunt, vt non iniuria tibi ſuccenſere poſſim, magnitudo tamen amoris, quo tibi deuinctus ſum, cogit me, vt hoc quicquid eſt offenſæ, lubens condonem. Amor inquam detractam fronti ſuæ tæniam meis imponet oculis, vt non videam tam graphicum errorem tuum, quem quidem impunitum nemo dimittere poſſit, niſi cui amor ſenſum acerbitatis excuſſerit animo. Hæc locutus conticuit.

Eliſa non minus delibuta gaudio, admirabatur tamen quo pacto quænam ipſa eſſet, palam factum fuiſſet: cumque videret Archombrotum ſimulare iracundiam, quam riſus admiſtus facile proderet eſſe fictam; ſtatuit apud animum ſuum ſimulationem ſimulatione eludere, & in ipſum actorem crimen retorquere intentatum. Tu vero, Domine, inquit, quod ſupplicium te meritum arbitraris? aut quæ pœna expiabit crimen tuū? tuum inquam, qui omnes cæteros reos & affines grauis culpæ exiſtimas? Nimirum hic eſt magnus ille Siculorum Maurorumque Princeps, qui iter nauale ſuſcepit in Galliam, vt ibi duceret Regis filiam vxorem, Poliarchi inquam ſororem: cui tantilla mora viſa eſt longa, niſi interim puellam Aſiam, mercatoris Argeriani filiam deperi-

deperiret. Vbi in posterum quæremus fidem, *dictorum factorumque constantiam & veritatem*, si ea in ore & pectore tam generosorum hominũ, imo virorum principũ periit? Sed mittamus sane hæc: quam dignum erat, tam cordato, tam alti spiritus, demittere se ad eam vilitatem, vt affectus & vota sua in negotiatoris filia consumeret. Apparet, me Diana, totum mundum inuersum esse. Inuenias homines humili genere natos, adeoq; ex plebeio ordine, qui ad illustrium Regiarumque fœminarum Hymenæos, nescio qua spe, adspirare audent: & viri Principes amplexus suos in pergulas & tabernas institorias mittunt. At amasti me. Credam sanè. At amare non poteras sine iniuria, qua afficiebas sororem Poliarchi. Quorsum igitur attinebat tot me onerare promissis, additis iuramentis, quibus Cœlum ipsum testabaris, non discessurum te vnquam ab amore meo, quem integrum illibatumque seruare debueras alii? Quicquid feceris, quicquid dixeris, semper oportuit Gallicanam puellam potiore apud te fuisse loco quam Argerianam. Sed vt causam tuam ipsa adiuuem, fortasse voluisti Europæarum venustatem puellæ Africanæ pulchritudine obscurare: fortasse voluisti ostendere, habere Numidiam Mauritaniamque formas, nequaquam (vt vulgus iudicat) contemnendas, sed dignas quibus faueant Principes viri, non minus quam quæ per Galliam Germaniamque occurrunt.

At maximo mihi solatio est, nihil sinistri aut turpis affectasse te amore illo tuo: quod si honestatis pudorisque limites egredi tentasses, iam spondeo tibi ac respondeo, te inanem ventum loco præmii reportaturum fuisse, & pro æsculea coronam iunceam. Potuistine vnquam tibi polliceri, charissime Archombrote, eam quæ hactenus, tot potentissimorum & nobilissimorum hominum repudiauerit etiam cum vitæ periculo, consortia, tam fa-

xerat,ipsam Cyrtheam esse,seque amare illam,quam solam amare debebat,cum non esset alia aut diuersa ab ea, quæ ipsi paulo post auspicatissimo erat coniungenda matrimonio. Mira ratio est illius catenæ, qua colligantur amantes. Hæc enim cum affixa sit pulchritudini quam expetunt,contrahit se & fit breuior per eumdem illum amorem,per quem extenditur,donec ad centrum suum redeat.Formæ venustas instar solis alicuius est,qui radiis suis sursum attrahit vapores, id est affectus amantium puros & inculpatos,ipsum quoque cor terræ ad se eleuat,non obstante immenso ac naturali illius pondere.Sic Archombrotus,cui linguam iniecto capistro Cupido ligauerat,nullum quidem verbum protulit; desertis autem omnibus,qui ipsi de more ac honoris ergo adstabant, celeriter se contulit ad charissimam suam Elisam, quam arctissimis alligatam complexibus, raptus extra se gaudii magnitudine, aliquandiu intra brachia tenuit,antequam verbulum fari posset. Tantum autem percipiebat Rex iuuenis ex insperato gaudio & suauissimis amplexibus delectationis, vt curas atque cogitationes suas à tam delectabili obiecto alio diuertere ei minime vacaret: cumque altum teneret silentium satis tamen euidenter loquebatur, quæ agitaret intra pectus suum. Et moriturum illum fuisse puto in mediis delectationibus,nisi metus mortis,qui ipsius pectus ante occupauerat, quam hoc tantum bonum apprehenderet, vetuisset vitæ dissolutionem.Tandem velut recepto spiritu paulisper interquiescens,dimisit eam è brachiorum nexu, intuitusque ridentibus oculis, rursus in collum eius irruit, quasi prius oblitus fuisset eam complecti.

At regina graui iam dudum saucia cura,

etsi se agnitam fuisse nondum senserat, tamen cum videret hominem non visitato in se ferri affectu, quid diceret non inueniebat, cum nesciret causam tantæ muta-

tionis

tionis in illo, cuius iam ante tot experimentis didicerat verecundiam. Stabat igitur eum subinde adspectans; eratque inops consilii, & ignara quid faceret. Tandem cum loquelæ potentiam nactus fuisset, Archombrotus; potestne, inquit, aliquis ad felicitatis meæ perfectionem accedere cumulus, postquã te (ô mea vita) volentibus diis intra triremes meas teneo? Tune igitur Cyrthea es, ea ipsa, quam mihi Poliarchus frater tuus interueniente iuramento sacrisque sponsionibus futuram addixit coniugem? quam ego in Gallia quæsiturus cum classe profectus sum ex ipsa vsque Mauritania, cum te quam quærebam, domi meæ haberem? o Elisa, vel potius Cyrthea mea, ignosce, quæso te, ignorantiæ meæ, vt & ignorantiæ matris meæ, quæ votis meis obstitit, ne te afficerem iis honoribus, quos & genus, & virtus & dignitas tua merebantur. Euge te bellam illam virginem Argerianam, patre natam mercatore, cuius mater paupercula esset vidua. Deum immortalem! quam miris artibus vsa es in dissimulando quæ esses, peregrina, incognita, captiua, rea incestus, supplicio capitis destinata: inter quę omnia tamen dira infortunia ita te gessisti, vt ipsum Principem, qui tui potestatem habebat, captiuum faceres, tibique mancipares. Ita ne me tanto tempore decepisti, ô Cyrthea, spes vnica vitæ meæ, meum solatium, cum sineres me te velut alienam amare? sustinuisti videre languores meos, mentis meæ ægritudinem, amoris non perfunctorii apertissima indicia; nec aperuisti mihi te ipsam, quæ res tamen cum gloria & honore tuo coniuncta, mihi quoque magnum interni doloris præstitisset leuamen? Sed quid opus est verbis? occultasti tu hęc mira vafritie, cælasti me, neque negare potes, nisi excusare forte velis errorem tuum, quod tamen ipsum facere non poteris, nisi grauiorem incurrere velis. Ita ne tibi cor Adamante quouis erat durius, vt ne semel quidem

xerat, ipsam Cyrtheam esse, seque amare illam, quam solam amare debebat, cum non esset alia aut diuersa ab ea, quæ ipsi paulo post auspicatissimo erat coniungenda matrimonio. Mira ratio est illius catenæ, qua colligantur amantes. Hæc enim cum affixa sit pulchritudini quam expetunt, contrahit se & fit breuior per eumdem illum amorem, per quem extenditur, donec ad centrum suum redeat. Formæ venustas instar solis alicuius est, qui radiis suis sursum attrahit vapores, id est affectus amantium puros & inculpatos, ipsum quoque cor terræ ad se eleuat, non obstante immenso ac naturali illius pondere. Sic Archombrotus, cui linguam iniecto capistro Cupido ligauerat, nullum quidem verbum protulit; desertis autem omnibus, qui ipsi de more ac honoris ergo adstabant, celeriter se contulit ad charissimam suam Elisam, quam arctissimis alligatam complexibus, raptus extra se gaudii magnitudine, aliquandiu intra brachia tenuit, antequam verbulum fari posset. Tantum autem percipiebat Rex iuuenis ex insperato gaudio & suauissimis amplexibus delectationis, vt curas atque cogitationes suas à tam delectabili obiecto alio diuertere ei minime vacaret: cumque altum teneret silentium satis tamen euidenter loquebatur, quæ agitaret intra pectus suum. Et moriturum illum fuisse puto in mediis delectationibus, nisi metus mortis, qui ipsius pectus ante occupauerat, quam hoc tantum bonum apprehenderet, vetuisset vitæ dissolutionem. Tandem velut recepto spiritu paulisper interquiescens, dimisit eam è brachiorum nexu, intuitusque ridentibus oculis, rursus in collum eius irruit, quasi prius oblitus fuisset eam complecti.

At regina graui iam dudum saucia cura,

etsi se agnitam fuisse nondum senserat, tamen cum videret hominem non vsitato in se ferri affectu, quid diceret non inueniebat, cum nesciret causam tantæ muta-

tionis

tionis in illo, cuius iam ante tot experimentis didicerat verecundiam. Stabat igitur eum subinde adspectans; eratque inops consilii, & ignara quid faceret. Tandem cum loquelæ potentiam nactus fuisset, Archombrotus; potestne, inquit, aliquis ad felicitatis meæ perfectionem accedere cumulus, postquã te (ô mea vita) volentibus diis intra triremes meas teneo? Tune igitur Cyrthea es, ea ipsa, quam mihi Poliarchus frater tuus interueniente iuramento sacrisque sponsionibus futuram addixit coniugem? quam ego in Gallia quæsiturus cum classe profectus sum ex ipsa vsque Mauritania, cum te quam quærebam, domi meæ haberem? o Elisa, vel potius Cyrthea mea, ignosce, quæso te, ignorantiæ meæ, vt & ignorantiæ matris meæ, quæ votis meis obstitit, ne te afficerem iis honoribus, quos & genus, & virtus & dignitas tua merebantur. Euge te bellam illam virginem Argerianam, patre natam mercatore, cuius mater paupercula esset vidua. Deum immortalem! quam miris artibus vsa es in dissimulando quæ esses, peregrina, incognita, captiua, rea incestus, supplicio capitis destinata: inter quę omnia tamen dira infortunia ita te gessisti, vt ipsum Principem, qui tui potestatem habebat, captiuum faceres, tibique mancipares. Ita ne me tanto tempore decepisti, ô Cyrthea, spes vnica vitæ meæ, meum solatium, cum sineres me te velut alienam amare? sustinuisti videre languores meos, mentis meæ ægritudinem, amoris non perfunctorii apertissima indicia; nec aperuisti mihi te ipsam, quæ res tamen cum gloria & honore tuo coniuncta, mihi quoque magnum interni doloris præstitisset leuamen? Sed quid opus est verbis? occultasti tu hęc mira vafritie, cælasti me, neque negare potes, nisi excusare forte velis errorem tuum, quod tamen ipsum facere non poteris, nisi grauiorem incurrere velis. Ita ne tibi cor Adamante quouis erat durius, vt ne semel quidem

xerat, ipsam Cyrtheam esse, seque amare illam, quam solam amare debebat, cum non esset alia aut diuersa ab ea, quæ ipsi paulo post auspicatissimo erat coniungenda matrimonio. Mira ratio est illius catenæ, qua colligantur amantes. Hæc enim cum affixa sit pulchritudini quam expetunt, contrahit se & fit breuior per eumdem illum amorem, per quem extenditur, donec ad centrum suum redeat. Formæ venustas instar solis alicuius est, qui radiis suis sursum attrahit vapores, id est affectus amantium puros & incolpatos, ipsum quoque cor terræ ad se eleuat, non obstante immenso ac naturali illius pondere. Sic Archombrotus, cui linguam iniecto capistro Cupido ligauerat, nullum quidem verbum protulit; desertis autem omnibus, qui ipsi de more ac honoris ergo adstabant, celeriter se contulit ad charissimam suam Elisam, quam arctissimis alligatam complexibus, raptus extra se gaudii magnitudine, aliquandiu intra brachia tenuit, antequam verbulum fari posset. Tantum autem percipiebat Rex iuuenis ex insperato gaudio & suauissimis amplexibus delectationis, vt curas atque cogitationes suas à tam delectabili obiecto alio diuertere ei minime vacaret: cumque altum teneret silentium satis tamen euidenter loquebatur, quæ agitaret intra pectus suum. Et moriturum illum fuisse puto in mediis delectationibus, nisi metus mortis, qui ipsius pectus ante occupauerat, quam hoc tantum bonum apprehenderet, vetuisset vitæ dissolutionem. Tandem velut recepto spiritu paulisper interquiescens, dimisit eam è brachiorum nexu, intuitusque ridentibus oculis, rursus in collum eius irruit, quasi prius oblitus fuisset eam complecti.

At regina graui iam dudum saucia cura,

etsi se agnitam fuisse nondum senserat, tamen cum videret hominem non vsitato in se ferri affectu, quid diceret non inueniebat, cum nesciret causam tantæ mutationis

tionis in illo, cuius iam ante tot experimentis didicerat
verecundiam. Stabat igitur eum subinde adspectans; e-
ratque inops consilii, & ignara quid faceret. Tandem
cum loquelæ potentiam nactus fuisset, Archombrotus;
potestne, inquit, aliquis ad felicitatis meæ perfectio-
nem accedere cumulus, postquã te (ô mea vita) volen-
tibus diis intra triremes meas teneo? Tune igitur Cyr-
thea es, ea ipsa, quam mihi Poliarchus frater tuus inter-
ueniente iuramento sacrisque sponsionibus futuram
addixit coniugem? quam ego in Gallia quæsiturus cum
classe profectus sum ex ipsa vsque Mauritania, cum te
quam quærebam, domi meæ haberem? o Elisa, vel po-
tius Cyrthea mea, ignosce, quæso te, ignorantiæ meæ, vt
& ignorantiæ matris meæ, quæ votis meis obstitit, ne te
afficerem iis honoribus, quos & genus, & virtus & digni-
tas tua merebantur. Euge te bellam illam virginem Ar-
gerianam, patre natam mercatore, cuius mater pauper-
cula esset vidua. Deum immortalem! quam miris artibus
vsa es in dissimulando quæ esses, peregrina, incognita,
captiua, rea incestus, supplicio capitis destinata: inter quę
omnia tamen dira infortunia ita te gessisti, vt ipsum Prin-
cipem, qui tui potestatem habebat, captiuum faceres,
tibique mancipares. Ita ne me tanto tempore decepisti,
ô Cyrthea, spes vnica vitæ meæ, meum solatium, cum
sineres me te velut alienam amare? sustinuisti videre
languores meos, mentis meæ ægritudinem, amoris non
perfunctorii apertissima indicia; nec aperuisti mihi te i-
psam, quæ res tamen cum gloria & honore tuo coniun-
cta, mihi quoque magnum interni doloris præstitisset
leuamen? Sed quid opus est verbis? occultasti tu hęc mi-
ra vafritie, cælasti me, neque negare potes, nisi excusare
forte velis errorem tuum, quod tamen ipsum facere
non poteris, nisi grauiorem incurrere velis. Ita ne tibi
cor Adamante quouis erat durius, vt ne semel quidem

xerat, ipſam Cyrtheam eſſe, ſeque amare illam, quam ſolam amare debebat, cum non eſſet alia aut diuerſa ab ea, quæ ipſi paulo poſt auſpicatiſſimo erat coniungenda matrimonio. Mira ratio eſt illius catenæ, qua colligantur amantes. Hæc enim cum affixa ſit pulchritudini quam expetunt, contrahit ſe & fit breuior per eumdem illum amorem, per quem extenditur, donec ad centrum ſuum redeat. Formæ venuſtas inſtar ſolis alicuius eſt, qui radiis ſuis ſurſum attrahit vapores, id eſt affectus amantium puros & inculpatos, ipſum quoque cor terræ ad ſe eleuat, non obſtante immenſo ac naturali illius pondere. Sic Archombrotus, cui linguam iniecto capiſtro Cupido ligauerat, nullum quidem verbum protulit; deſertis autem omnibus, qui ipſi de more ac honoris ergo adſtabant, celeriter ſe contulit ad chariſſimam ſuam Eliſam, quam arctiſſimis alligatam complexibus, raptus extra ſe gaudii magnitudine, aliquandiu intra brachia tenuit, antequam verbulum fari poſſet. Tantum autem percipiebat Rex iuuenis ex inſperato gaudio & ſuauiſſimis amplexibus delectationis, vt curas atque cogitationes ſuas à tam delectabili obiecto alio diuertere ei minime vacaret: cumque altum teneret ſilentium ſatis tamen euidenter loquebatur, quæ agitaret intra pectus ſuum. Et moriturum illum fuiſſe puto in mediis delectationibus, niſi metus mortis, qui ipſius pectus ante occupauerat, quam hoc tantum bonum apprehenderet, vetuiſſet vitæ diſſolutionem. Tandem velut recepto ſpiritu pauliſper interquieſcens, dimiſit eam è brachiorum nexu, intuitusque ridentibus oculis, rurſus in collum eius irruit, quaſi prius oblitus fuiſſet eam complecti.

At regina graui iam dudum ſaucia cura,

etſi ſe agnitam fuiſſe nondum ſenſerat, tamen cum videret hominem non vſitato in ſe ferri affectu, quid diceret non inueniebat, cum neſciret cauſam tantæ muta-

tionis

tionis in illo, cuius iam ante tot experimentis didicerat verecundiam. Stabat igitur eum subinde adspectans, eratque inops consilii, & ignara quid faceret. Tandem cum loquelæ potentiam nactus fuisset, Archombrotus; poteſtne, inquit, aliquis ad felicitatis meæ perfectionem accedere cumulus, poſtquã te (ô mea vita) volentibus diis intra triremes meas teneo? Tune igitur Cyrthea es, ea ipſa, quam mihi Poliarchus frater tuus interueniente iuramento ſacriſque ſponſionibus futuram addixit coniugem? quam ego in Gallia quæſiturus cum claſſe profectus ſum ex ipſa vſque Mauritania, cum te quam quærebam, domi meæ haberem? o Eliſa, vel potius Cyrthea mea, ignoſce, quæſo te, ignorantiæ meæ, vt & ignorantiæ matris meæ, quæ votis meis obſtitit, ne te afficerem iis honoribus, quos & genus, & virtus & dignitas tua merebantur. Euge te bellam illam virginem Argerianam, patre natam mercatore, cuius mater paupercula eſſet vidua. Deum immortalem! quam miris artibus vſa es in diſſimulando quæ eſſes, peregrina, incognita, captiua, rea inceſtus, ſupplicio capitis deſtinata: inter quę omnia tamen dira infortunia ita te geſſiſti, vt ipſum Principem, qui tui poteſtatem habebat, captiuum faceres, tibique mancipares. Ita ne me tanto tempore decepiſti, ô Cyrthea, ſpes vnica vitæ meæ, meum ſolatium, cum ſineres me te velut alienam amare? ſuſtinuiſti videre languores meos, mentis meæ ægritudinem, amoris non perfunctorii apertiſſima indicia; nec aperuiſti mihi te ipſam, quæ res tamen cum gloria & honore tuo coniuncta, mihi quoque magnum interni doloris præſtitiſſet leuamen? Sed quid opus eſt verbis? occultaſti tu hęc mira vafritie, cælaſti me, neque negare potes, niſi excuſare forte velis errorem tuum, quod tamen ipſum facere non poteris, niſi grauiorem incurrere velis. Ita ne tibi cor Adamante quouis erat durius, vt ne ſemel quidem

ingemiſceres meis doloribus, quos mihi afferebat tua præſentia? Vidiſti me amore tui tantum non contabeſcentem, Cyrthea, vidiſti inquam, remedium afferre potuiſti, nec tamen feciſti. Miror mehercule, quo pacto tanta crudelitas in tantam venuſtatem cadere potuerit, vt videns coram non moderatis exuri cor meum flammis, ne guttula quidem vnica ſolatii inſperſa, aut commodo verbo id refrigerare fueris dignata. I nunc quo lubet, per me enim licet, poſtquam te expertus ſum inimicam, quæ me tamdiu patriam genuſque tuum celaueris. Quo pacto enim te amicam credam, quæ mihi tot menſibus aſſumto falſo filiæ mercatoris nomine impoſueris? Hæc autem omnia, & ſi talia ſunt, vt non iniuria tibi ſuccenſere poſſim, magnitudo tamen amoris, quo tibi deuinctus ſum, cogit me, vt hoc quicquid eſt offenſæ, lubens condonem. Amor inquam detractam fronti ſuæ tæniam meis imponet oculis, vt non videam tam graphicum errorem tuum, quem quidem impunitum nemo dimittere poſſit, niſi cui amor ſenſum acerbitatis excuſſerit animo. Hæc locutus conticuit.

Eliſa non minus delibuta gaudio, admirabatur tamen quo pacto quænam ipſa eſſet, palam factum fuiſſet: cumque videret Archombrotum ſimulare iracundiam, quam riſus admiſtus facile proderet eſſe fictam; ſtatuit apud animum ſuum ſimulationem ſimulatione eludere, & in ipſum actorem crimen retorquere intentatum. Tu vero, Domine, inquit, quod ſupplicium te meritum arbitraris? aut quæ pœna expiabit crimen tuũ? tuum inquam, qui omnes cæteros reos & affines grauis culpæ exiſtimas? Nimirum hic eſt magnus ille Siculorum Maurorumque Princeps, qui iter nauale ſuſcepit in Galliam, vt ibi duceret Regis filiam vxorem, Poliarchi inquam ſororem: cui tantilla mora viſa eſt longa, niſi interim puellam Aſiam, mercatoris Argeriani filiam deperi-

deperiret. Vbi in posterum quæremus fidem, *dictorum factorumque constantiam & veritatem*, si ea in ore & pectore tam generosorum hominũ, imo virorum principũ periit? Sed mittamus sane hæc: quam dignum erat, tam cordato, tam alti spiritus, demittere se ad eam vilitatem, vt affectus & vota sua in negotiatoris filia consumeret. Apparet, me Diana, totum mundum inuersum esse. Inuenias homines humili genere natos, adeoq; ex plebeio ordine, qui ad illustrium Regiarumque fœminarum Hymenæos, nescio qua spe, adspirare audent: & viri Principes amplexus suos in pergulas & tabernas institorias mittunt. At amasti me. Credam sanè. At amare non poteras sine iniuria, qua afficiebas sororem Poliarchi. Quorsum igitur attinebat tot me onerare promissis, additis iuramentis, quibus Cœlum ipsum testabaris, non discessurum te vnquam ab amore meo, quem integrum illibatumque seruare debueras alii? Quicquid feceris, quicquid dixeris, semper oportuit Gallicanam puellam potiore apud te fuisse loco quam Argenianam. Sed vt causam tuam ipsa adiuuem, fortasse voluisti Europæarum venustatem puellæ Africanæ pulchritudine obscurare: fortasse voluisti ostendere, habere Numidiam Mauritaniamque formas, nequaquam (vt vulgus iudicat) contemnendas, sed dignas quibus faueant Principes viri, non minus quam quæ per Galliam Germaniamque occurrunt.

At maximo mihi solatio est, nihil sinistri aut turpis affectasse te amore illo tuo: quod si honestatis pudorisque limites egredi tentasses, iam spondeo tibi ac respondeo, te inanem ventum loco præmii reportaturum fuisse, & pro æsculea coronam iunceam. Potuistine vnquam tibi polliceri, charissime Archombrote, eam quæ hactenus, tot potentissimorum & nobilissimorum hominum repudiauerit etiam cum vitæ periculo, consortia, tam fa-

cile tuis succubituram desideriis? Amo te, & verè amo, vt citra ambages loquar, & ideo potissimum amo, quia dignam me amore & coniugio, Regis æstimo: quæ sum & filia & soror magni regis. Saltem si nihil aliud, poteram te amare vt fratrem, quem scio tantopere diligere Poliarchum & vicissim ab hoc diligi. Et profectò nescieueram, ausum fuisse fratrem meas vlli mortalium polliceri nuptias; vtique me consilii huius ignara.

Hæc autem non eo dico, quod improbem: gnara enim sum eum non minus regem meum esse quam fratrem, qui absoluto possit in me vti imperio, & cuius contradicere voluntati nefas, & cum hæc omnia minimè ignoratem, tamen mirabar. Non negauerim quidem, Galactionem mihi quodam die recitasse, intercessisse pacta quædam inter fratrem meum Poliarchum & Argenidem sororem tuam, sed narratio eius erat tam rudis, vt dicere non posset quibus conditionibus fœdus tanti momenti inter vos coaluisset.

Porro, non diffiteor me amare Archombrotum, & amauisse àntequam scirem me illum amare debere; & nunc quidem magis amo, postquam me ei in matrimonium promissam intelligo. Sic igitur in fatis erat, vt Siciliæ Princeps in vna duas amaret, & puellam Afram Argerianam, & Regis Galliæ filiam. Vt autem verum fatear, nunquam negabo, ingentes me tibi debere gratias, Domine, quod me etiam sub tam humili & vili schemate tamen fauore tuo dignam iudicaueris: nec vlli alii rei quam mentis tuæ generositati acceptum ferendum arbitror, quod me peregrinam & ignotam, & criminis insuper ream, tanta complexus sis beneuolentia.

Ne quid autem desit huius lætitiæ fastigio, condono tibi charissime Archombrote, omne crimen, omnemque culpam, qua ego te offendi, hac tamen lege, vt si quid in te designauerim pœna supplicioque dignum, acquietura

quietura sim, si fassus delictum misericordiam meam implores. Rides, anime mi? atqui hæc mihi videtur optima ratio tollendi offensas reciprocas, ne quis quicquam posthac habeat, quod alteri exprobret. Sic & nobis recte consuluerimus, & non interturbabimus lætitiam publicam. Sed de Argenide, quæso, adestne nobis? cur non imus? cur non amplectimur illam & osculamur? quid nos moratur? Quid autem dictura es, mea lux, respondit Archombrotus, vbi videbis tibi præsto esse Galactionē cū Gobria? Galactionē illum inquā, quē cum quęrerem⁹ in Africa, in mari Tyrheno offendimus, qui nos ea impleuit lætitia, quā tibi non friuolo omine pollicebaris, si in illum ex itinere incidisses? Elisa cum ad superiorē lætitiā tam locuples choragium accedere animaduerteret, continere se amplius non potuit, quin complexa & osculata sponsum suum, celeriterque à puppi, vbi ad id horæ constiterat, procurreret, salutatura Argenidem simul & Galactionem, qui nondum naui Ægyptia exiuerant, vt hos in Archombroti nauim deducerent.

CAPVT SECVNDVM

PERIOCHE.

Classis Archombroti fœda tempestate afflictatur & dissipatur, auulsa ipsa regis prætoria triremi ex cæterorum conspectu: vnde puellæ regiæ in summum mœrorem coniiciuntur. Archombrotus circum ignota errans littora, exploratores mittit ad cognoscendam terram. Tandem ad classem reuerso eo, fasciculus literarum aquis extractus, fit index rerum per Galliæ

Galliæ regnum, & consiliorum ac machinationum Ambiodorigis.

INterea dum omnia lætitia, plausibus, ac risu perstrepunt, quasi Hilaria agitarentur, ipso quoque Æolo Neptuni consensu, mari miram tranquillitatem præstante & velut colludente, repente signa magnæ tempestatis ab insulis Balearicis apparuerunt, vnde nautæ omnesque rerum marinarum gnari non leue periculum ingruere vniuersis præsagiebant. Nec vanum fuisse vaticinium mox patuit. Venti enim cum repente inualuissent, mare adeo turbatum est, vt in fluctus metuendos consurgeret: erant qui dicerent indignari Neptunum, quod Cupidinem in suo, id est, æquoreo regno dominantem impatienter ferret. Certe tanta vis fuit tempestatis vt nec Gubernator quæ vellet, quæque ex vsu forent, præcipere, nec nautæ remigesq; imperata facere possent. Præfecti classis magis soliciti erant de rege virginibusque regiis, quam de propria sua salute, quæ res augebat illis formidinem, vt plane inopes essent consilii. Nauarchus ipse metu consternatus dubius pendebat animi: aliis vociferantibus, aliis præ formidine mortis ne vocem quidem aut verba expedientibus. In vniuersum quicquid in tota classe erat nautarum, remigum, vectorum, sublatis in cœlum oculis, nullam nisi quæ inde sibi adueniret, videre se spem significabant.

Ipse Gubernator puppi sic fatur ab alta
Pallidior buxo; Non nisi mihi Iupiter auctor
Spondeat hoc sperem littus contingere cœlo.
Mutati transuersa fremunt, & vespere ab atro
Consurgunt venti, atque in nubem cogitur aer.
Nec nos obniti contra, nec tendere tantum
Sufficimus, superat quoniam Fortuna. ---

Ad hanc Gubernatoris vocem, quibus aliquantulum fiduciæ

duciæ aut animi superfuerat, spem omnem abiicientes, haud dubiæ se parabant morti, triremem quisque suam, cum cymba Charontis mutaturi. Et sane tanta erat tempestatis atque turbinis vis, vt disiectis nauibus, Prætoria triremis, qua ipse vehebatur Archombrotus, vltra sex horas è reliquarum auulsa conspectu, non compareret, maximo cum Elisæ, Argenidis, Gobriæ, & Galactionis dolore, qui cum cæteris omnibus prope certum naufragium ante oculos videbant, eratque plane formidanda rerum species. Diceres fata hos tam illustres homines in vnum locum ideo conduxisse, vt ibi omnes iisdem aquis hausti, eodem mortis genere sublati, idem inuenirent mare sepulchrum. Habebat quisque quem lugebat: Argenis ante omnes à Polyarcho se auelli dolebat, etsi absente, quæ ea sola spe hactenus vixerat fore vt ipsi coniungeretur. Elisa in oculis, ore, suspiriis, solum ferebat Archombrotum, formidans, ne alicubi in scopulos aut breuia illisus, vi fluctuum rupta naui mergeretur: quod si fieret, iam certa erat ipsa quoque voluntarium fa.ere naufragium. Parum aquæ videbatur habere mare, nisi mulieres effusis lachrymarum imbribus eas auxissent, velut auxiliaribus vndis. Et sane tam larga manabant oculi eorum pluuia, vt diluuium potuissent gignere in cordibus omnium, qui vnquam imperiosum subiuere amoris iugum. Ipsum cœlum, quod cæruleam vestem in pullum funebremque amictum mutauerat, videbatur earum condolere fletibus, & tonitrua nescio quid lugubre aut flebile sonabant obtuso quodam boatu id agentia, vt puellarum planctus gemitusque exaudiri possent. Erat autem

Vnica spes cunctis nullam sperare salutem:

habebaturque vulgo grande solatium, quod perituris vel hoc saltim indulsissent acerba fata, vt valedicere sibi possent antequam proficiscerentur ex ærumnosa hac vita.

vita. Postremo, cœlum quasi fatigatum expugnatumque tot clamoribus, planctibus, lacrymis & eiulatibus, serenam recepit faciem, & Sol indignatus, impeditum se hactenus spisso atrarum nubium sepimento, ne venusta illa intueri posset lumina, ruptis obstaculis densisque vaporibus lumen terris reddidit.

Extemplo profligatis nocturnis tenebris, dies serenior mari illuxit, non item regiis puellis, à quarum animis nondum abstersæ erant tristitiæ tenebræ. Amissa ex oculis Prætoria Archombroti triremis, nouos fluctus nouas tempestates in mentibus earum excitauit, vtique postquam Trierarchæ, reuersa serenitate, omnes conuenire iusserunt naues, & sola Prætoria non comparuit. Ventorum enim vis eam abripuerat in mare Gallicum longius, iuxta promontorium ad Frontinianum, vbi littus adiri non poterat propter scopulorum multitudinem, qui partim sub aquis latebant, partim eminebant. Archombrotus igitur cum exscensionem ibi facere non posset, coactus est littus legere, vsque dum peruenisset ad Anguilladam, quæ parua est Insula ad ostium Rhodani, vbi is fluuius aquas suas in mare mediterraneum præcipitat. Cum autem appulisset, misit continuo qui recognoscerent terram, iudicauitque non inepte, locum illum, si ex disciplina Architecturæ militaris, opere, manuque muniretur, expugnatu fore difficilimum. Omissa autem Insula, cum leuari iussisset Anchoras, omni studio ad classem contendit, vt se denuo cum illa coniungeret. Cæterum hoc ei tam facile factu non erat, vt existimauerat, nondum enim conquieuerant fluctus, sedata maris iracundia, qui aliquoties nauem eius magno impetu ad continentem adigebant, vt non semel ad vicinas rupes magno cum periculo allideretur. Subducta naui denuo misit, qui terram cognoscerent, simulque captarent, si quid rerum nouarum ex incolis de statu rerum

per

per Galliam discere possent. His facti obuiam duo pauperes Annonarii ab Arelatensi ciuitate, narrabant, se ab exercitu venire: Poliarchum plerasque vrbes regni sui recuperasse, ipsamque iam obsidere Massiliam, in qua vrbe ipse esset Ambiodorix cum flore copiarum suarum & Regina matre, quæ ibi attineretur in custodia. Plerosque autem existimare, non longam fore obsidionem, quod Poliarchus summis viribus oppidum aggrederetur, nihilque ad summam diligentiam faceret reliqui, adeo vt iam tormenta machinasque, exostras, sambucas, turres, tollenones aduersus muros ciuitatis magna cum cura erexisset. Reuersi ad Archombrotum Speculatores, magno virum tam desiderato nuncio, affecerunt gaudio. Vnde longioris moræ impatiens, etsi nondum omnino desæuiisset tempestas, iussit remiges omni vi incumbere remis, vt vel inuito Æolo triremem in apertum pelagus adigerent, qui sumpto ex regis cohortatione velut celeusmate animo, tam valide impulere nauem, vt paulo post cum reliquarum nauium classe coniungeretur. Et alii quidem magis alii minus lætabantur: At Argenis parum abfuit quin moreretur præ gaudio, vt olim duæ illæ Matronæ Romanæ, receptis præter spem ex clade Cannensi filiis. Quanquam, si verum fateri volumus, eo tempore demum viuendi causam inuenerit, audito nomine Poliarchi, & felicibus eius expeditionibus. Nec contenta præsenti fortuna, lætitiam cum spe miscebat, fore vt cætera quoque ad vota & sententiam Sponsi sui perficerentur. Elisa, vt ex Archombroti periculo & absentia plus doloris perceperat, ita plus iam ex ipsius prospero reditu percipiebat gaudii. Abstersis igitur lacrymis, extersisque ocellis, ac purgata à tristitiæ nebula niuea fronte, ingenti cum hilaritate amatorem suum excepit. Ne tamen absolutum plenumque esset hoc eius gaudium, effecit nuncius de captiuitate matris,

quæ

quæ intra manus & potestatem crudelis Tyranni constituta, cogi ab eo poterat, vt aliquid faceret diceretque, quo Poliarchus ab inferenda vi vlteriore cohiberetur, reuerentia matris absterritus. Nec enim quicquam est tam absurdum, aut ab officio boni viri alienum, ad quod non adigat ambitio, si ea ratione speret obtenturam se principatum: nec vlla tam periculosa res excogitari potest, quin homo ad desperationem redactus audeat aggredi, si aliter tueri conatus suos nequeat.

Hæc non vana fide credi sequens exemplum documento fuit. Vnitis iam nauibus & integrata classe, præfectus triremis Ægyptiæ, qui & ipse in partem gaudii ac lætitiæ publicæ venerat, videt fasciculum aliquem, quem litterarum suspicatus est, innatantem vndis marinis. Imperat extemplo duobus nautis, natandi admodum peritis, vt exciperent quicquid foret. Hi executi gnauiter mandatum, ad præfectum retulerunt, quas nacti fuerant epistolas. Is rem publicæ considerationis ratus, censuit non clam habendas, sed in publicum proferendas esse. Ad Archombrotum igitur propere se conferens, exhibuit fasciculum, qui præsentibus nobilioribus è classe resignauit vinculum. Statim à principio obtulit se epistola cuius hæc erat epigraphe. Ambiodorix Rex et hæres legitimvs regni Galliæ, Ligvrvm Regi S. D. Argenis & Elisa, cum metuerent nescio quid noui subesse periculi, nitebantur opprimere epistolam ne legeretur.

Archombrotus vero, vix oculis suis credere poterat, cum ea videret ad hunc modum scripta. neque enim tam cæcum & profligatæ verecundiæ fore Ambiodorigem arbitrabatur, vt hunc sibi demens vsurparet titulum. Cum autem in vrinatorem Ægyptium, qui litteras primus natando interceperat, nulla fraudis aut locatæ operæ suspicio cadere posset, & Gobrias insuper confirmaret,

maret, quam furiosa & perdita esset hominis ambitio, vt nihil in se haberet absurditatis, eum tales ausum scribere epistolas: perlecta est Epistola quæ talis erat.

CAPVT TERTIVM

PERIOCHE.

EXemplum litterarum Ambiodorigis, quibus opem auxiliumque ab Ligurum rege petit, ad faciendum Poliarcho bellum, rogatque locum ac latibulum fugæ.

Si is esset fortunæ meæ captus, vt amicis parcere possem, nunquam committerem, vt tibi vllo pacto molestus essem. At nunc, ô Rex, extrema, in quam sum redactus, necessitas, cum nec à cælo nec ab hominibus quicquam sperare possim auxilii, cogit me ad tuas opes confugere. Nolueram enim hactenus tibi importunus esse, sed id egeram, vt tibi religiose parcerem: vti reuera ex omnibus, qui Gallicano nomini confœderati sunt, postremus es qui de auxilio appellaris. Si igitur te conniuente fiat, vt alieni regni vsurpator meam inuadat hæreditatem, & ego tuo destitutus auxilio, meo pellar patrimonio: etiam atque etiam cauere te velim, ne per eundem tibi simile quippiam contingat: nam

Alterius damno sapiens auertit suum.

Quid si me fata ad has deduxere calamitates, vt ita periclitarentur animum tuum, & ostenderent mundo, quam cordatus sis in propinquorum periculis & fidelis in amicitia? Meministi opinor, quid nuper ad te scripserim:

scripserim: Poliarchum in via esse ut redeat in regnum hoc: qui nulla alia causa aliquandiu abesse voluit, quam ut illud absentia sua redderet perturbatius & calamitosius. Imperita plebs inescata blanditiis eius, excantata promissis, velut carmine aliquo magico, aduentantem ambabus vlnis excipit, aperit oppidorum vrbiumque portas, agnoscit Regem, colit omni honorum genere: vnum ius regni, quod penes me est, dare ei non potest. Is igitur cum valido exercitu obsidet me Massiliæ, quo me receperam, vt experirer iure legitimo aduersus Reginam captiuam conuictamque, quod effascinauerit filium regem, supposito sibi Poliarcho pro legitimo infante: quod eius iussu & auspiciis consanguineus meus morte affectus, Cyrthea autem negligentia eius amissa sit, finxeritque me illam vi voluisse ad mihi nubendum adigere. Accusabatur etiam aliorum criminum nomine, inter quæ præcipuum erat, quod percusserit fœdera cum iis, qui diuersos à nostris colendi Numen obseruant ritus atque ceremonias: Sed superiora illa euidentiora sunt, possuntque sua fœditate instar cæterorum omnium esse. Ob hæc flagitia dignum de ea supplicium sumere conantem impedit Poliarchus, qui cum exercitu suo oppidum ab omni parte cinxit. Hinc ego iam, quod dicitur, inter sacrum & saxum hæreo, dubius animi, quodnam sequar consilium. Vtrum debeam ad te proficisci, & vrbem furori populi & ludibrio Poliarchi expositam relinquere, an illi conseruandæ custodiendæque manere. Fert animus ad te ire, vt instructus firmiore & fideliore exercitu post in

Regnum

Regnum redeam. Suadent alia commorari in hac urbe, inter tot pericula, & extrema quaeque sustinere, tuumque praestolari auxlium, quem cum firmis suppetiis tempori adfuturum non dubito, ad leuandam graui obsidione ciuitatem. Interea (si hoc placuerit consilium) mittam ad te ipsam reginam, cum libello accusationis & indicibus, vt ibi in loco libero & à violentia immuni legitime condemnata, quas meruit, sustineat pœnas. Quicquid autem futurum est, siue contingat me ipsum ad te proficisci, siue hîc manens Reginam mi- sero, peto vt aliquot huc mittas triremes, quæ mihi in omnes casus præsto sint. Maturato autem opus est, antequam classis, quæ ex Sicilia & Mauritania hoc æquor breui, ut accepimus, nauigatura est, ad has oras appellat, nisi forte in te aliquid opis est, vt tu opposita alia classe illam repellas aut à continente arceas. Postremo oro te, fac vt paratus sis, vel me ipsum in regno tuo hospitem excipere, vel certe reginam captiuam.

Perlecta hac epistola, nemo erat ex omni principum aut sociorum numero, quin ipso animo cohorresceret: ita attenti erant ad singula quæ legebantur verba. Ea igitur bis terve perlecta, vt quæ obscuriora videbantur, intelligi recte possent, soluto vinculo alia aperta est, quam ad vitricum scripserat in Corsicam Insulam, cuius hoc erat argumentum: Daret operam, vt quam maximam vim auri & argenti mutuo sumeret ab amicis, nec ab his solum, verum ab omnibus, summis, infimis, vt posset stipendia soluere militibus, quibus alia ratione promptis alacribusque vti non posset. Deliberatum inde est satis diu, quid faciendum esset. Archombrotus, in

cuius ſententiam Gobrias & Præfectus Ægyptius ibant, indicia hæc minime negligenda rebantur, nec cunctandum in re tanti momenti. Tandem ſenatuſconſulto cenſuerunt, tenere cum claſſe vicina littora, & obire nauibus, ſi quod forte ſe offerret nauigium, vnde certi aliquid de literis illis haberi poſſit. Si hoc non ſuccederet, expectandas oppugnandasque triremes Ambiodorigis, ſi forte è portu Maſſilienſi prodire auſæ fuiſſent, in quo hactenus ſub anchoris conſtiterant.

CAPVT QVARTVM

Perioche.

Hoſtilis claſsis nuncius primum Archombrotum percellit, qui paulo poſt recepto animo, ſocios ſuæ claſsis ad virtutem cohortatur. eius oratio militaris.

FLuctuantibus ad hunc modum nauibus viriſque, nec gnaris in quam ſe potiſſimum partem verterent; quidam è numero nautarum ab ſummo Carcheſio alta voce proclamauit: videre ſe non exiguum nauium numerum in alto mari, quas curſus indicaret venire ab littore Gallicano. Nihil gratius potuit accidere Archombroti auribus, vtique cum ſciret, Poliarchum iam in continente votorum ſuorum ſummam pene aſſecutum, iſtud ſolum deſiderare, vt hoſtes terra hactenus inferiores, etiam marina pugna vincerentur. Quæ ſi ſecunda foret regi Siculo, non dubitabat, quin in Gallia debellatum eſſet. Non ignorabant Argenis & Eliſa, ab hoc prælio nauali omnem dependere Poliarchi felicitatem: & quia Mars ferę dubius eſt, conabantur omnibus viribus Archombroto

chombroto dissuadere, ne subiret tam periculosæ pugnę aleam. Quid enim aiebant, attinet, vt gloriam tuam, qua plerosque reges nostri temporis aut superas aut æquas, in periculum adducas pugnando cum fugitiuo isto? atqui certum est illum paulo post sponte sua ruiturum.

Quod si tantis viribus se oppugnari à te senserit, faciet quod desperati aleatores solent, qui ad incitas redacti, postquam res suas in extrema tegula versari sentiunt, in nouissimum iactum omnes suas spes atque fortunas conferunt, non quod sperent victoriam, sed vt, si possint, antagonistam secum perdant: quanquam hic mos gladiatoribus fere magis conuenit. Non longe absumus à portu, quem ingredi animus est: nisi tu feceris, Archōbrote, vt non necessarium faciamus naufragium. Omittes igitur, si nos audies, hominem desperatum, & abiecta vltima spe, è regno fugientem, qua quidem vna re Poliarcho nihil contingere potest gratius, si inimicos sibi terga vertentes & Galliam deserentes videat. Vel sane postquam malus eius Genius illum deserto sicco elemento in humidum & fundo destitutum adegit, relinquamus illum suis fatis, quæ non dimittent impunitum caput diris furiisque debitum. Fugiat igitur dum licet, at non effugiet carnificem, quem secum trahit, propriam dico conscientiam. Tormentum hoc maius est, grauius est, diuturnius est, quam scaphisimus Persarum aut Taurus Perilli, aut denique vllum,

Quo maius Siculi non inuenere Tyranni.

Quin nos id potius agimus; properemus quanta possumus celeritate portum Massiliæ subire, vt Poliarchum læto beemus nuncio de fuga aduersarii sui, quod quidem, vt fert sententia, longe melius futurum est, quam si manipulum fugitiuorum latronum persequamur, in quibus vincendis, demergendis, delendis multum habituri sumus laboris & periculi, gloriæ & honoris vix quicquam.

 Patuit

Patuit hic quanta sit Amoris potentia: Is enim prope solus nouit fascinare generosiores spiritus, & excutere arma è manibus pugnacissimorum quorumque. Patuit hic Elisæ imperium in Archombrotum, quem tot persuasionibus velut captum in suam paruo labore pertraxit sententiam, vt gladium, quem haud ita pridem vagina extraxerat, denuo reconderet, vtique cum ea, quæ cordi eius erat dilectissima, tot pericula proponeret amasio, si pergeret subire pugnæ aleam cum fugitiuorum & desperatorum manu. Sed rursum, idem Amor cœcus est & infans, vt ductore & magistro opus habeat, qui eum exorbitantem in rationis tramitem reducat. Dixerant sententiam mulieres, & credebantur dixisse non adeo absurda: cum Gobrias & Galactio surgentes Archombroto ob oculos posuerunt gloriam certamque victoriam, quæ ex hac pugna ad ipsum reditura esset. Rogabant igitur, annon succurreret, eo potissimum fine cum classe ab Sicilia & Mauritania exiisse, vt inimicum quæreret: quem nunc inuentum negligentia vix ferenda elabi sineret? Quid enim turpius fingi posse, quam videre ante oculos suos impune prætereuntem Ambiodorigem, quo nullum vnquam Gallia habuisset acerbiorem hostem: quippe qui regnum ipsamque vitam appetiisset Poliarchi & matris eius Reginæ? Quid enim, si forte Reginam, miserrimam sane matronarum, nauigio impositam secum traheret, vt in illam, satis hoc nomine infelicem, despumaret rabiem suam, quam in liberos eius exercere non potuit? Persequendum igitur eum esse summis viribus, haud secus ac piratam & latronem, incendiariumque ac hostem declaratum patriæ suæ. Neque vero credendum esse, si Poliarcho de ipsius fuga constitisset, eum tam exiguo labore euasurum fuisse. Sed verborum (aiebat Galactio) compendium faciendum esse, sic igitur stare sententiam: quicunque viuum ceperit

Ambiodorigem, is optime merebitur de Rege, de patria, de vniuersa Gallia, magnamque auferet gloriam. Cogitaret saltem, quantis periculis sit expositurus omnes in vniuersum Gallos, si hoc portentum & fatale Galliæ malum sinat elabi, quem tamen hominem, si virtute & iustitia duce aggredi vellet, nullo prope sit victurus & deiecturus negotio.

His auditis Archombrotus grato virtutis colore suffudit genas, fassus ingenue, parum conuenire inter se Cupidini & Marti. Recepit igitur pristinam vsitatamque animi magnitudinem, vocatoque Nauarcho Ægyptio optionem dedit, vtrum vellet in tuto consistens pugnæ spectatorem agere, an vero eandem secum fortunæ subire aleam, postea ipse se cum suis ad prælium nauale præparauit. Constabat vero classis eius è centum sexaginta nauibus maioribus minoribusque, in quo numero erant viginti quinque onerariæ grandiores cum plerisque triremibus, celocibus, Liburnicis, myoparonibus, actuariis, quibus accedebant tres naues Ægyptiæ, quæ præsidio fuerant Argenidi, nauigationisque sociæ, prætereaque triremis vna Gobriæ. Media huius classis pars isthmum quendam siue locum bimarem tenuit ad Antipolim oppidum maritimum, vt ibi laterent in occulto, ne ab Ambiodorigis nautis conspici possent, sed vt conserta pugna in imparatos irruere possent. Præfecto nauium Ægyptiacarum dextrum latus, Gobriæ sinistrum tuendum datum est, attributo cuique æquali nauium numero, Galactio primum agmen duxit, longo spacio socios antegressus, vt primus hostem aggrederetur, & in medio pugnæ feruore simulata fuga hostiles naues in insidias protraheret.

Aneroestus senior, cum regiis puellis vastæ quinqueremi impositus est, addito sufficiente sagittariorum cæterorumque militum numero, qui illis, si vsus posceret,

præsidio essent. Hæc nauis in extrema acie post cæteras omnes consistere iussa est. Archombrotus cum Prætoria sua mediam ductabat aciem, omni annixus ope, vt quam optime tenerent ordines, & ita includerent inimicos, ne quis euadere posset. Hinc per omnem classem volitans cohortabatur cum ductoribus ordinum ipsos milites, si quos timidiores aut remissiores animaduertebat: eos vero quos bona spe de victoria plenos & alacres videbat, collaudabat, simulque ad virtutem incitabat: qui boni militis fecissent officium, eos immortalem manere gloriam innuens: si milites classiarii fuissent, opima pollicebatur præmia: si remiges aut serui, proponebat iis libertatem. Erat autem summa Principis huius facundia, vt timidissimo cuiquam potuisset animum oratione ad virtutem excitare, vt non modo non detrectaret prælium, sed vltro signum pugnæ postularet. Fluebat autem ex ore eius largus eloquentiæ fons, qui animos militum in quamcunq; partem rapere poterat, vt nullum in eius honorem detrectarent periculum. Nec minus ferebat fulmen in ore quam in dextera: breuiter, vt Amor insidebat in eius oculis, ita Mars in manibus, Suada vero in labris.

Bono animo, (aiebat) socii & amici mei: Bono animo. Vltimus hic dies illuxit laborum miseriarumque vestrarum. Nec enim sine singulari fauore cæli factum arbitramur, vt infelices illi fugitiui in vnum velut globum compacti nobis offerantur, quo eodem in loco cæsi fugatique vltimam vobis de hostibus Galliæ in manus porrigant victoriam. Idipsum enim quod Poliarchus socius plerisque per Regnum suum principibus proceribusque, omnibus optauit votis; quo nomine cum vniuerso exercitu hactenus laborauit; propter quod

tot

tot vigiliis, periculis, laboribusque, seque copiasq; suas exposuit: idipsum inquam vobis hodierna dies offert, sine præuiis molestiis sudoribusque, vnde non dubito, quin vobis ingens sit prouenturum emolumentum.

Quantillum enim superest temporis quod felicitatem vestram remoratur: ibi demum recte collocabimus labores nostros viæque pericula, si eorum finem nobis proponamus in gloriosa de hostibus victoria. Felix euentus vnius velitationis, vnius leuioris pugnæ finem imponet longo illi & laborioso bello. Adeste igitur, socij & amici mei, accingite vos ad fortiter agendum, castigate fugitiuorum istorum malitiam, sumite de illis dignum supplicium, adiungite ad veterem gloriam, quam in Sardinia Insula acquisiuistis, victoriam huius prælii, ostendite vestri animi magnitudinem, augete decus & honorē vestrū. Persuadete vobis, hanc velut nouissimam pugnam, colophonem, coronamque fore omniū cæterarum victoriarū, quas hactenus virtute vestra meruistis. Neque vos moueat, quod multi sunt qui nos fugiunt: sint multo plures, dummodo fugitiui. Quales autem isti sint, quibuscum præliaturi estis, accipite. Timidissima capita metuerunt mortem intra munitæ vrbis mœnia: quam vt effugerent, maluerunt se credere muris ligneis. In fixo stabilique continentis solo pugnam detrectauerunt, quasi firmius impressuri sint vestigia in marinarum aquarum molli sustentaculo. Sed profecto est vt dixi, vis Fati eos traxit huc, vt iugulati vestris manibus, expertes terræ ad tumulum, vndas marinas inuenirent sepulchrum.

Fugiunt vt se subtrahant ab obedientia Poliarchi, sed non subtrahent se à morte, quam vestræ ipsis afferent manus. Annon satius fuisset, si se potius credidissent clementiæ victoris, quam arbitrio manibusque hominum peregrinorum? Sed, vt dixi, vis fati excæcauit eos vt cædantur à vobis, qui iam propria ipsorum malitia cæsi victique sunt:

Ne igitur quærite, quam multi sint, sed vbi sint hostes: tanto enim illustrior futura est vestra victoria, quanto maior est inimicorum numerus. Reuocate vobis in memoriam gloriam & honorem communis nostræ patriæ, in cuius partem vos cumprimis venturi estis, meique ipsius famam & exstimationem. Neque vero postulo, vt pugnantes in alios potius intueamini quam in vos ipsos. Di boni, quanta hæc futura est gloria nostra, si nobiscum in Galliam adferamus, non, vt expectabat Poliarchus auxiliares, sed victrices copias! Quod superest, milites, accingite vos, vt cum signum pugnæ datum fuerit, vsitata vestra alacritate frustillatim dissecetis rebelles istos, & conculcetis corpora metu iam prope enecta. Confirmo vobis, milites, nos nostra victoria aut iacturos aut stabilituros fundamenta libertatis Gallicanæ. Sed recreat me & reficit vigor & alacritas, quæ se prodit in vultu vestro, cum vos video vindictam & Martem spirare oculis, vnde non possum mihi aliud persuadere, quam certam à virtute & fortitudine vestra victoriam, nisi me fallunt, quæ nunquam fefellere summos duces indicia.

CAPVT

CAPVT QVINTVM

PERIOCHE.

Mira rerum variatio. Decepti falsa nubium specie, quas naues esse crediderant omnes, ex metu & pugnandi ardore in ludibria cachinnosque soluuntur. Sed paulo post, accepto vero de classis hostilis aduentu, omissis nugis, ad prælium se accingunt, suosque ad virtutem excitant.

DVm ad hunc modum Archombrotus suos ad futurum nauale prælium animat, res perridicula contingit. Is enim nauta, qui primus de aduentu classis hostilis nunciauerat, intellecto errore suo ad Trierarcham se confert, faceturque se oculorum coniectura deceptũ. Cum enim nimis longo abesset interuallo, visum promontorium quoddam abietibus piceisque horrens, classem interpretatus fuerat. Neque vero deerat huic errori sua causa. Fluctuabant enim quatuor aut quinque nauigia in ipsa maris crepidine sub promontorio, quibus vltra citraque nauigabant piscatores, ad expedienda retia sua. Vnde, cum mouerentur scaphæ, & summitates arborum vento motæ malos procul repræsentarent, deceptus nauta, aduentum hostilium triremium nunciauerat, & vniuersam Archombroti classem panico terrore completam, ad arma conciuerat. Sed facile ferebant hunc errorem classiarii, errantesque circa promontorium illud, assecuti piscatores nonnullos, ex iis intellexerunt, haud longe inde quinqueremem illisam scopulis crepuisse, aliud autem nauigium non procul ab

cul ab eo loco impulsum in breuia, cum omnibus vectoribus periisse, vt præter vnum nobili genere natum euaserit nemo, qui & ipse nactus è naufragio tabulas, iis innixus euaserit, cum se vitamque suam arbitrio fluctuum credidisset. Piscatores autem vix magno labore potuisse illum ex vndarum violentia extrahere. Et quidem virum hunc extra vitæ noxam constitutum, satisfecisse apprime piscatoribus pro adhibita diligentia in se conseruando: cæterum multo ampliora pollicitum præmia, si possent recuperare fasciculum literarum, quem perdiderat naufragus: Huius enim iactura se multo plus affici quam ipsius nauis interitu.

Et nos quidem, (aiebant piscatores) summam diligentiam in perquirendo adhibuimus, percurrentes scaphis nostris omnem vicini littoris oram: sed irrito labore. Is igitur periisse literas intelligens, hoc ipso die circa ortum Solis profectus est ad regem Liguriæ, ad quem cum singularibus mandatis se missum dicebat à magno quodam principe, qui ipsum è vestigio sequi constituisset. Nobis vero imperauit, vt hic assidui versaremur, donec ipse princeps ad has oras appelleret, vt eum de naufragio edoceremus, quod fecisset legatus eius. Et hunc quidem destitutum nauigiis, iter pedestre in Liguriam apprehendisse, cæterum literas suas fiduciarias cum omni auro & supellectile in aquis perdidisse.

Placuere hæc supra modum Archombroto, illud cum primis, quod ex piscatoribus de naufragio inimicorum acceperat, nec dubitabat quicquam, eas ipsas literas esse, quas Nauarchus exceperat, de quibus Ambiodorigis Legatus tantopere conquerebatur. Nec tamen potuit, quod optimo iure debebat, effugere ludibrium. Regiæ enim puellæ, Elisa & Argenis miris eum modis exagitabant, multo sale perfricantes, quod conspicatus tres aut quatuor lembos piscatorios, suos tanta orationis vber-

tate

tate & vehementia ad prælium animasset. Magnanimum vero ducem & Thalassiarchum sine pari esse eum, qui ausus sit ad oppugnandas scaphas aliquot littoralium homuncionum, classem centum sexaginta nauium ad arma vocare. Ecquem tandem fore finem cohortationum eius, si ad conspectum trium aut quatuor abietum iubeat canere classicum? Piscatoribus quidem, calamitoso hominum generi, lineas esse, hamos & retia, ad mullos, percas, sardinasque capiendas, non ad irretiendos Reges aut implicandas classes ab Sicilia Mauritaniaque.

Extra iocum, non posse ipsum haberi non ridiculum, qui vt Amori subtraheret collum, & Marti se potius litasse ostenderet, panico terrore excitatus, nullo præsente periculo ad arma conclamasset.

Ad hunc modum illis cauillando iocandoque tempus trahentibus, paulo post apparuit, primum illum nũcium non omnino vanum fuisse. Cum enim vicinam terræ prominentiam vix circumnauigassent, apparuerunt repente naues aliquot è classe Ambiodorigis, quæ quidem conspectis hostilibus triremibus exterritæ diffugerunt. Nec Archombrotus quidem metu prorsus vacuus erat, cum præter opinionem Ambiodorigis classem appropinquare videret. Capto igitur ex tempore consilio, dum instruit ad pugnam milites, dum armat socios, prospicitq; regiis puellis, vt & in superiore terrore fecerat, mittit Bocchũ, cui plurimũ confidebat, vt aduenientibus nomine heri sui nunciaret, demitterent vela, & se potentiori dederent. Ambiodorix qui nihil minus sperauerat, quam occursum classis Siculæ, respondit, si essent amici Gallorum, se non recusare quin demissis antennis complicatisque velis testaretur se eorum amicum & confederatum: sin hostes forent, reipsa experturos, & manus & ferrum sibi esse, quibus propellerent hostes

hostes felicitatis patriæ. Hoc accepto responso Bocchus non immemor officii sui, antequam ad suos rediret, denunciauit Ambiodorigi bellum, suadere se ei, vt præpararet se ad prælium nauale contra Siciliæ regem, qui in eum finem hanc suscepisset expeditionem, vt ab ipso pœnas exigeret violatæ fidei, rebellionis & turbatæ pacis publicæ per Galliam. Hac facta denunciatione reuersus ad Archombrotum narrat ei, constituisse hostem omni vi se defendere, si à quoquam, quisquis ille tandem foret, prælio lacesseretur. Archombrotus quidē cohortandi suos milites compendium facere poterat, quorum adhuc inerrabat auribus superior regis oratio: At Ambiodorigi alia incumbebat necessitas, animandi suos ad pugnam, vt assultum hostium fortiter ferrent. Primum igitur ex disciplina militari constituit naues, eo ordine qui videbatur omnium maxime expedire: post excussis omnibus facundiæ suæ loculamentis, circumiens eos ad capessendam alacriter pugnam, quanta potuit orationis grauitate exhortatus:

Velim cogitetis, inquit, milites, in quem finem nos accingamus prælio. Potentiores nobis sunt hostes nostri, terra marique, & nos persequuntur ab omnibus partibus. Extrema hæc instat fortunæ alea, quam vbi vicerimus, equidem non video, quid in posterum nobis tantopere sit metuendum. Auxiliares hæ copiæ, quæ adueniunt ad opē ferendam Poliarcho, nullius vsus futuræ sunt, si vos volueritis, imo si ii eritis qui esse debetis. Cogitate quæso, quot Principes, quot viri nobiles, quot præsidis iustitiæ, quod optimates plebis gauisuri sint, intellecta vestra fortitudine. Contra æstimate apud animos vestros, quot viri boni indoluturi sint, si hanc negligamus præclare faciendi occasionem. Non credo

ignorare

ignorare vos, quid facturi sint hostes, si nostra negligentia obtinuerint portum, & ingressi fuerint Regnum nostrum: quis enim eos prohibebit deinceps omnia miscere igne atque sanguine?

Dii meliora piis errorem q; hostibus illum.

Ne hoc fiat tantum malum, impedite vestra virtute milites; misereminini communis nostræ patriæ, matris nostræ, quæ nos genuit, honesteque aluit atque produxit in hunc vsque diem: Seruate pietatem & religionem vestris altaribus, castitatem atque pudicitiam vestris vxoribus & filiabus, honorem & venerationem sepulchris maiorum, vrbis ipsis cum patrimoniis & hæreditatibus gloriam & honorem. Misereminini, inquam, lacrymarum muliercularum nostrarum, quæ nihil æque reformidant quam insolentiam victoris: aspicite canos senum capillos, puerulorum in cunis vagientium miserabiles vultus, qui omnes veluti compacto vos orant, vt se à violentia hostium defendatis. Quæ omnia si vos parum mouent, at saltem fœdera matrimonialia, & pudici coniugum lecti, & matrum vxorumque nostrarum inuiolata ad hunc diem vota arment manus nostras, gnaras à Barbarorum sæuitia nihil fore tutum. Poliarchus ergo semper victor triumphabit? & sane ne ita sit futurum vereor, nisi illius, qui hactenus terrestri militia fuit superior, frangamus vires marina pugna, & omni audacia aggrediamur Piratas illos. Quin igitur, amici mei, audaciores contra imus & pertinacia nostra illorum frangimus impetum? Nec profecto hostes nostri sunt vnius generis.

Collecti-

Collectitia gens est è Siciliæ & Africæ diuersis regionibus, quibus exiguus armorum vsus, parua belli experientia, nisi quantum à nostris hominibus didicerunt. Videbimus, si primum insultum fortiter exceperimus, nos egregiam de vniuersa classe reportaturos victoriam. Aut enim vobis obuertent puppes suarum nauium, aut si fugere noluerint, purpureo colore glaucas imbuent maris Sardoi aquas.

CAPVT SEXTVM

Perioche.

Congressus duarum classium, Ambiodorigis & Archombroti. Commisso prælio Ambiodorix factus inferior, scapham amissa triremi insilit, cuius beneficio potitus littore vitam conseruat. Triremes Ambiodorigis amisso Duce in Archombroti deditionem veniunt.

ET Ambiodorix quidem, cum suos ad hunc modum cohortatus fuisset milites, vtendum eorum promptitudine ratus, eos dimisit, iussos curare corpora, & omnem date operam, vt primo impetu se viros ostenderent. Nunquam Neptunus in suo regno elegantius quicquam vidit, quam duas illas classes, ad capessendum prælium ex aduerso constitutas. Ambiodorix enim habebat secum florem copiarum suarum, impleueratque naues suas diuitiis, quas in oppidis, quæ se magna leuitate fidei eius permiserant, prædatus fuerat. Archombrotus valebat numero triremium, nauibus eius pleris-

plerisque militariter instructis, fidebatque multum militibus suis, quorum cognitum habebat robur & virtutem. Addebat ei insuper animum, quod nosset preciosissimum se thesaurum in toto hoc vniuerso secum vehere: duas inquam regias virgines, Argenidem & Elisam.

Vt belli signum pars vtraque voce tubarum
Extulit, & rauco strepuerunt cornua cantu,

Ambiodorix sex triremes grandiores, quas in fronte aciei constituerat, & sagittariis funditoribusque, plerisque è Balearicis Insulis, repleuerat, procurrere, & pugnæ initium facere iussit. Hi sagittis lapidibusque funda missis, velut imbre aut grandine Archombroti primam aciem obruerunt, & adeo infestauerunt, accedente præsertim vento Ambiodorigi secundo, qui tela & missilia in Siculos Maurosque ferebat maiore cum impetu, vt coacti fuerint deflectere nonnihil in latus sinistrum, & se recipere post terræ quandam prominentiam, qua in mare procurrebat. Galactio, qui nouerat morem sagittariorum funditorumque illorum, quod primus eorum impetus esset vehementissimus, cætera remissa, non improbat Archombroti consilium, quod suos se recipere & furori Balaricensium nonnihil cedere iussisset. Interim ipse cum Gobria assumptis aliquot nauibus à cætera classe paululum discessit, diuisisque bifariam triremibus suis, cum Ambiodorix, vana & tralatitia victoria inflatus, primas Archombroti naues persequeretur, ita ipsi inuectus est, vt ob propinquum & statarium pugnæ genus inutiles ei redderet sagittarios, adeoque omnes, qui missilibus pugnabant. Naues enim cum ita congressæ cominus pugnarent, alia aliam harpagonibus manibusque ferratis correptam attrahebat, quibusdam etiam incursus vehementia allisis. Ibi ad gladios deuentum, in quibus Mars acerrime furit, cum insuper hastis sarissisque

fisque quisque conaretur in hostilem carinam sibi facere aditum.

Rex Siculus, velut otiosus spectator pugnæ, ad id horæ loco se non mouerat: cum autem videret gliscere prælium, & iam iusta acie confligi, medium se cum Prætoria sua feruori pugnæ intulit, vt statim appareret, non ignauia quadam aut timiditate eum hactenus cessasse, sed expectasse occasionem fortiter faciendi. Cum intellexisset, quæ esset Prætoria Ambiodorigis, imperauit præfecto, vt in eam conuerteret proram. Hic ne Domino suo in mora esset, virgis lorisque & taureis acriter increpuit remiges inter transtra forosque, vt omnibus viribus remigantes, quam maxima celeritate impellerent nauigium. Sic inter medias inuadentium naues, obuersasque earum proras, ictus, scorpiones, tragulas, pila, sagittasque, peruasit Archombroti Prætoria ad triremem Ambiodorigis, eamque harpagone correptam firmiter alligauit. Sicula gens, rerum marinarum non ignara, omnia faciebat quæ poterat, ad confundendam aciem hostilem, inprimis autem Ambiodorigis prætoriam infestabat. Ollas enim fictiles igne artificiali refertas, sulphure insuper, pice, resina, oleo, stuppisque plenas in eam coniiciebant, quo igne cum correpta nauis arderet, in momento vela, funes, antennæ, tensæ, palmulæ, & quicquid præterea erat instrumenti nautici conflagrabat, vt miseri remiges inter transtra excalfacti feruore, horrendos clamores ad cœlum tollerent, & accedente armorum sonitu pugnantiumq; barritu aer ipse vocum multitudine percussus reboaret. Archombrotus clamabat ipse & per suos proclamari iubebat, se libertate donaturum Ambiodorigis remiges si omitterent remos. Contra Ambiodorix minabatur dirissimam seruitutem & extrema supplicia, nisi gnauiter ac strenue facerent officium. Interim alii complicabant, quæ supererant vela,

vela, extinguebant ignem, ſtuppis ac aſſeribus obſtruebant rimas nauis, faciebantque quæ eos præſens neceſſitas iubebat. Inprimis Ambiodorix omni ope nitebatur, vt à ſe arceret hoſtem, quæ res multos ab vtraque parte tollebat milites, cadebantque Gallorum non pauci, & è Mauris Siculiſque promptiſſimus quiſque, antequam Archombrotus cum ſuis triremem Ambiodorigis inſilire poſſet.

Poſtremo tamen, cum videret ſe ſtipatum aliquot viris fortibus, vincens animi generoſitate magnitudinem periculi, iniecit ſe primus in hoſtilem nauem. Ambiodorix videns in prætoria ſua Mauritaniæ & Siciliæ ſigna erecta, ſupra modum excanduit: magno igitur irruens impetu, gladiumque prægrandem vibrans victores repulit: cedere nolentes obtruncauit, vt foros nauis ſuæ repleret cadaueribus, Siculiſque magno venderet partam de ſe victoriam. Breuiter, nihil erat Ambiodorige furioſius, cui nequaquam cedebat generoſus Archombroti animus, quanquam præter expectationem validum & pugnacem nactus eſſet aduerſarium. Cunctantem & ſubdubitantem, vtrum in deſperatos iret, Gobrias, qui pone Regem ſtabat, vnaque inſilierat in hoſtilem Ambiodorigis triremem, monuit tempeſtiue, ab hoc certamine dependere totius naualis prælii victoriam ac fortunam: fortiter ergo, ſi vnquam alias, agendum. Addebat & alia, quibus princeps permotus, accedente verecundia, collecto ſpiritu proſiliit, magnoque impetu hoſtes adortus, multa edidit fortitudinis ſpecimina, vt cæteri incitati Regis exemplo, redintegrata pugna hoſtibus multo quam à principio irruerent validius.

Furente ad hunc modum Marte & Vulcano, Ambiodorix victus multitudine magis quam virtute, cum ſe fruſtra pugnare videret, proram Prætoriæ ſuæ occupauit, ſaluti vitæque ſuæ conſulturus, ibi conſiſtens, col-

locato ante ſeſe manipulo militum, vt lateret commodius, nactus eſt tempus, deſcendendi in ſcapham actuariam, quæ pone triremem deligata erat: in hanc vbi ſe demiſiſſet, aſſumto vno è propinquis ſuis & tribus nautis, abſciſſo rudente, credidit ſe arbitrio vndarum, vbi tam fideli quatuor remigum ſuorum vſus eſt opera, vt littore potitus in terram egreſſus ſit nemine prohibente. Fuitque hæc eius eruptio tam clandeſtina, & tantus feruor ac tumultus præliantium, vt non animaduerſa fuerit fuga eius, niſi poſtquam debellatum eſt. Elapſo ad hunc modum Duce, cæteris perdifficile erat ſeruare nauem, militibuſque ſimul ac nautis imperare, qui cum nuſquam conſpicerent Ambiodorigem, periiſſe hominem rati, ſpem animumque abiecerunt. Cæteræ naues cum admonerentur, deponerent arma, clementiamque victoris quam ſeueritatem experiri mallent, exemplum Prætoriæ ſecutæ, deditionem fecerunt. Pepercit his Archombrotus, ad alias laudes clementię quoque gloriam adiungens, gemina potitus victoria: & de hoſte, & de ſuo ipſius animo. Quædam naues quæ in poſtrema acie ſteterant, perterritæ ſucceſſu Archombroti, in fugam ſe dederant, effugiſſentque haud dubie, niſi Gobrias cognito eorum, qui iis præerant, maturæ conſilio, illos aſſecutus monuiſſet, vt ſe dedere victori mallent, eiuſque ſe credere clementiæ, quam incertæ fugæ. Sponſor inſuper illis erat, fore vt Polyarchus iis ignoſceret, gratiamque omnium faceret delictorum, quod nequaquam ſibi polliceri poſſent, ſi importuna hac & periculi plena fuga nouis anſam præberent motibus, & damnoſæ rebellioni, quibus omne nomen Gallicanum noua apud exteros adſpergeretur macula atque labe, & chariſſimæ patriæ laniarentur viſcera.

Conſtitere ad hanc vocem Gobriæ triremes, præfectique earum ad Archombrotum profecti, cum veniam

poſtu-

postulassent, ambabus ab eo, quod dicitur, sunt excepti vlnis. Ductorum exemplum secuti milites, & ipsi sese victori dediderunt, suntque ab eo benigne comiterque habiti, vnde non leuis vtrinque orta lætitia, luctum tristitiamque è prælio perceptam multis modis temperauit. Neque enim minus gaudebant & acquiescebant victi quam victores, nec inuidebant Siculis Archombrotoque Galli, nec illi superbe insultabant his. Illis quidem gloriosum erat post pugnam tam cruentam & ancipitem potitos fuisse egregia victoria: Galli se victos moderatius ferebant ab eo, qui regiam coniugem & regiam filiam, sola, vera & fatalia huius victoriæ organa, secum vehebat in patriam. Audiebatur cumprimis in dedititiis Gallorum nauibus effusus clamor, publicæ lætitiæ testis, cum vulgo intellexissent, Cyrtheam Regis Magni filiam vna adesse, quam ante multos menses periisse crediderant. Argenidem insuper saluam sospitemque esse, quæ, vt Poliarchus ipse narrauerat, tot difficultatibus & periculis fuerat exposita. Eratque in vtraque gente frequentissimus de duabus hisce tam illustribus virginibus sermo, postquam quid iis contigisset, serpens paulatim fama per mutua colloquia disseminasset.

CAPVT SEPTIMVM
PERIOCHE.

Mira numinis in Timandram Reginam indulgentia: quæ cum ab Ambiodorige ad certam duceretur mortem, versa fortuna, reperta in prætoria Ambiodorigis, vicissim Cyrtheam filiam Archombrotum Generum, & Argenidem nurum inuenit, vnde maxima perfusa lætitia,

titia, illos quoque gaudii huius participes facit.

HVic victoriæ longe maximæ gloriæ maximoque honori fuit Timandra Regina. Galactio enim cum intrasset conclaue in puppi prætoriæ Ambiodorigis triremis, inuenit salutauitque eam. Regina in admirationem rapta spectrum se videre rata est non hominem, adeo obstupuit ad Galactionis conspectum. Multo magis autem mirata fuit, postquam recitauit ei Galactio, Archombrotum Generum eius esse, qui conflixerit, profligauerit, deuicerit nauali isto prælio communem hostem. Audito hoc nuncio dubitauit regina, lætareturne ob victoriam quam consecutus fuerat Archombrotus: an ploraret, quod viuus euasisset Ambiodorix, quem sciebat non conquieturum, donec perduellis ille vitali vesceretur aura. Accedebat autem & alia causa, quæ subdubitantem collacrymare coegit. Audito enim nomine Archombroti recordata est Cyrtheæ filiæ suæ, quæ nobilissimo huic Regi in matrimonium promissa fuerat per Poliarchum: non tenuit igitur lacrymas, cum crederet, iuuenem hunc ideo Galliæ regnum petere, vt loco tædarum nuptialium, quas in nouo isto matrimonio Iunoni ac Hymenæo ex ignibus Amathuntis accensurus erat, suscitaret ferales faces, quibus dilectissimæ sponsæ rogum succenderet, Proserpinæ pro Zygia sacra facturus.

Nec admodum ingratæ fuerunt Galactioni reginæ lacrymæ, quæ purpureas illius vbertim madefaciebant genas: verebatur enim, ne nimio perfusa gaudio, dilatante se, vt fit in maxima lætitia, corde, sanitatis faceret aliquam iacturam, aut ipsius vitæ periculum adiret. Solatus igitur eam verbis suauissimis, sensim ad obseruandam regiam grauitatem cohortatus est. Ergo, percontabatur

cabatur eum magno studio, vbinam & quibus de causis tam diu abfuisset? vbi amisisset Cyrtheam regalem filiam? qua ratione Archombroto obuiam factus fuisset? De me quidem, inquit, non est quod sis sollicita, Domina, quicquid de me factum sit aut fiat, dummodo istud noris, saluam tibi sospitemque filiam. Præterea nec tempus nec locus patitur, vt pro dignitate aut exigentia rei persequar ea, quæ mihi toto hoc itinere euenerunt, quas exhauserim difficultates, quæ superauerim pericula. Viuit tibi valetque filia recte. Certorum enim hominum nobis narrauit fides, visam ipsam saluam vegetamque in Mauritaniæ regno, quæ pars est Africæ. Atqui scire debes, ait Timandra, me non ita de te meritam, vt fallacibus me verbis ludas, aut vana spe lactes, cuius nullus futurus sit effectus. Quin tu mihi libere & citra ambages prodis, quonam potissimum è viuis sit sublata infortunio? Ita enim insueui malis calamitatibusque meis, vt nulla ad dolores meos videatur posse fieri accessio. Africam quam mihi narras, credo ego esse Orcum aut Acheruntem, vbi intra Ditis patris brachia videris filiam meam, futuram Proserpinæ pellicem. Quam ego admodum vereor, ne Archombrotus lumine cassam in suo regno sepeliuerit, vt tam charum depositum sibi seruaret in tumulo, cuius debuerat perfrui gaudiis in thalamo.

Quid autem factura es Domina, inquiebat porro Galactio, si tibi confirmem, filiam tuam in via esse, vt redeat in patriam, visura matrem, fratrem, necessariosque suos: teque illam propediem visuram saluam & incolumem, expertem dolorum querelarumque? Vnum nescio, Regina, vtrum illam cognitura sis annon, si tuo se repente offerat conspectui, postquam sub alio climate vixit, alium reciprocauit aërem, alio collustrata est Sole,

qui longe est in terra Africa feruidior, quam in ea, vbi nata educataque est, regione.

Nugas agis, inquit Regina, & sciens deliras Galactio. Nisi enim me decipis, vana pro veris narrando, & si illa viuit, fieri non potest, vt eius mihi mentiatur facies. Quæ si vel maxime decolor effecta mihi imponat, vox tamen eius, & gestus, & loquela cognitionem meam nunquam effugient. Faxit Deus, vt hic solus cognoscendi filiam mihi incumbat labor, & aliquis bonus Genius aut Galliæ tutelaris à cæteris curis me eximat! O mea filia, mea Cyrthea, si te quis Deus conspectui meo offerat! Atqui huic rei, inquit Galactio, ipsa in mora non est, neque per ipsam stat, quod non eam in vestigio conspicis. Assurge modo, nisi graue est, & conscende foros, ad excipiendum Siciliæ Mauritaniæque regem: aut si id potius videtur, dabo operam, vt ipse ad te veniat cum nobilioribus è suo comitatu. Vtrum velis admitte: spondeo tibi ac respõdeo, maius te percepturam gaudium, quam vel tu ab ipso cœlo expectare, aut ego tibi polliceri possim. Nullus vnquam accipiter tanta agilitate paribus se sustulit alis conspecta præda, quam Timandra ad hanc Galactionis vocem exiliit. Deserto enim conclaui, in quod eam Ambiodorix captiuam compegerat, curriculo prodiit ad excipiendum salutandumque Archombrotum. Nec iuuenis minus miratus est, postquam didicit è Gobria, esse hanc Reginam matrem sponsæ suæ Elisæ. Quis iam satis digne persequatur aut recenseat honores & affectus, quibus eam Rex Siculus affecit & amplexus est? Ipsa quoque Argenis in partem venit huius lætitiæ, nec est nostrarum virium narrare, quibus se inuicem exceperint amplexibus, osculis, honoribus. Stabat Gobrias, fidus regni Galliæ ciuis, & fundebat calidas lacrymas, cum videret Reginam Dominamque suam pulchræ libertati restitutam; contra Regina illum

vicissim

vicissim peramice intuita, de ratione itineris eius & tam diuturnæ absentiæ interrogabat.

Dum Gobrias nunc has nunc illas moræ suæ causas affert, Galactio colloquio distinet Elisam, eamque instruit, quo pacto in conspectum matris prodire debeat. Elisa intellecta matris præsentia, cum incredibile concepisset & gaudium & illius visendæ desiderium, contineri amplius non potuit, quin ad tam lætum nuncium exiliens, deserta naui, qua hactenus vsa fuerat, ad matrem curreret, inque collum eius irrueret. Agnouit Timandra vocem filiæ, amplexuique eius inhærens prope deliquium animi passa est, vt à filia sustineri necesse haberet. Ibi videre erat, vtriusque, filiæ ac matris, faciem vdam basiis ac lacrymis, cum tam arcto nexu cohærerent, vt coaluisse aut concreuisse viderentur. Cum autem stylus noster minor sit, quam vt hæc talia satis exprimere possit, relictis his affectibus, qui melius sentiuntur quam enarrantur, ad cætera pergemus, quæ calamo nostro minus exhibebunt negocii.

CAPVT OCTAVVM.

PERIOCHE.

Historia reditus Poliarchi in Galliæ regnum, eiusque victoriarum aduersus seditiosos, recitante Timandra regina. Poliarchus prospero successu vsus, Gallorum se regem esse, in Arelatensi ciuitate profitetur, post in aliis regni locis.

LÆtis autem supra modum reginis ob victoriam, imperat Archombrotus suis, vt inter mortuorum cadauera Ambiodorigis corpus quærerent. Quod cum

nuſquam compareret, mittit duas celoces, vt vicinum littus legerent, ſi quid forte de ipſius fuga aut euaſione in terram cognoſcere poſſent. Sed & hoc fruſtra erat. Ambiodorix enim vſus opportunitate temporis hoſtes ſuos multo anteuerterat, ſuperatiſque Liguriæ montibus euaſerat in ſuperbam illam vrbem, quæ à bifronte Iano nomen habet, quo ſtructore ſe conditam aſſerit. Quem redeuntem in Galliam, & ſuppeditantem Poliarcho maiorem gloriæ laudiſque materiam, finemque factis ac rebellione ſua dignum inuenientem, in ſequentibus videbimus: nunc alia perſequamur.

Igitur Timandra Regina, quam conſpectus chariſſimorum pignorum curioſam admodum faciebat, vt nunc hæc nunc illa percunctaretur, poſtquam quæ voluerat, ex iis intellexiſſet, miſerata vices tam admirabiles puellarum, & mirata fati prouidentiæque diuinæ vim ac rationem, rogata ab Archombroto reduce à perſequendis belli reliquiis, vti quæ haberet de Poliarcho filio, recitaret, quonam pacto tam feliciter perueniſſet in regnum auitum, ad colligendam tam vberem gloriæ victoriarumque meſſem: vt morem gereret rogantibus ſic orſa eſt.

Quo fine Galactionem è regno meo in Siciliam Inſulam ablegauerim, ſcilicet vt edoceret Poliarchum (hoc n. eum appellabo vobiſcū nomine) de confuſionibus turbiſque, quæ per eius abſentiam in regno coortæ fuerant, nulli obſcurum eſt. Quid ibi fecerit, apprime, opinor, noſtis omnes, vt non minus illud, pollicitum fuiſſe regem, ſe quam primum in regnum reuerſurum, magnaque diligentia extincturum naſcentes in patria ſeditionis popularis flammas. Duos igitur illos Galactionem & Gelanorem, ante ſe miſiſſe in regnum noſtis. Galactio inuenit filiam meam, quam Ambiodorix rapuerat per ſuos, & cuſtodiæ mancipauerat. Hæc dein-

ceps cum Galactione variis agitata malignæ fortunæ & inuidis insultibus, terras ac maria peragrauit. Gelanori fata nihilo fuere æquiora. Hic enim cum vix pedem in Galliæ regno posuisset, captus, inque Castellum Arelatense deductus, ibi hæsit, donec à Poliarcho mira ratione libertati restitutus est. Hic enim, postquam mare Ægyptium nauibus emensus, in Iberiam vsque peruenisset, vsus nauigio mercatorum, quorum ope euasit è manibus eorum, qui iurati sunt & æterni Gallici nominis gloriæque hostes, adiunxit se pro milite, signo cuidam peditum, quos Rex Tartessius mittebat in auxilium Ambiodorigi, mouenti cœlum & terram, superos & inferos, vt obtineret propositum, quod erat, acquisitio coronæ Gallicanæ. Ad hunc modum auxiliares Iberorum copiæ, quæ eo admirabiliores & illustriores fuerunt, quod Reges in iis gregariorum militum officia obierunt, parua interiecta mora, in territorio Narbonensi aduenerunt, vbi Ambiodorix obuiam progressus eas excepit, bifariamque diuisas, partim ad pristinas suas copias adiunxit, vt numerum earum hac accessione locupletaret, aut sane, si vsus postularet, sibi præsidii loco retineret.

Polyarchus autem & ipse Arelatensi Castello inclusus quiescere non potuit, donec res nouas moliretur. Et primis quidem diebus, quibus ibi pro gregario milite fuit Polyarchus, incidit Gelanor in morbum, vel ex mœrore animi vel ex diuturno carcere. Permissum ei est, vt è Camera in qua custodiebatur, prodire posset in publicum, ad abstergendum squalorem & hauriendum liberiorem aërem: hæc enim ad recuperandam valetudinem multum ei conducere credebantur. Poliarchus visum eum in area arcis deambulantem è vestigio cognouit. Sed quia ipse iam in suspicionem apud ductores ordinum venerat, quod impatienter ferret eorum dominatum.

natum, nec ſine faſtidio imperata faceret, vt qui imperare ipſe quam parere mallet; non conſultum iudicauit, vlli mortalium quis eſſet aperire. Cum autem colloquendi cum Gelanore magno teneretur deſiderio, hanc ineundam ſibi duxit rationem. Simulauit & ipſe ſe ægritudine aliqua corporis teneri. Ita factum eſt, vt conſulentibus medicis, qui ægros ex diſciplina ſua ſæpius inuiſere ſolent, nactus fuerit ſpacium, à ſtationibus vigiliiſque diſcedendi, & cum Gelanore per ſpeciem deambulationis & recreandi animi, liberius colloquendi.

Gelanor, qui nihil minus ſuſpicari poterat, quam Poliarchum in ſuo ipſius regno vulgarem militem agere, non admodum laborabat de eo cognoſcendo. Colloquebatur quidē cum eo, ſed de rebus, quas ſcire quemque intererat, caute ſibi & ſollicite imperans, ne quid proferret, cuius nomine periculum grauius poſſet adire. Metuebat enim ne à Poliarcho, aduerſarum partium milite, captioſis & proditoriis tentaretur ſermonibus. Agebat Cretenſem cum Cretenſe Poliarchus, admiſtis nonnunquam rebus ſeriis, quæ ad ſtatum reipublicæ per Galliam pertinebant, quem tamen ſermonem ita inſtituebat, vt fere ad ignominiam & contemptum Poliarchi Matriſque eius vergeret. Conabatur quandoque prudenter admodum Gelanor Poliarchum ab hoc colloquii genere diuertere, & quanquam non omnino peſſime de cauſa noſtra ſentiret, tam frigide tamen atque aliene de nobis loquebatur, vt ſuſpenſus animi Poliarchus, diu de homine dubitaret, ſi forte cum tot, quas perpeſſus fuerat calamitatibus coniuncta captiuitas, ſqualorque carceris & grauioris mali metus imminuiſſet magnitudinem animi eius, eumque ab vſitata perſpectaque in tot rebus dubiis fidelitate tranſuerſum egiſſet.

Maiorem alacritatem, quam quæ in Iberorum naturam

ram tristiorem fere cadere solet, in Poliarcho conspicatus Gelanor, quanquam sine hæsitatione Iberorum lingua loqueretur, amauit hominis mores & animi libertatem, vt inciperet sensim eo vti familiarius. Facto igitur initio de Regiorum per Galliam copiis militaribus, extenuabat aliquo modo collatum cum illis Ambiodorigis exercitum. Cumque hoc pacto colloquendo aliquot detriuissent dies, Poliarchus ita scrutatus est mentem Gelanoris, vt non dubitaret de fido eius auxilio, si quis quid conaretur, quod è re & dignitate Poliarchi esset, vnde larga essent expectanda præmia. Ad hunc modum Poliarchus nunc promissis Gelanoris onerabat animum, nunc periculosis & dubiis consiliis perplexum reddebat & ancipitem, donec detracta persona, ei aperte diceret, esse se ipsum Poliarchum. Cæterum publice neuter præ se ferebat, quasi alterum vlla ex parte nosset, sed viuebant velut ignoti, vt ante, nihil nisi quod & peregrini aut leuiter noti solent, inter se colloquentes, quoties interuenissent arbitri.

Cum autem soli conuenissent, longe alia tractabant consilia, vt paulo post patuit. Sic autem rem auspicati sunt. Narrauerat Poliarcho Gelanor, præfectum vrbis, quanquam Ambiodorigis sequeretur factionem, mirum tamen in modum fauere iis, qui Reginæ tuerentur partes. Poliarchus hoc intellecto, adiuit hominem, talemque præter omnem spem inuenit eum, vt nihil esset recusaturus periculi, dummodo egregio aliquo facinore suam in Regem posset explicare fidem & affectum. Collaudata viri voluntate, Poliarchus ab eo digressus, Gelanorem conuenit, ex quo intelligit, tribunum militum, qui arci præerat, ex nimia Poliarchi cum Gelanore consuetudine nescio quam sinistram suspicionem hausisse, qui & ob eam causam Gelanori militem adiunxerat, qui custodiret hominem, simulque arbiter esset ac specula-

ſpeculator omnium eius dictorum factorumque. Erat autem hic miles vino ante alios pleroſque deditus. Hanc duo illi captantes occaſionem, impleuerunt gurgitem mero, vt obrutus vino ſomnoque pone menſam decũberet, ſecurus in vtramque aurem dormiens. Stertentem tenebrionem Poliarchus & Gelanor deſerunt, & nemine impediente egreſſi è conclaui iſto portas caſtelli petunt.

Enimuero Poliarchus res ſuas prouide & in anteceſſũm ita diſpoſuerat, vt impetrauerit à Tribuno licentiam egrediendi ex Arce, cum quodam milite, cui Tribunus multum fidebat, & de quo nihil quicquam ſiniſtri ſuſpicabatur. Hanc Tribuni permiſſionem nunciauerat idem Poliarchus præfecto vigilum, ne is ſibi aduenienti in mora eſſet. Sic rebus pulchre ſuccedentibus, duo illi arce egreſſi, recta præfecti vrbani domum petierunt, qui ſecum habebat circiter duodecim optimates è ciuibus, qui non magna difficultate agnouerunt regem ſuum, erroriſque pro ſe & pro cæteris ciuibus rogauerunt & impetrauerunt veniam. Cum autem in commune conſultaſſent, animaduertentes, Poliarchum non poſſe potiri vrbe, aut eam tuto poſſidere, niſi Arcem quoque obtinuiſſet, ſtatuerunt inire rationem aliquam, qua Tribunum caſtri præfectum in ſuam redigerent poteſtatem. Ad hunc igitur præfectus vrbis miſit, qui rogarent hominem, ad ſe vti veniret, conſulturus vna de publicis negociis. Comparuit is ſine mora, ſtipatus duobus militibus, qui cum Tribuno comiter & honorifice excepti in vicinos hortos deducti ſunt, vt non animaduerterent, ſe in ſpatioſum & ſplendidum ingredi carcerem.

Poliarchus ibi prior magna cum ſeueritate intuitus Tribunum: Quamdiu, inquit, abutemini vos auctoritate mea, & clementia ac bonitate Matris meæ Reginæ? Quamdiu efficietis, vt extraneorum ac peregrinorum

gladij

gladii cruententur miseræ multitudinis in regno meo sanguine?Sicne oportuit plus apud vos valere perfidiam Ambiodorigis, quam meam authoritatem, Diadema, ius denique regni? Quæ vos intemperies agitat, vt audeatis contra me arma ferre? Si iam vellem iure meo in vos vti, & dignis vos afficere suppliciis, iuberem vos in locum publicum raptatos excarnificatosque, per mille cruciatus immolari aut dissecari, vt cæteri atrocitate vestri supplicii exterriti, vel ad officium redirent, si exorbitauerunt,aut in officio permanerent, si boni probique sunt. Et profectò, sic vos demeriti estis, sic suadet mihi iusta, ad quam me tot modis prouocastis, iracundia. Cæterum vt videatis, potiorem me clementiæ quam iustæ seueritatis in vos rationem habere, mihi ipsi imperabo, nec committam, vt iure dicere quis possit, Poliarchum Gallorum Regem thronum patrium conscendisse per gradus ciuili sanguine cruentatos. Ignoscam igitur vobis, quanquam me nondum rogaueritis veniam, quamuis tu quoque, Tribune, in Arce non ita mecum egeris, vt mihi causam suppeditaueris vtendi erga te hac bonitate & indulgentia. Quid vobis omnibus in mentem venit? putatisne me non tam posse vos cumulare beneficiis,ornare, extollere,quam ducem vestrum Ambiodorigem,à quo hæc ne expectare aut sperare quidem potestis? Sic igitur vobis impero: claues arcis actutum & sine mora mihi exhibete, meumque agnoscite dominium, nisi vultis experiri, quid in vos possit mea indignatio,& nisi vultis pessimis perire modis: hæc esto pœna vestræ inobedientiæ.

Apparet in ipso vultu regum nescio quid diuini, quod in eorum facie splendescit, vt contra intuentes metuere sibi cogantur, quanquam exporrecta fronte & hilaribus oculis aspiciantur. Poliarchus autem iusta commotus excandescentia, composuerat vultum suum

ad eam

ad eam grauitatem,feueritatem, Maieftatem, vt infelix Tribunus, cui nihil magis præter opinionem euenire poterat,confufus pudore & terrore, vix vnum & alterum verbũ magno conamine expediret,quod Regis fui tam minaci opponeret orationi; quanquã vel hac ratione fe magis accufabat quã excufabat. Videns ergo fe, velut vulpem anum,præter fpem laqueo captum,imperata prompte etfi trepide eft executus. Claues caftri Poliarcho tradidit, feque ipfum in eius fore obfequio & feruitio pollicitus eft. Rex nihil vltra poftulauit, contentus & ipfe hoc tam infperato fucceflu, cumque Vrbem cum caftro ad hunc modum in fuam poteftatem redegiffet, præconis voce publice fe Gallorum regem proclamari iuffit, ciuium quibufdam fponte ac bona voluntate ad officium redeuntibus, cæteris neceffitate aut metu compulfis. Inde pleno curfu fecundo fluuio Robina vfus,Heracleam ingreffus eft, inde Camarcam cæteraque oppida, quæ in fide manentia Regis partes fecuta fuerant. Nemaufus aperuit ei portas,idem Vologua fecit,& magna illa Chryfopolis. Et vt rem verbo comprehendam, tot fui iuris fecit vrbes & oppida, ad quot cum exercitu acceffit,paucas obfidione cinctas armis recuperauit.Eftque torrentis inftar breuiffimo temporis fpacio victor totam peruagatus Galliam, ab omnibus inftar iufti legitimique principis acceptus. Qui diuerfas fequebãtur partes, ante fe victos intelligebant, quam Regem in regnum veniffe fenferant, fera velut Phryges ducti pœnitentia.

CAPVT NONVM

Perioche.

Gelanor amictu puellam mentitus, ab Poliarcho ad Reginam mittitur in Vrbem Maßiliam.

Dolus

Dolus eius, quo Præsidiarios Vrbis, domesticosque reginæ elusit. Re bene gesta saluus incognitusque ad Poliarchum reuertitur.

CVm suam iam adstruxisset auctoritatem potentiamque regiam, sui esse officii iudicauit filius meus, meum quoque astruere honorem, qui mihi debebatur à populo. Gelanorem igitur Massiliam mittit, in quam me receperam, quia præ cæteris regni ciuitatibus munitam nouêram, simul vt portum illum longe commodissimum filii bono in potestate mea retinerem. Hic maximis onerata curis, inter vota, lacrymas, & suspiria illius præstolabar aduentum. Sed mala mea fortuna factum est, vt Vrbem inueniret adueniens in Ambiodorigis constitutam potestate, qui mala quorundam fide abusus ingressus fuerat, ipsumque portum cum omnibus nauibus sui iuris fecerat. His ego prope adobruta fluctibus, insuper iubente Ambiodorige inclusa sum domicilio cuiusdam negociatoris, cuius mihi ministrare iussa erat vxor, apposito ad ipsarum ædium vestibulum non modico excubitorum numero, qui me custodirent.

Quibus cognitis, desperabat Gelanor ingredi vrbem posse, nedum mecum colloqui: cumque sciret, patrem suum familiariter vsum fuisse ciue illo, in cuius ego diuertebam ædibus, non dubitauit, fore vt à domesticis agnitus admitteretur. Captâ igitur audacia statuit videre me & alloqui, aut de ipsa vita periclitari, gnarus, gratissimum & mihi & filio meo Regi se præstiturum officium. Sic igitur fecit. Sumpto puellæ rusticanæ habitu canistrum fructibus arboreis plenum capite sustinens, audacter ingreditur vrbem, eoque schemate per mediam vigilum stationem penetrat: post recta diuersorium meum petit. Materfamilias delectata pomorum

specie

ſpecie licitatur ea, iamque in eo erat, vt numeraret ei nummulos me inſpectante: vna enim intrauerant conclaue, in quo ego tunc commorabar. Gelanor autem ſub habitu fœmineo villatico latens rogabat matronam, vt pauxillam moram patienter ferret, eſſe ſibi obortum neſcio quid incommodi, abiturum ſe ad focum & ſe calefacturum, & cum dicto culinam petebat: At materfamiliæ rata iuuenculam eſſe, cui euenerit repente aliquid muliebre, vetuit eum deſcēdere, ſed admouit ad ignem, qui lucebat in proximo camino, quo ego ipſa quoque vtebar. Ne autem erubeſceret, aut propter cæteros qui aderant verecundari cogeretur, imperat matrona omnibus vt exirent cubiculo, quod actutum factum. Gelanor neminem præſto eſſe videns, quam me & matremfamiliæ, continuo aperit quis eſſet, vnde nos ambas magna cepit admiratio. At ille nobis omnia recitat, quæ iam ex me audiuiſtis, de expeditionibus Poliarchi filii, quo pacto ingreſſus Galliam, felicitate mira vſus, omne prope recuperauerit regnum. Ad hunc nuncium conſultauimus ſatis diu, quibus potiſſimum rationibus nos in libertatem aſſerere poſſemus, & è manibus Ambiodorigis euadere. Cæterum multa nobis verſabantur ob oculos: Matronæ illius, cuius vtebar hoſpitio, in me beneficentia, quæ citra dubium omnium fortunarum ipſiuſque capitis fuerat aditura periculum, ſi ego fugiſſem. Deinde periculoſum cum primis mihi ipſi videbatur incertæ fugæ vitam honoremque meum credere. Tertio nulla apparebat euadendi ratio.

Hoc igitur conſilio omiſſo, Gelanor tacite nos deſeruit, eademque qua venerat via vrbe exiit, ne ſi longiores moras necteret, ſuſpicandi aliquid excubitoribus cauſam præberet, nobiſque periculum crearet.

Abeunti literas tradidi, quas redderet filio meo; his ego eum cohortabar, vt adhibita maxima diligentia & celeri-

celeritate exercitum admoueret mœnibus Massiliæ vrbis, antequam Ambiodorix illam opere manuque, nouisque adiectis munitionibus firmaret, & animos populi sibi conciliaret penitus, quorum permultos adhuc ei bene velle non ignorabam. Hanc ergo secum ferens Epistolam Gelanor, sub agrestis puellæ amictu feliciter euasit. Quæ autem post id tempus acta fuerint, in meam cognitionem peruenire non potuerunt. Cæterum filii mei prudens industria, qua adducto ad oppidum valido exercitu, id obsidione cinxit, persuasit mihi vt crederem, Gelanorem & exhibuisse ipsi literas, & cætera quæ in mandatis habebat, recte curasse, nec adeo desperatas esse res eius, vt aduersarii suis mendaciis mihi persuadere nitebantur.

CAPVT DECIMVM

PERIOCHE.

Obsidio Vrbis Massiliensis. Situs eius atque firmitas. Eruptiones aliquot obsessorum & pugna in regios, obsidentibus secunda. Fuga Ambiodorigis ab vrbe.

Est autem, nisi fallor, ipsa Massiliæ cum aliis nominibus clara ac digna memoratu obsidio, tum in primis promptitudine ac celeritate filii mei. Aduenit enim spe mea citius cum validissimis copiis, posuitque castra campo peropportuno, occupatis locis editioribus, nec quisquam hostium ausus fuit aduentanti prodire obuiam. Ipsius autem Vrbis, vt nostis, situs est eiusmodi, vt difficulter obsideri oppugnarique possit. A tribus enim partibus mari alluitur, à tertia, qua in continentem

excurrit, obiectis muris, turribus, fossis propugnaculisque fortissimis defenditur, quorum vel solus aspectus cordatissimum quemque ab inuadendo oppido deterrere queat. In extrema planicie, qua nauibus ingressus patet in portum, stat præalta turris, quadrilatera, antiquissimæ structuræ, vbi à priscis temporibus mos obtinuit, vt de nocte ignis accendatur, in signum felicis appulsus, quo secure accedere possint naues, à diuersis orbis partibus ad exercendam mercaturam huc confluentes. In ima huius Phari basi ingens affixa est catena ferrea, cuius altera extremitas in aduersam protensa ripam, firmo velut obice claudit portum, ne quis inuito præfecto ingredi egredique possit.

Non latuit hæc oppidi firmitas, & commoditas Ambiodorigem: cohortatus igitur ad virtutem ciues, qui nolentes volentes ipsius subiuerant iugum, quibus potuit verbis ad fortiter ferenda obsidionis incommoda commonefecit. Inde denso sagittarum imbre ingentibusque lapidibus machinarum ope in regios emissis arcere eos conatus est, ne accederent propius.

At Poliarchus sibi suisque ab hac ictuum violentia cauerat fossis, aggeribus, cuniculisque subterraneis, & vrgebat obsidione oppidanos. Ambiodorix facta eruptione, cum regiis conflixit acriter aliquot horis, vt solum cadauerib. stratum pugnæ acerbitatem loqueretur: cuius euentus is fuit, vt gloriosam Poliarchus nactus victoriã repulsas Ambiodorigis copias ad vsq; portas vrbis persecutus fuerit. Ad cauẽdas igitur & prohibendas eiusmodi eruptiones, quib. etsi vincerẽtur Ambiodorigiani, carpebant tamen regiorũ vires, Poliarchus meus ipsam portam vrbanam opposito firmissimo vallo occlusit, adiecto propugnaculo super aggeres, ne egredi deinceps vrbe oppidani possent. Tanta autem erat militum Poliarchi alacritas, vt breui tempore omnia effecturi viderentur.

rentur. Verum rumor auxiliarium copiarum quæ ab Albania & Iberia venire nunciabantur, vt Ambiodorigi ferrent ſuppetias, coegit eos, omiſſa vrbis expugnatione peregrinis hiſce cohortibus obuiam proficiſci, & manus conſerere. Vbi prope ventum eſt, & contra conſtitere duo exercitus cæptum eſt prælium. Sed cum hoſtes non ferrent noſtrorum hominum impetum, poſt primam velitationem terga vertentes, partim conciſi partim in fugam acti ſunt, vt magna eorum edita ſtrage, ingens à regiis copiis parta fuerit præda, inprimis armorum & equorum magnus numerus, cum ſupellectile & commeatu copioſo, quæ omnia victor exercitus, maximi precii æſtimata, ſecum in caſtra ante Maſſiliam attulit. Ditati his ſpoliis Poliarchi mei milites in obſidione vrbis perrexerunt.

Erat ad oſtium naualiorum, in ipſis Portus faucibus, ad antiquam illam, cuius ſupra mentionem fecimus, turrim, rudentibus deligata prægrandis nauis oneraria: hanc occupauerant Ambiodorigis nautæ militeſque. Poliarchus ad hanc expugnandam è vicina parua inſula miſit tres quatuorve Liburnicas armatis plenas. Cum autē ea potiri, aut loco dimouere tam grandem machinam non poſſent, ſagittis teliſque igneis adeo Ambiodorigis milites obruerunt, vt, qui defendere eam debuerant, vltro tradiderint regiis. Captam hi nauem pice, ſulphure, bitumine Aſphaltico, aliaque materia combuſtibili, tetri tamen & maligni odoris repleuerunt, quanquam ab aduerſariis prægrandibus ſaxis, tragulis, ſcorpionibus, ſagittis, omnique miſſilium genere ſine intermiſſione peterentur, & velut grandine obruerentur. Hanc nauem ita exornatam ſubiecto igne ſuccendi iuſſit Poliarchus, vnde exiliens flamma & fumus aſſurgens, odoris fœditate & fuligine, eos qui turrim defendebant, in ſummam vitæ coniecit deſperationem. Cum

enim ad hunc modum graueolentia, fumo, igne oppugnarentur, vt iam vix reciprocandi ſpiritus facultatem haberent, & ambuſti flammæ violentia nuſquam effugere perniciem poſſent, propoſito ſigno protenſiſque manibus ſignificauerunt, paratos ſe deditionem facere, ſi Poliarchus deſineret illis porro moleſtus eſſe. Accepit conditionem Filius meus, eoſque ſe dedentes eius arbitrio, vita donauit, cum turrim hoc pacto in ſuam recepiſſet poteſtatem.

Paulo poſt idem cepit aliud nauigium, quod tempeſtatis violentia ad littus compulerat; hoc magna diligentia inſtruxit, & poſtquam compleuiſſet armato milite, generoſo conatu adortus eſt duas Liburnicas oppidanas, quas prope ſine certamine adeptus abduxit, certa ſpe plenus cæteris quoque breui potiendi.

His factis immanem illam catenam ferream, quæ fauces portus claudebat, rupit fregitque, nec Ambiodorix omnibus ſuis copiis obniti contra quicquam potuit, qui, ſe ne parem quidem tantæ ſuſtinendæ potentiæ videns, veritusque, ne mari quoq; ſibi præcluderetur à tam valido hoſte exitus, vt in continente factum fuerat: audiens inſuper de naualibus copiis auxiliaribus, quæ iam in ea Inſula aduenïſſe nunciabantur, quæ ex aduerſo Maſſiliæ vrbi oppoſita eſt: ſatius iudicauit tempeſtiua fuga interitum ſuum præcauere, quem euitare ſe nullo modo poſſe intelligebat, ſi in oppido maneret.

Propere igitur, quicquid nanciſci poterat nauium, armari inſtruique iubet, fingens auxiliaribus Poliarchi triremibus obuiam ſe proceſſurum, eaſque, ſi poſſit, nauali profligaturum prælio. Me vero ſecum duxit, opima è regno Galliæ ſe ſpolia referre interpretatus, vt profectus in Liguriam, me innocentem calumniatorum multitudine oppreſſam, multorum criminum ream peragere, exiſtimans, mortem meam compendioſiſſimam

fore

fore viam, Poliarcho ægre faciendi, cum alia ratione non posset. Et is quidem ab vrbe discedens, fallere potuit miseros ciues, Diuinam prouidentiam vindictamque, quæ eum quacunque iret, persequebatur, fallere non potuit. Accepistis, opinor, quo loco res sint in Gallia sub imperio filii mei Poliarchi; quid in mari contigerit sub ductu Archombroti, satis nostis. Sic metuit virtus eorum, qui iure fratres censentur, vterque Rex, vterque fortitudinis alumnus. O quantus hic est Numinis in me fauor! quanta prouidentiæ indulgentia, quæ vbere perfundit afflictissimam meam senectutem lætitia! Nunc lubet omnes, quas perpessa sum miserias & calamitates, profunda sepelire obliuione, cum cœlestis benignitas pro malis exhaustis tot mihi rependat veri gaudii & hilaritatis argumenta, facta tam luculenta fortunæ mutatione.

CAPVT VNDECIMVM.

PERIOCHE.

Ambiodorix desperata Massiliæ obsessæ defensione, clanculum se subducit. Fugientem persecutus Poliarchus in victrices Archombroti naues incidit. Mirum gaudium ex insperato tot regum reginarumque post tot aduersitates occursu.

NOndum per oppidum, quid factum fuisset, notum erat, cum Poliarchus, quanquam tarde ad ipsum de Ambiodorigis fuga perlatum esset, statuit omnino eum persequi. Iussis igitur in portu suis omnibus comparere nauibus, tam iis quas ante habuerat, quam quas nouiter

enim ad hunc modum graueolentia, fumo, igne oppugnarentur, vt iam vix reciprocandi spiritus facultatem haberent, & ambusti flammæ violentia nusquam effugere perniciem possent, proposito signo protensisque manibus significauerunt, paratos se deditionem facere, si Poliarchus desineret illis porro molestus esse. Accepit conditionem Filius meus, eosque se dedentes eius arbitrio, vita donauit, cum turrim hoc pacto in suam recepisset potestatem.

Paulo post idem cepit aliud nauigium, quod tempestatis violentia ad littus compulerat; hoc magna diligentia instruxit, & postquam compleuisset armato milite, generoso conatu adortus est duas Liburnicas oppidanas, quas prope sine certamine adeptus abduxit, certa spe plenus cæteris quoque breui potiendi.

His factis immanem illam catenam ferream, quæ fauces portus claudebat, rupit fregitque, nec Ambiodorix omnibus suis copiis obniti contra quicquam potuit, qui, se ne parem quidem tantæ sustinendæ potentiæ videns, veritusque, ne mari quoq; sibi præcluderetur à tam valido hoste exitus, vt in continente factum fuerat: audiens insuper de naualibus copiis auxiliaribus, quæ iam in ea Insula aduenisse nunciabantur, quæ ex aduerso Massiliæ vrbi opposita est: satius iudicauit tempestiua fuga interitum suum præcauere, quem euitare se nullo modo posse intelligebat, si in oppido maneret.

Propere igitur, quicquid nancisci poterat nauium, armari instruique iubet, fingens auxiliaribus Poliarchi triremibus obuiam se processurum, easque, si possit, nauali profligaturum prælio. Me vero secum duxit, opima è regno Galliæ se spolia referre interpretatus, vt profectus in Liguriam, me innocentem calumniatorum multitudine oppressam, multorum criminum ream peragerer, existimans, mortem meam compendiosissimam

fore

fore viam, Poliarcho ægre faciendi, cum alia ratione non posset. Et is quidem ab vrbe discedens, fallere potuit miseros ciues, Diuinam prouidentiam vindictamque, quæ eum quacunque iret, persequebatur, fallere non potuit. Accepistis, opinor, quo loco res sint in Gallia sub imperio filii mei Poliarchi; quid in mari contigerit sub ductu Archombroti, satis nostis. Sic meruit virtus eorum, qui iure fratres censentur, vterque Rex, vterque fortitudinis alumnus. O quantus hic est Numinis in me fauor! quanta prouidentiæ indulgentia, quæ vbere perfundit afflictissimam meam senectutem lætitia! Nunc lubet omnes, quas perpessa sum miserias & calamitates, profunda sepelire obliuione, cum cœlestis benignitas pro malis exhaustis tot mihi rependat veri gaudii & hilaritatis argumenta, facta tam luculenta fortunæ mutatione.

CAPVT VNDECIMVM.

PERIOCHE.

AMbiodorix desperata Massiliæ obsessæ defensione, clanculum se subducit. Fugientem persecutus Poliarchus in victrices Archombroti naues incidit. Mirum gaudium ex insperato tot regum reginarumque post tot aduersitates occursu.

NOndum per oppidum, quid factum fuisset, notum erat, cum Poliarchus, quanquam tarde ad ipsum de Ambiodorigis fuga perlatum esset, statuit omnino eum persequi. Iussis igitur in portu suis omnibus comparere nauibus, tam iis quas ante habuerat, quam quas nouiter

acquisiuerat, impetat, pararent se, tollerentq; vectores, nautas ac milites, nec cessarent persequi fugitiuos, donec illos assequerentur.

Ipse cum triremem Prætoriam conscendisset, plenis velis remisque accelerato cursu perrexit, vsque ad portum Veneris, ad quem excurrens in mare promontorium, velut limes finit clauditque Poliarchi imperium.

Ibi repente conspicatur aduersum se venientem cum classe Archombrotum. Erexerat hic in prætoria sua, quæ in fronte classis reliquæ incedebat, arma regni Galliæ, quæ Ambiodorix in suis signis ferebat: id autem honoris habebat Archombrotus Timandræ Reginæ Socrui, cui imperium totius classis magna vrbanitate detulerat.

Poliarchus, conspectis Liliis Gallicanis, exultauit præ gaudio, Ambiodorigem adesse ea coniectura existimās, qui ibi præstolaretur occasionem pugnæ. Hinc æstuans irarum mole, cum non dubitaret, oblatam sibi hostilem classem, concitatis remigibus, plenis velis ac tanta celeritate in naues adversas inuectus est, vt Archombroti duces stupefacti tanta eius promptitudine & alacritate vix nanciscerentur tempus, ad defensionem suam arma expediendi: fuissetque haud dubie concursum infestis proris magno errore, nisi Timandra Regina certis indiciis deprehensis confirmasset Archombroto, adesse filium suum Poliarchum. Vnde Siculi Mauritanique, demissis cum antennis velis, amicitiæ signa ostenderunt, prohibente Archombroto, ne quis telum in aduersas incurrentesque triremes coniiceret. Poliarchus ex aduerso non minus mirabatur, tam numerosam instructamque classem tam facile ad primum suum impetum cedere, & ne tentata quidem pugna aduersario herbam, quod aiunt, porrigere; petterrefactos tot milites celeritate inimici, nihil habere quod timiditati prætexerent aut ignauiæ. Iam rursus ferebatur, ne hostis aliquo in se

vtere-

vteretur ſtratagemate, vt hac ratione is primos illius ederet inſultus.

Tandem nouo ſpectaculo commotus, ceſſare ab officio iuſſit remiges,ac ſubſiſtere triremes.Galactio enim conſcenſa parua celoce occurrens ei, compoſito ad hilaritatem vultu:ſi vis, inquit, Poliarche Rex, hoſtes tuos debellare, in aliud mare conuerte vela, hic enim nihil pol quidem inimici offendes. Arma quibus hanc claſſem oppugnare debes,ſunt beneuolentia,gaudium, cor lætitia geſtiens,os abundans gratiarum actione. Subdubitabat Poliarchus,vtrum noſſet eum,qui ſibi loquebatur annon : cæterum fervidus in Ambiodorigis vindictam animus excuſſit ei hominis notitiam.Quæſiuit ergo,compoſito ad ſeueritatem vultu,quiſnam is eſſet qui ſibi loqueretur ? Galactio nihil quidem reſpondit ipſe, ſed adacta propius celoce, in ipſam Poliarchi inſiliens Prætoriam, oſculatus eſt eius dexteram, quem ſtatim agnoſcens Rex amplexus,in ſalutantis collum incubuit. Cumque tanto tempore ceſſaretur à curſu& pugna,mirabantur Poliarchi milites, quid cauſæ ſubeſſet, quod non recta deducti in hoſtem, vires ardoremque ſuum inutili cunctatione conſumerent ?Interim conſpicantur vaſtam triremem, quæ ſe ex aduerſo mouebat, qua vehebantur Timandra Regina,mater Poliarchi : Archombrotus,Siculorum Maurorumque Rex : Cyrthea: Argenis : Aneroeſtus & Gobrias.

His viſis Poliarchus nouitate ſpectaculi extra ſeipſum raptus,plane obmutuit : neſciens an obiecto ſpectro aliquo aut vanis illuſionibus deciperetur. Et ſomniare ſe quidem non credebat, quem conſerendi manus ardor longe ab omni dormiendi deſiderio abſtinebat, nec moris eſſe,vt ii mentis quadam oſcitantia ſomno ſe traderent,quibus iam iam cum hoſte ante oculos conſtituto confligendum eſt.Excuſſis igitur ineptis hiſce cogitationi-

tionibus, curriculo ad matrem properat, amplectitur, osculatur: quæ cum vellet indulgere materno affectui, & velut sola in possessione manere tanti boni: Poliarchus, expediens se ab eius brachiis, ad alios salutandos cucurrit. Primum omnium post Matrem complectitur optimum senem Aneroestum; inde Argenidem, post hanc Archombrotum, deinceps Elisam sororem. Inde salutauit præfectum quoq; triremium Ægyptiacarum, cæterosque, quos aut natalium splendor aut officii dignitas eminere faciebat: habito vnicuique honore vti conueniebat. His peractis ad matrem redibat, cuius amplexibus basiisque satiari non poterat. Auulsus tandem ab ea, ad Gelanorem conuersus, qui & ipse aduenerat, vt regi ad seruitia de more præsto esset, imperat ei, vt militibus satisfaceret, eximeretque dubitandi causas, narrato tam prospero & inexpectato regum occursu. Qui cum acquieuissent, iniungit Nauarchis, vti suas cum Archombroti classe maternisque coniungerent nauibus, & ad concentum velut remigarent, vt facta societate incederent vna omnes. Pauci ex Siculis Archombroti militibus, qui primo Poliarchi incursu vulnerati telis fuerant, comiter & benigne habiti, larga perceperunt doloris sui redhostimenta: vt non deessent, qui dolerent se integros à vulneribusque immunes, cum viderent saucios tam luculentis affici præmiis. Gaudio tamen & lætitia Timandra cæteros anteibat omnes, cum admirabilis Numinis fauor eam non tantum è squalore carceris in libertatem asseruisset, verum etiam præter expectationẽ charissimos liberos, quos miseris interiisse modis arbitrabatur, eius conspectui amplexibusque obtulisset. Et nunc iubebat eos recitare suas aduersitates, nunc ipsa narrabat suas; cumque audiret grauissima eorum pericula, plorabat præ metu: intellecto autem illos euasisse, flebat præ gaudio, ita omnia quæ dicebantur, muliebriter

ter ferebat. Nec satiari poterat audiendo tam varios & periculi plenos pignorum suorum casus, moderatius illorum ferens acerbitatem, quia liberi eius omnes superauerant aduersitates, quibus iam præsens præsentibus fruebatur: nec hoc mirum, quia ita fere comparatum est, vt præteritorum laborum iucunda apud omnes soleat esse recordatio, futurorum metus & formido.

CAPVT DVODECIMVM.

PERIOCHE.

Regum duorum, Archombroti & Poliarchi, qui classes suas coniunxerant, in Portum Massiliensem gloriosus ingressus, admirante vniuersa ciuitate: cuius maxima pars de tradendo præfecto Vrbis consilium init: ostendentibus nonnullis rationem, qua Massiliam rex ingredi posset, qui ea vsus Vrbem sui iuris facit.

SIc illi quidem prospere nauigantes, breui tempore sinum Gallicanum tenuerunt, post portum Hàlcidonium ad Massiliam ingressi, clangorem tubarum ingentem sustulerunt, intermisso tibiarum, tympanorum, fistularumque nauticarum sono, acclamante vniuersa classe, vt vicinum littus reboaret, & clamor in ipsa vrbe valide exaudiretur. Exterriti itaque oppidani in muros naualibus proximos spectatum procurrentes, aspiciunt totum mare vicinum stratum nauibus erigentibus se tanto numero malis, vt syluæ mobilis & in aqua fluctuantis speciem referrent. Qui Ambiodorigis partes secuti, & à Poliarcho victi fuerant, præ cæteris clamabant validius, vt testarentur, quantopere ipsos erroris admissi

admiſſi pœniteret,vtque ciues intelligerent,eos iam ſub Regis conceſſiſſe obedientiam.

Reliquerat fugiens Ambiodorix Legatum in vrbe, qui ſuo nomine præeſſet militibus & tutaretur aduerſus Poliarchum oppidum. Is videns muros omnemque eorum loricam plenam viris, fœminis, pueris, quos ſpectandi curoſitas in ſumma mœnia, ſubleuauerat, ſupra modum excanduit, quod nollet illos videre claſſem regiorum: prompte igitur ſummiſſis militibus imperat, vt ſpectatores illos reiectos à muro domum redire compellerent: ipſe conſtitutis eorum loco baliſtis aliiſque machinis muralibus, præter tela ac ſagittas, magnum miſſilium numerum in naues, quæ portum ſubiuerant, coniicit, & illas ſaxeo perſpergit imbre, ſcilicet vt oſtenderet hoſti, quantum haberet in muris præſidii,& ad defendendum oppidum animi. Animaduertens hæc Timandra Regina, cum non ignoraret quid in vrbe ageretur, monuit Poliarchum & Archombrotum, milites præſidiarios parum admodum fidere ciuibus, quibus non liceret ad muros & defenſacula accedere propius, Legato non ignorante; ſi ſcirent à quo eorum obſideretur oppidum, non pugnaturos amplius, aut toleraturos obſidionis calamitates, ſed ad ſolum Poliarchi nomen aperturos portas legitimumque ſuum admiſſuros Principem.

Hoc audito Archombrotus conſuluit, vt magnus ſagittarum numerus in frequentiſſimos oppidi vicos mitteretur, quibus affixæ eſſent literæ, dederent ſe ciues Poliarcho Regi ſuo, qui copias Ambiodorigis terra marique profligaſſet, & matrem è Tyranni impiis liberaſſet manibus. Cum igitur hæ ſagittæ loquaces in plurium perueniſſent manus, didito rumore de Poliarchi Regis præſentia & victoriis,vulgo tumultuatum eſt. Ergo Senatores vrbis præcipuique ciues ad Palatium concurrere,

currere, ſciſcitari, vbi eſſet Ambiodorix? Legatus aſſe-uerare, præſto eum eſſe, ſed grauioribus impeditum ne-gotiis loqui iis non poſſe. Populus ægre ferre mendaciis ſe circumſcribi, ſeditionem agitare, minari proceribus, contemptim loqui de Ambiodorige, nomen & facta Poliarchi laudibus ad cœlum vehere. Poliarchus o-mnium ferebatur vocibus, quem aduerſarii eius ſem-per clamitaſſent mortuum fuiſſe. Hac ſe, dicebant, per-ſuaſione circumuentos, Ambiodorigis ſuſtinuiſſe fa-ctionem, veritos ſcilicet, ne Diadema regni exterorum raperetur manibus. Cum autem hæc omnia ficta falſa-que ſint, & Galli ſuum habeant regem, & Poliarchus viuat, pro quo, ſi poſſint, millies mori parati ſint: quid i-gitur impediret, quod ei non è veſtigio aperirentur por-tæ? Animaduertens Legatus, his nugis ambagibuſque ſatisfacere ſe inſanienti plebi non poſſe, progreſſus ad multitudinem, aptiſſimis ad manſuetudinem vſus ver-bis, aliquantum ſedauit tumultuantes, retentis ſecum iis, qui præ cæteris dignitate eminebant aut officio, vti cum iis in commune conſuleret, quibus potiſſimum conditionibus pax cum regiis ſancienda, & deditio fa-cienda eſſet.

Ad vltimum hoc verbum plebs conquieſcere viſa eſt: cumque Legatus nonniſi duodecim horarum ſpa-cium ad deliberandum petiiſſet, rediit multitudo do-mum. Interim ipſe omne illud tempus in lucro ponens, duplicat militum per compita vicoſque vrbis ſtationes, auget vigilias, maiorique ſtudio quam vnquam alias in-cumbit defenſioni oppidi, duplicem nactus hoſtem, ex-ternum & internum, Poliarchum aperte, ciues in occul-to ſibi aduerſantes. Hoc animaduerſo ciues multo ma-gis ad ſeditionem commoti ſunt, præſertim animoſio-res, qui iniquiſſime ferebant, tam proditorie ſecum agi. Quidam igitur è nobilioribus, cui cæteri prope omnes

ſub-

ſubſcribebant, conſtituit apud animum ſuum, deſignare facinus, quod & patriæ ſuæ emolumento, ſibi ſuiſque gloriæ & honori foret. Cæterum erat domus eius eo loco ſita, vt poſſet nulli mortalium viſus ad littus maris inde deſcendere.

Circa veſperam coniecit ſe in mare, & natauit ſatis commode, vt intra triremem Arſidæ & Galactionis penetrauerit. Primi qui eum viderant, exterriti neſciuerunt, quid monſtri nocturni adeſſet, nonnullis iudicantibus ſpectrum eſſe, aliis belluam marinam exiſtimantibus. Sed cum ſe ciuem proclamaſſet, exceptus ſcapha inque nauem ſubleuatus eſt. Ductores ordinum volebant eum examini rigidiori ex diſciplina militari ſubiicere, nec quiſquam fere inter eos erat, qui non aliquid noui ex ipſo ſciſcitaretur: verum ille curioſitatem eorum repudiabat, ſe non ideo expoſuiſſe mortis periculo vitam ſuam aſſerens, vt de tribus capellis aliquid in medium afferret: habere ſe arcana maximi momenti, quæ nulli mortalium præterquam ipſi Poliarcho, aut matri eius reginæ explicare vellet. Ad Regem igitur illico deductus, cum quis eſſet, partim expoſuiſſet ipſe, partim ab aliis ſponte cognitus eſſet, res hoſtium in vrbe tenui pendere filo aſſeuerauit, orans, vt obſidionem magno ſtudio vrgeret, & ad oppugnandam ciuitatem ſerio ſe accingeret. Addidit, victoriam non fore difficilem, ſi ſuum ſequi vellet conſilium.

Iuſſus dicere, narrauit eſſe in vrbe canalem, qui ſubter terram in varia eius loca deriuaret aquas. Præterea extra vrbem eſſe puteum ſatis profundum, per quem demitti ipſumque canalem ingredi poſſent milites, qui ipſos recta via deducturus eſſet ad alium puteum, intra veſtibulum domus ciuis cuiuſdam, quo cum hoc ipſo nomine ipſe conueniſſet, qui emergentes è puteo regios in confœderatorum & amicorum domicilia diſtributurus

rus protecturusque esset, donec eorum opera commode rex vti posset. Hanc sibi videri commodissimam rationem, qua Legatus Ambiodorigis vna cum ipsa vrbe in Poliarchi possit redigi potestatem.

Non improbauit hominis cōsilium Poliarchus: cumque exploratores misisset qui periculum facerent, vtrum res ita vt Massiliensis dixerat haberet: elegit trecentos milites promptissimos fidelissimosque ex omni exercitu, quibus ad tam periculosos conatus vteretur. His ducem dedit Gelanorem, notæ fidei hominem, qui & primus cum Massiliensi illo in puteum descendit. Hos duos secuti lecti illi milites, per canalem, per cœnum, per tenebras repentes instar canum, penetrauerunt tandem, nec sine maximis molestiis, vsque ad destinatum locum, quo oportebat eos in lucem emergere. Excepti ibi fuere magna coniuratorum lætitia, & deducti in diuersoria singuli, comiterque & opipare habiti sunt. Interea Polyarchus cum suis naualibus copiis in terram exscenderat, vt cum omni exercitu ea ipsa hora, de qua cum Gelanore conuenerat, terrestri assultu Vrbem aggrederetur, dum Archombrotus in ipso portu à mari oppugnat mœnia.

Constitutum tempus iam aderat, & cunctabatur Poliarchus, nolens incertum euentum certo tentare periculo, cum quidam oppidanorum eadem vsus via, qua Gelanor cum suis in oppidum irrepserat, adesse se, & optare, extractum se ad Polyarchum deduci. Ibi narrauit omnia in Vrbe parata esse, nec quicquam ab iis qui regias sequerentur partes, expectari vlterius, quam oppugnationem murorum, qua de re iam inter ipsos conuenerat. Peropportune hic nuncius accidit regi. Profligata igitur omni mora, vocatum ad signa militem applicare scalas iubet, & auspicari oppugnationem. Conspicatus hoc Gelanor, vicinam turrim cum suis aggreditur

ditur eamque occupat. Nec fuit hoc ipsi difficile factu, cum milites, qui ad eius custodiam ibi instatione collocati erant, ad murorum defensionem vocati fuissent, relicto vno solo, qui cum satis diu lapidibus missilibusque in subeuntes detonuisset, boni militis officium gnauiter præstitit: donec Gelanor redacta in potestatem fenestra eum fugere coegit, & Poliarchi Regis signum militare in ea constituit turri. At foris Polyarchus, visis in summitate turris illius signis suis factus animosior, cohortatus ad virtutem milites, ad conscendendas scalas vrsit, qui cum se in oculis ac facie regis sui pugnaturos intelligerent, multa egregia fortitudinis ediderunt specimina, vt post cruentam pugnam superauerint muros, seque cum Gelanore coniunxerint. Qui statim cum magna parte copiarum ad Palatium profectus, cœpit quatere ac perrumpere portam.

Incluserat se Legatus videns res perditas, plenus formidine, cum non inueniret quid faceret: hunc Gelanor viuum cepit, & clauium vrbis simul potitus est. Omnes autem ciues Gelanorem velut faustum aliquod astrum, aut bonum Genium cœlitus delapsum læti intuebantur, nec quisquam ipsius armis obstrepebat: Gelanor contra militibus suis direptionē oppidi seuerissime interdixit, constituta capitis pœna. Inde aperuit Regi portas, qui eum Matri detulit honorem, vt ipsa prior ingrederetur. Diceres totam Vrbem se effudisse ad visendum salutandumque Reges suos, & deprecandum debitum errori supplicium. Poliarchus potitus hac ratione Massilia, misit caduceatorem cum tubicine per plerasque Vrbis plateas, vniuersis ciuibus, omnium delictorum veniam se largiri, pronuncians: vtque illustrius exhiberet clementiæ suæ testimonium, iussit Legatum Ambiodorigis exsolutum vinculis adduci, dixitque se ei supplicium capitis merito, & vitam, & quæ habebat donare: qui pro-

stratus

ſtratus ad pedes Regis gratias quantas potuit egit maximas. Poſtea omnes Duces, Tribuni, Centuriones, ductoresque ordinum, ciuitatem ingreſſi ſunt, exornatis ſumptuoſiſſime templis præcipuisque vrbis ædibus, ad excipiendos exquiſita magnificentia Reges. Poſtremo fuit confirmatum magna ſolennitate inter Archombrotum Cyrtheamque matrimonium, eſtq; ad hunc modum lætam conſecuta comœdia illa Cataſtrophen.



ARGE-



ARGENIDIS CONTINVATÆ PARTIS TERTIÆ

LIBER TERTIVS.

CAPVT PRIMVM.

Perioche.

Ambiodorix, qui se fuga ad Ligurum Regem proripuerat, misso Feciali per Poliarchum repetitur, hostis reipublicæ iudicatus. Dubitat Ligur an supplicem dederet. Ambiguus animi mittit ad consulendum Oraculũ Fortunæ. Ambiodorix parum fidens Liguribus, fugit in Iberiam.

FErebant omnes ægerrimis animis, turpi fuga consulentem sibi Ambiodorigem ad Liguriæ Regem euasisse: nec erat quisquam in omni Archombroti comitatu, qui non indignissime ferret, communem hostem sustineri fouerique ab eo Rege, cuius omne robur potentiaque dependeret à fœdere, quod ei intercedebat cum Siculorum rege, patre inquam Argenidis. Ad hunc ergo

ergo Ligurum regem mittit Polyarchus Fæcialem, non quidem res repetitum, sed vt Ambiodorigem sibi dederet: quod si renueret, populationem in agro, obsidionem in vrbe expectaret. Cætera quæ bellum secum traheret incommoda, ipsum nosse. Sensit statim à principio Ligurum rex, aculeum huius postulationis: nec enim reprehensione carebit vnquam princeps, qui supplicem ad se confugientem hosti prodiderit. Sensit & Ambiodorix de se nunc maxime, si vnquam alias agi, minus igitur minusq; Liguribus fidens, & à proditione sibi metuens, non cessabat per omnia sacra obsecrare, testatus Deos vtriusque regni tutelares, iura hospitalia, & ipsum præ cæteris Iouem Xenium.

At altrinsecus Liguriæ Rex metuebat, ne si recusaret Poliarchi petitionem, nasceretur inde scintilla ignis, quo totum eius regnum conflagraret. Hærebat itaque in biuio, hæc satis quid faceret expediebat. Minæ tam validi principis suadebant deditionem fugitiui: Ius gentium & fides hospitalis non permittebant; in certam perniciem hostibus dedere supplicem, qui sub eius confugisset patrocinium. Cumque ad hunc modum dubius penderet animi, oppugnantibus illinc hominem minis vicini Regis, hinc cum dextera fide atque ratione: vt vteretur consilio immortalium, misit sacerdotes Antium, qui percunctarentur Oraculum, quod illico respondit: videri regem optime facturum, si Poliarcho dedat Ambiodorigem. Reuersi sacrifici cum recitassent consilium Oraculi, complures inuenerunt, qui ita faciendum censerent, fuissetque vulgo in hanc sententiam itum: nisi vir quidam grandis ætate, veneranda canitie, auctoritate spectabilis, &

-----consiliis habitus non futilis auctor

prodiens in medium, alterutrum sibi videri dixit: Legatos aut corripuisse Oraculum aut non satis intellexisse.

Nec enim verisimile sibi videri, Deos iussuros rem tam manifeste iniustam. Sacerdotes contra rite & legitime se egisse,& non nisi vera retulisse protestabantur. Non mouebatur his senex ille sed perstabat in sua sententia, faciebatque,vt cæteri omnes de responsi veritate dubitarent,etiam Rex ipse.

Visum in rebus tam perplexis alios Antium mittere, iisque senem adiungere, qui daret operam,vt interrogatio formaretur ex animo & sententia Regis, neve fraus aliqua interueniret, sed bona fide referretur responsum oraculi. Sed Fortunæ simulacrum, cui dedicatum erat antiquitus templum istud, vnde & responsorum veritas dependebat, eodem modo respondit quo prius. Dici scribique satis non potest,quanta cum indignatione hæc acceperit Senex, qui in eam prorupit importunitatem, vt publice idolo malediceret, & exiens ex æde paruas quasdam imagunculas marmoreas confringeret. Egressus igitur plenus irarum, conspicatus hirundinum nidum in suggrundiis templi,lapides sublatos in illos coniecit.Non tulit vlterius fastum & insolentiã Senis Numen loci,qui audiuit continuo vocẽ tenui sibilo à templo prodeuntem: Dic mihi sacrilege,quis tibi audaciam dedit exturbandi alumnos meos è nidis suis, à quibus nec verbis nec facto vnquam læsus es? Senex nihil perterritus prodigio, confestim reposuit: Facio idem quod tu facis, qui nobis imperas, inimicorum arbitrio dedere eos, qui ad nos velut Templum aut Asylum quoddam confugerunt, nec vlla nos vnquam iniuria affecerunt. Oraculum conuerso ad Legatos sermone facessere eos iussit,his verbis increpans: Ite nefarii homines. Non in alium finem vobis respondi, quam vt confunderem vos & eluderem vestram amentiam. Ita ne oportuit consulere Oraculum an sint ad necem dedendi supplices? Ibi

Senex,

Senex, qui magno fuerat affectus mœrore, exultans gaudio cum sacerdotibus in Liguriam rediit.

Relato vltimo responso, diu disceptatum est, quidnam de Ambiodorige faciendum foret? Conseruari non poterat sine ruina & interitu patriæ. Dedere crudele videbatur & barbarum. Tandem ipse vocatus in senatum quidnam sentiret, dicere iussus est. Petiit tristis vt ad Argantorium Regem mitteretur. subscripsit huic sententiæ Rex primoresque Ligurum, optimum factu arbitrati, si abiret ad alios ille, quam vt Polyarchus iniuria affectus bilem suam in eos despumaret. Qui enim sapit, non facile lacessit potentiores, quorum iræ sunt plūbeæ: sed caute inter scopulos fluctusque lembum suum dirigit, ne vel illis illidatur, vel ab his absorbeatur,

Gnarus crudeles Salmonea pendere pœnas
Dum flammas Iouis & sonitus imitatur Olympi
Demens, qui nimbos & non imitabile ferrum
Aere & cornipedum cursu simulauit equorum.
Cui pater haud vanum densa internubila telum
Intorsit, stolidumq; immani turbine adegit.

Quid enim attinet nostris iumentis nobis accersere mala? quid necesse est ire in aduersum nostris infortuniis?

At Ambiodorix conseruatus Senis illius prudentia, in maximo hominem habuit precio, vtique postquam intellexit, quanta totum de Oraculo negotium curauerit dexteritate. Discedens igitur ab Liguria, eum secum duxit, estque deinceps solerti ipsius vsus opera in suis machinationibus magno cum totius Galliæ detrimento. Prosecutus est Ligurum Rex discedentes humaniter, adiunctis aliquot triremibus, qui ipsos securitatis causa, aliquo vsque deducerent. Continuo igitur vela ventis dederunt, cum nollet Ambiodorix molestus esse Regi amico, à quo vrgebatur ad celerem profectionem, metuente ne hospitis sui causa implicaretur duplici bel-

lo, quod gerendum esset cum duobus vicinis regibus potentissimis: cuius finis esse alius non poterat quam ruina totius Liguriæ.

Oderunt magni Principes amicitias & officia, quæ certis nituntur conditionibus. Summæ prudentiæ bonæque gubernationis indicium est, si Rex eum in omnibus actionibus sibi proponat finem, vt conseruet integrum & incolume Diadema suum, quæ res potissimum dependet à conseruatione amicitiæ, cum vicinis suis atque confœderatis, quos nemo sanus facile offenderit.

CAPVT SECVNDVM.

Perioche.

Fortunæ inconstantia, & variabilis lubricitas plerumque imprudentes in exitium præcipitat. Ambiodorix in nauigium incidit, in quo capta vehitur Elisa: quæ blandientem sibi cum indignatione reiicit.

Fortuna vitrea est, inquit non nemo, *cum splendet frangitur*. Nihil tam fallaciter blanditur quam instabilis ista Diua: nihil tam lubricis incertisque incedit passibus: nulli rei lapsus & ruina est damnosior. Qui eam recte nouit, non præstat aures eius linguæ, non imprimit pedem vestigio eius, & sic vitat offensacula atque lapsus. Bonam, inquam, Fortunam videmus fere sapientes non sequi nisi vi tractam, nec obedire prudentibus nisi coactam. Populus autem vice versa quadam alacritate iugum capistrumque eius subit. Dominatur huic sapiens, quæ reuereri eum cogitur ob constantiam: Illa

contra

contra imperitat plebi, quæ leuitate quadam ei iuramentum præstat, dum non alio conuertit oculos suos imperitum vulgus, quam in hanc oculis carentem, nec sentit nisi in hoc obiecto omnis sensus experte. Populum ergo Fortuna habet tanquam mensam, in qua prandet cænatque, tanquam lectulum in quo requiescit. Cumque cæca sit non admodum curat, apud quem diuertat hospitem: Vescitur cum Circe, dormit cum Omphale. Qui ei fidere velit, profliget ab sese oportet rectam rationem, tæniaque suos sibi obliget oculos, ne videat leuitatem eius & inconstantiam, cum summa coniunctam malitia & infidelitate.

Arbitrabantur Galli, Litas in vniuersum ab sese abegisse Aten, seque iam propriam perpetemque possidere Bonam Fortunam, quæ in æternum exilium eiecerit Malam Aduersamque, ablata huic omni spe reditus. Non considerabant cæci, sub dulci pacis nomine sæpe crudelissimum occultari bellum; & in ipsis lætitiæ publicæ affluentissimis vndis generari quandoque noxium aliquod monstrum, quod apprehendat & absorbeat eos, qui se illis inconsideratius immergunt. Nam ecce dum Poliarchus Massilia recepta lætum de inimicis triumphum agit, aduersæ fortunæ rabies in ipsum vsque portum peruadit, vbi valde atrocem noxia illa diua accendit ignem, cuius flamma neque arte neque auxilio vllo extingui potuit.

Ambiodorige desperationis pleno iuxta Galliæ littus erranti, occurrit paruum quoddam nauigium, quod studiose cursum intendebat versus Liguriam. Ambiodorix statim illud in suam potestatem redegit, cum nemo esset qui ei vllo pacto resisteret. Omnibus igitur imperat, vt protinus deserto nauigio in suam venirent triremem, cui dicto mos sine mora gestus est, quanquam non eodem modo. Nauarchus, quem ipse reliquerat Massiliæ, ab-

iicit se ad pedes eius,gaudio & admiratione extra se raptus. Gauisus & ipse est Ambiodorix viso homine; sed non erat hoc gaudium vllo modo conferendum cum lætitia stupore mixta,quam percipiebat visa Elisa, regali filia,quam ei Nauarchus in conspectum adducebat. Aliquantum ergo tacite miratus, tandem in has erumpit voces:Dî deæque, accipio hunc occursum velut lætissimum mei itineris omen! pergite sic Superi,sospitate imposterum quoque cœpta mea,felicique beate exitu, sicut hac ipsa hora cœpistis. Quam egregie mecum agitur, cum incredibilis illa pulchritudo offertur oculis meis, quam post tot menses & annos non visam lubens adoro! Quid reddam vobis, ô cœlites, pro tanto, quo nunc me afficitis beneficio? Tu vero Domina, ecquisnam bonus Genius te nauigantem ad meas triremes adegit, velut in portum quendam securissimum, in quo potes tuto anchoras proiicere sine metu quassationis aut naufragii? Si vltro & tua sponte confugisti ad me,multum tibi profecto debeo. Si fortuna aut casus te huc duxit, noli metuere,frueris tuis nihilominus desideriis,&perficies cogitata,cum hæc sit votorum meorum summa, vt quicquid tibi placuerit cum cura faciam. Inuenies apud nos quicquid optare aut desiderare poteris; tales enim vos scio, quibus summam debeam reuerentiam, vt me magnitudini ac voluntati vestræ lubens merito subiiciam.

Parum admodum hæc verba cordi erant Elisæ, quæ Ambiodorigem haud secus intuebatur, quam columba miluum, cuius vel conspectum longissime fugeret, si qua via aut ratio effugiendi pateret. Frustra es,inquiebat, ludisq; operam,hominum crudelissime,cum tuam te tegere posse putas malitiam sub verborum inuolucro, quibus te obligatum fateris,vt te submittas magnitudini & imperio meo. Si enim magnitudinem meam reuereris; merito contemno te tuosque malesanos co-

natus.

natus. Si mihi, vt ais, obædire vis: continuo impero tibi, vt me restitutam libertati nauigiolo meo sinas reuerti Massiliam, vt perfruar felicitate mea, qua abstergam iniustas quibus per te dudum affecta sum calamitates. Alia ratione nunquam fiet, vt patiẽtia mea succumbat tyrannico tuo Dominatui: neque speres, omnibus tuis blanditiis vel minimum affectuum meorum tibi conciliaturum. An non potius, si quis in te color virtutis esset, erubescere debebas & verecondari, cum in conspectum meum prodis, gnarus, quantis metua malitia exposuerit terra marique periculis? Miror profecto quod non totus contremiscas, cum vides ante oculos tuos Regalem filiam Galliæ, cuius Regem tanta hostilitate persecutus es, Regnum vero ipsum tot afflixisti calamitatibus. An non sufficit tibi quod ausus fuisti sacrilegis manibus rapere matrem meam, Reginam tuam, illamq; in nauem impositam in Liguriam, vt ibi scilicet periret carnificum manibus, sacrosancta matrona, quæ te tot eripuit necessitatibus, teque conseruauit in propriam plenis equis velisque ruentem pernitiem? Non sufficiunt inquam hæc tibi flagitia, nisi me quoque spolies consanguineis necessariisque meis, priues gaudiis ac recreationibus, extorrem facias patria, vt immoles victimam improbis tuis desideriis? Noli credere me propterea, quod rapta sum, vnquam consensuram in amorem tui: quin potius istud metue, ne incensum pectus meum iusta indignatione ad vindictam male factorum tuorum armet omnes meos sensus, vt perditus pessimis modis, præmia perfidiæ tuæ debita auferas.

Vos autem ô generosa pectora Galli, qui nati estis ad illustrandum totum hoc vniuersum gloria nominis vestri, quam diu perferetis lassis manibus impotentem huius Tyranni dominatum? annon sentitis laureas vestras marcescere, virtutemque ipsam contrahere la-

bem subiniustis huius hominis conatibus? Potestisne æquo animo ferre vt dicamini Incendiarii Patriæ vestræ. Quod si vos huius hominis impietas non potest auertere ab hac dementia, at saltem miserabilis clamor infantum, vxorum, parentum amicorumque vestrorum valere apud vos aliquid debet. Tangat vos, si nihil aliud, miseratio matris meæ, quam senili iam affectam ætate hoc modo affligere religio sit. Quo enim pacto, quæso vos ab ea læsi offensique estis? quid fecit, quod efferatis barbariæ animis armatis ferro manibus in eius itis pernitiem? Vix putem lupos aut tygres hoc facturos, aut si quid natum satumque est vsquam immanius. Seruate potius aciem gladiorum vestrorum aduersus exteros, & qui à vobis dudum alieno sunt animo, quos iam videmus suauiter ridere Gallorum amentiam, contemnere vires. Iactatur prope apud omnes gentes, oblitos fuisse Gallos fortitudinis maiorum suorum, contentos præclara illorum facta in historiis legi. Dico enim vere, ô mei Galli, nec sine lachrimis dico, si vobis cordi esset, pristina vti animi magnitudine, & armorum vestrorum proferre gloriam, possetis terrori esse omnibus gentibus ac nationibus. Nunc cum in vestra sæuiatis viscera, omissisque exteris ac hostibus, ciuium sanguine cruentetis vestros gladios, ipsamque perditum itis patriam, ac Rempublicam, quæ suapte sponte in ruinam inclinata est, valide impellatis, quid de vobis sperandum sit non video.

CAPVT TERTIVM.

Perioche.

AMor Ambiodorigis in odium acerbum conuertitur, vnde Elisa nitente illo mancipatur carceri.

ceri. Quomodo capta fuerit & abducta. Ingenium vini Græci quod flammas momento concipit.

NOn verba, ſed ignes viſa eſt Eliſa proloqui, quibus cor Ambiodorigis amburebatur, qui & ipſe dubius animi inter diffidentiam & deſperationem fluctuabat medius, Videbat ex illa rerum incertitudine facile non eſſe, ſe expedire. Primum enim diffidebat ſuis, quod ſuſpicaretur, orationem Eliſæ, auctoritate ſubnixam regia, plus valituram quam vanam ſpem, qua animos militum ſuorum inebriauerat. Non ignorabat quod vulgo dici ſolet, latere ignem in oſſibus Leonum: neque tantam ſuam eſſe auctoritatem, vt virginis præſentia cum facundia coniuncta eam non labefactare, vulgusque militum ab eius obedientia abſtrahere poſſit. Altera ex parte torquebat eum deſperatio, cum ad quiduis potius paratam promptamque quam ad amorem ſui cerneret virginem. Hinc factum eſt, vt cum videret ipſam ad affectus ſuos flecti nulla ratione poſſe, paulatim ipſe odiſſe inciperet. Mox iterum damnabat has cogitationes ſuas, ſpem patientia fulciendam exiſtimans, quæ nunquam deſereret viuentes. Huic adiungebat præſentem felicitatem, quod non alius quam Bonæ Fortunæ beneficio poſſideret præſentem Eliſam. Rurſus ita cogitabat: Poſſe ſe Polyarchum æterno amicitiæ vinculo ſibi obligare, ſi ei redderet ſororem: de Archombroto autem optime mereri ſi reſtitueret deſponſatam.

Piſcem quendam perhibent, qui de hiſtoria animalium ſcripſerunt, tantæ prudentiæ & ſagacitatis eſſe vt certis qubuſdam argumentis futuram præuideat tempeſtatem. Ibi arripere eum aiunt ſaxum, cuius pondere adiutus ad imum maris fundum deſcendat, laciturus ibi tantisper, donec ira Neptuni deferueſcat: cauto conſilio, ne ra-

ne raptus procellarum fluctuumque impetu, præter arbitrium nec ſine noxa iactetur.

Hunc imitatus Ambiodorix, non dubitabat, quin ſalubri Eliſæ poſſet vti opera, in ſopienda regis vtriuſque aduerſum ſe iracundia: ad diligentem igitur virginis curam conuerſus, iuſſit quidem ipſam cuſtodiri, ita tamen, vt exquiſitis honoribus coleretur, vt præſentis fortunæ captus & viuendi ratio nautica patiebatur. Interea ipſe cum quieſcere non poſſet, plenus curarum & ſollicitudinum, quæ ſine fine exedebant cor eius; vocatum Nauarchum iuſſit bona fide ſibi referre, quo pacto regiam ipſe adeptus fuiſſet virginem? qui nihil tergiuerſatus moram geſſit petitioni Ambiodorigis, gnarus inde dependere ſalutem fortunasque ſuas.

Scire igitur debes illuſtriſſime princeps, me armorum hoſtilium robore & ſeditione multitudinis ſuperatum, non potuiſſe probare tibi vlterius ſtudium fidemque meam in conſeruanda Maſſilia, quam tamen niſi Poliarchus proditione occupauiſſet, fortaſſe eam nondum cepiſſet. Ego quidem nihil aliud expectabam quam certiſſimam mortem, quam nec ipſe nec alius quiſquam, qui arma contra Poliarchum tuleramus effugiſſemus, niſi ingens ſontium numerus eum mouiſſet, vt omnibus in vniuerſum eadem opera veniam delictorum largiretur, conſtituta præteritorum amneſtia, qua tam ciues in vrbe quam coloni in agro perfruerentur. Mihi quoque hoc beneficio gaudere contigit, cum exemtus vinculis in conſpectum illius productus & comiter appellatus dimiſſusque fuiſſem. Vt autem verum fatear, longe mihi tunc erat alius animus, quam cæteris pleriſque, qui ante ipſum comparuerant. Nam obedientia, qua tibi obſtrictus eram, & fides qua me tuis deuoueram ſeruitiis, & ſtudium dignitatis atque gloriæ tuæ, alias intra pectus meum voluebant cogitationes. Amiſeramus

ſeramus Maſſiliam, non ego animum, & libertas, qua me Polyarchus donauerat, non poterat me à tuis eximere ſeruitiis. Tenebat me firma ſpes fore, vt ſe aliqua mihi offerret occaſio, res afflictas perditaſque ex parte inſtaurandi, quam ego in ſingulas horas expectabam atque aucupabar; tandem cum mihi capillatam frontem oſtendiſſet, feſtinus eam arripui, antequam mihi obuerteret occipitium. Eſt adhuc ea Numinis pietas, vt etſi non leui nos affecerit pœna, non tamen penitus omne negauerit auxilium. Ademta mihi fuerat Tribunitia poteſtas in Vrbe, ſupererat fauor & affectus in me pronus multorum ciuium.

Erat in oppido quidam Negotiator magnarius ex eorum numero, qui cum orientalibus populis mercimoniorum exercent permutationem. Nauta huic erat, homo prudens ſagaxque, cui ob in rebus marinis dexteritatem ac ſcientiam multum fidebat Mercator. Huius opera poſtquam is magno ſuo cum emolumento diu vſus fuiſſet, vt rependeret homini gratiam, conciliauit ei matrimonium ſatis opulentum, cuius me quoque intereſſe voluit ſolennitati. Ibi totum vulgus nauticum effuſum in lætitiam, cum hilatius mero ſe inuitaſſent, dum recitant ſuo more magno clamore, quot quiſque perpeſſus fuiſſet naufragia, ſenſim non quidem mercium ſed ſenſuum rationiſque fecerunt iacturam. Perpotatum hic eſt ſtrenue & in multam pergræcatum noctem, nec vllum fere erat vinorum exoticorum genus, quod non hic guſtui ſaltim præberetur.

Inter alia obſeruaui lagenam vino Græco plenam, raræ bonitatis, effectus vero admirandi. Hoc vino pateram deauratam cum impleuiſſet rex conuiuii, exhibuit mihi honoris ergo primo, cumque admouiſſet ignem, repente emicuit flamma, tantæ quidem magnitudinis, vt vicinarum arborum, quibus animi gratia exornauerant

nauerant cubiculum, rami nonnulli correpti arderent. Ipsis quidem hæc res erat nota & familiaris, mihi qui tale nunquam videram, maximæ admirationi. Notum est enim, eos qui rem aliquam, quantumuis raram sæpius conspexerunt, eandem postea sine admiratione & prope contemtim intueri: cæteris vero, quorum oculis vix vnquam tale quid obseruatum est, in stuporem rapi. Ergo examinata tam mira huius vini natura, statim iudicabam, profuturum illud mihi ad vsus meos, quos iam dudum apud animum meum agitaueram. Peto à mercatore, vt mihi vnius sextarii copiam faciat atque alterius, pollicitus vicissim omnem operam atque seruitium, si quo pacto rebus eius commodare possim; de precio enim cum illo pacisci vanum erat, qui abundabat auro, quique sibi acerbum atque turpe iudicasset, rem tantillam argento vendere. Iussit me expectare in posterum diem, quo donauit mihi exiguum doliolum eo vino plenum, cuius bonitatem & præstantiam in regia adeo deprædicaui, donec fama eius ad præcipuos aulæ proceres, ipsumque adeo Poliarchum perueniret, vt nemo prope esset, qui non illius liquoris suauitatem gustare vellet, quanquam naturæ eius vim & indolem ignorarent, quod admotum propius ignem soleret concipere.

Erant papiliones & tentoria magno numero, in littore erecta in quibus degebat Polyarchus cum plerisq; magnatibus: Reginas reliquerat in triremibus vt ibi præstolarentur, donec Polyarchus regia magnificentia, ingrederetur Vrbem. Mihi tributum erat hospitium in prægrandi quadam naui oneraria, quæ proxime stabat iuxta triremem, in qua diuertebat Elisa, iussu Archombroti, qui tunc aberat. Ibi ego scaphas quasdam fœno atque stramine oppletas adesse iussi, quasi pabulum comportarent pro equis regiis; has igitur scaphas collo-

caui medias inter meam nauim & triremem Archombroti. Collegeram autem in mea naui multum picis, resinæ & cannabis, ad obturandas commissurarum rimas ex disciplina nautica, nec quisquam erat, qui suspicabatur, quas tunc machinabar fraudes, quanquam non dubitem, quin mihi vis aliqua cœli inspirauerit tam salubre consilium. Tempus erat

Quo Sol in medio fulget nitidissimus Orbe
Amburens rapido pecudes hominesq; calore

cum proceres magno numero captandi frigoris vmbræque gratia in meam nauem conuenere. Excepi eos epulo quam fieri poterat magnificentissimo. Quicquid vsquam oriens gignit cupediarum deliciarumque ibi ab largo penu affluxit, nullique rei parsum est præterquam vino Græco, quod non ad bibendum verum in alios vsus seruabatur. Discurrebant omnes, & iam lætitiæ litabant ac hilaritati, cum ego de industria silicem proieci manu, qui in alterius cum incidisset partem acutam, excussit semina flammæ, vnde scintillæ à vino velut à sulphurato fomite conceptæ, vna cum dolio disrupto magna exarsere violentia, vt correptæ stuppæ cum pice resinaque, agitante vento, ignem in vicinas scaphas, quas palea fœnoque oneratas dixi, miserint, vt dicto citius ingenti reluxerint flamma.

Ad hunc modum regnante Vulcano, Comus & Bacchus profligati, Consum quoque Bonamque Mentem secum rapuerunt. Vidisses ibi omnia repleta terrore, confusione, clamoribus, precibus, imperiis, lamentis. Vnusquisque pro se satagebat, pauci pro classe solliciti, extinguendo igni operam dabant, ne cæteræ quoque naues flamma, corriperentur. Nautæ remigesque præ cæteris occupati erant, plurimumque vociferationis & tumultus excitabant. Quanquam autem strenuam nanabant operam, prohibere tamen non potuerunt, quin triremes

remes quinque aut ſex igne abſumerentur, inter quas mea quoque nauis tam valide ardebat, vt niſi ſcaphis lintribuſque ſuccurſum laborantibus fuiſſet, nemo ex hoc incendio ſaluus euaſiſſet. De me vt dicam, caueram mihi ante, prouidè & in antecesſum, vt extra noxam eſſem. Hærebam aſſiduus comes Eliſæ, neque ab eius latere diſcedebam donec diſcumbebatur, idem faciebam in grandi illo terrore, qui totam claſſem non modice perturbauerat. Conſulebat ſibi quiſque vt poterat. Parraueram iam ante celocem iſtam, eamque ad latus nauis meæ alligaueram, tali loco, vt ſi vſus ferret, celeriter expediri poſſet. In hanc ſaltu me conieci aſſumta virgine regia neque me plures ſequi poſſent, rudentem abſcindi iuſſi & duplicari remorum numerum, ſic inter flammam & fumum prope nemine animaduertente euaſimus, vt perexiguo tempore ab vniuerſa claſſe ipſoque portu in apertum prolati pelagus, cæterorum conſpectum euitaueritmus. Cæteri ſe ipſos ſeruauerunt vt quiſque in illo pauore potuit: de nobis non aliter iudicare poterunt (vt mihi quidem videtur) quam nos igne aut fumo ſuffocatos, aut aquis ſubmerſos periiſſe: quod non paucis contigiſſe nouerant.

CAPVT QVARTVM.

PERIOCHE.

ADuentus Ambiodorigis in Iberiam. Eliſa in cuſtodia aſſeruatur. Simulat amentiam. Hanc ita affectam officii gratia inuiſit Ambiodorix.

INterea medium Princeps iam claſſe tenebat,
Certus iter, fluctuſque atros Aquilone ſecabat.

Vt pelagus tenuere rates, occurrit Ibera
Ambiguis tellus -------

qua cōspecta, Ambiodorix incūbere suos remis iussit acrius, vt optata terra potirentur celerius, trahens post se celocē captiuam, qua Elisa vecta fuerat, quæq; postrema classem sequebatur. Conspicatus amicum littus, Tutelares illius salutauit Deos Ambiodorix, & sic portum ingressus est. Vix appulerat cum regi aduentus eius innotuit, qui profectus est ab regia sua, vt hospites, eo quo par erat honore & beneuolentia exciperet; cum autem de Elisa intellexisset, prima cura vtriusque fuit vt firmo includeretur carceri, indignante Argantonio Rege, quod tot obsecrata modis in matrimonium Ambiodorigis consentire nollet, cuius publice audientibus omnibus detestabatur perfidiam.

Crediderim ipsum plorasse carcerem, nouumque præter vsitatum squalorem acquisiuisse horrorem, cum videret puellam regiam tanta formæ elegantia includi, quæ non poterat esse sine innocentia, non hercle magis, quam carcer non esse tristis nocensque qui cohærceret tantam innocentiam, & nouo exemplo ipsam sanctitatem & pietatem innoxiorum & maleficorum compesceret ergastulo. Quanquam autem à principio anus malefica, quæ virginis custodiæ apposita fuerat, eam satis duriter ruditerque tractaret: postremo tamen fatigata potius Elisæ constanti patientia, quam tacta miseratione eius, consilium suppeditauit captiuæ quo elaberetur. Suasit igitur, vt amentiam simularet; vtque carmen auxiliare succineret virgini, adiuit Ambiodorigem, mirandum non esse ait, si defectum rationis pateretur, quę memor pristinę fortunæ regiæ, si cum ea captiuitatis miseriam & sequalorem carceris conferret, perpetuo fletu, planctu, gemitibus lachrymisque vitam consumeret, accedente abstinentia à cibo potuque & nocturnis

vigiliis,

vigiliis, quibus rebus factum esset, vt non tantum in mentis inciderit delirium, sed & de præclara illa faciei formositate multum detriuerit, vt qui eam rebus eius integris viderit, iam vix sit agniturus. Vereri igitur se, aiebat anus ne victa malorum magnitudine in damnosam Phrenesin laberetur. Suadere se ergo ei, vt exemtam carceri virginem, libertati aliquo saltim pacto restitueret, ne simul iacturam tam nobilis puellæ faceret, & crudelis nomine notaretur.

At Ambiodorix, cum conceptas ex adspectu virginis intra pectus suum flammas extinguere penitus non posset, diu noluit verbis aniculæ præbere aures, negans se crediturum, tam illustrem & generosam mentem eiusmodi alterationes aut motus admittere. Postremo, cum non desineret vetula ipsum admonere damni sui, flexit animum eius, vt attenderet dictis. Ne autem alienis potius quam suis crederet oculis, coram eam videre voluit, vt prius ipse vere stultum ageret quam virgo simularet. Ipsus ergo venit in carcerem, vt coram arbitraretur oculis, quid spei superesset, quid metus. Exorsus iterum à blanditiis, plenis officii & beneuolentiæ verbis, conatus est sopire vehementes animi eius commotiones, quibus ipsa concutiebatur. At virgo parum curiosa blanditiarum eius, recordata, quæ à magistra anu acceperat præcepta, aliena admodum & perabsurda respondit: erant omnes eius actiones à sana mentis gubernatione adeo remotæ, vt inciperet credere iis quæ carceris ianitrix ei retulerat: pœnitebatque hominem, quod sua potissimum violentia & mala tractatione virgo in tam grauem mentis incidisset ægritudinem. Accedens enim ad captiuam tentauit apprehensam manum eius ori admotam exosculari: sed potuisset supersedere huic labori: ipsa enim virgo apposuit ori eius dexteram, sed non ex

voto & sententia eius: tam grauem enim inflixit ei alapam, vt ipse sonus toto exaudiretur carcere.

Dissimulauit mulus, quasi non sensisset, & si ruborem facies regere non posset: nec enim ad iracundiam eum suscitare potuit hæc tam insignis iniuria, quin (quod iure mireris) accedens vltro, quasi non ipse sed alius quispiam percussus fuisset, ausus est eam submissa voce percunctari, quæ nam potissima illius hactenus, dum in carcere detineretur fuisset cura? Vt peruestigarem, respondit furiosæ similis, nidos auicularum inter dumeta. Cæterum scrutantem deseruit me frater meus Poliarchus in ipsis vepribus sine socia. Sed, quæso te, an non actutum aderit is, vt me inuisat? Interim censeo ego vt venatum proficiscamur. Ecce quæ tibi nectam tendamque retia, vt capiatur omne quicquid se nobis obtulerit. Et cum dicto capillorum suorum vulsas antias variis nodis implicauit, quandoque etiam Veneris vincula nectens, quæ tamen omnia è vestigio concerpta digitis abiecit, vt stultitiam suam redderet verisimiliorem. At assidens ei stolidus Ambiodorix, cum omnia miraretur, abstinere tamen à lippo, quod dicitur, oculo manus non poterat: at tibi, inquit, aliquando fraudi erit, quod ruperis hæc veneria vincula nodosque, quæ ipse Cupido Dioneus tuis plicauit manibus. Hæc enim vincula, hæc ipsa retia erant perapposita, quibus imperiosus ille puer permultas generosas animas capere, suumque sub iugum redigere potuisset. Addidit his verbis preces, nunquid sibi vnum ex illis nodis siue plicaturis vendere donareve vellet? Hos quidem nodulos, respondit illa, nemo à me auferet, nisi qui fructus illos mihi attulerit, quos tantopere esuriuit, Tantalus, nescio quis, aut poma, quæ proueniunt in hortis Hesperidum. Vt enim vendam, frustra est, cum eos pluris æstimem, quam o-

mnes Arabum Indorumque thesauros : Vnus est Archombrotus meus, quem his Gazis præfero.

Hæc cum magna linguæ volubilitate effudisset, cantilenas quasdam rusticas canere occœpit, quibus nondum finitis, infelix amator assidens, aliquando risit absurditatem morum verborumque, aliquando indoluit, videns sua potissimum opera ad insaniam mentis redactam virginem. Postremo cum etiam miseratio accederet dixit palam, se eam liberam dimissurum, vtque constaret sermoni fides, iussit eam exire carcere, inque vicinis pratis, floribus variis naturæ opificio perpictis, recreandi animi gratia deambulare, vt si fieri posset suscitaret oppressam mœrore mentem.

At Elisa iure suspectam habens malitiam huius serpentis, cum metueret, ne hoc ille comminisceretur, vt dissimulanter irreperet in penitiores eius sensus, simulauit se ridere hominis stoliditatem, qui talia ipsi suadere auderet. Se enim, inquiebat, in tali loco, iam viuere, vbi nullius mortalis subderetur imperio, quæ suo arbitrio cæteris omnibus dominari posset. In tam luculento igitur & amœno loco expectaturam se aduentum sponsi Archombroti, de cuius promissorum veritate nihil quicquam dubitaret. Spopondisse eum autem, rediturum breui, vt eam sibi vendicaret, & de victu necessario prospiceret, curatis insuper vestibus nuptialibus.

His absurditatibus Ambiodorix magis magisque persuasus est, insanire virginem : sed vt ii solent, qui difficulter ad aliquid credendum perducuntur, statuit adhuc vno experimento tentare rei veritatem. Exiuit ergo occlusis carceris ostiis, excitato grandi strepitu, vt omnes quotquot aderant, discedere eum certo scirent. Deinde tacito & suspenso gradu rediens ad ostium, captauit auribus oculisque, quid factura esset Elisa constituta sine arbitris. Verum hæc frustra fuerunt. Longe e-

nim

nim maiore mentis acumine ac prudentia erat prædita, quam vt his astutiis capi posset.

Ergo non ignara insidiarum, volam volæ impegit, cecinitque, præter morem, cantilenas tam varias, absurdas & male concordantes, vt de furore eius dubitari non posset. Eodem momento ridebat, eodem irascebatur; omniumque aures querelis replebat, indulgens lachrymis suspiriisque. Ambiodorix igitur, iudicans Elisæ simulatum furorem verum esse, discessit tristis, omnique cura anxius est, si quod huic tam graui affectui afferre posset remedium, vt assopito humore melancholico ad pristinam rediret spiritus eius alacritatem. Et profecto si verum fateri volumus, hæc fictio, hæc simulatio causa fuerunt restitutionis illius atque libertatis. Vulgo aiunt, Magnis Principibus omnia licere, quod non negauerim forte: istud saltim dicam, non cuiuis licere simulare stultitiam aut morionem agere, nisi excellenti ac præsubtili sit præditus ingenio. Qui amentem aut rationis expertem sub persona repræsentare volet, illum sapientem & ratione optime præditum esse necesse est. Tunc enim nihil est sapientius hac insipientia, inprimis cum sibi finem saluberrimum, à quo totius reipublicæ salus dependet atque incolumitas, propositum habet: cuiusmodi hæc Elisæ fuit simulatio: quæ tamen si aliter potuisset, fortassis ad hoc exorbitandi genus nunquam descendisset, quod generi splendorique eius parum conuenire videbatur.

CAPVT QVINTVM
PERIOCHE.

Nouus regem Iberorum pruritus sollicitat, ad bellum Galliæ inferendum. Insidiæ crudeles Eli-

ſa & ſaluti ac vitæ ſtruuntur: quæ in obſcæniorem detruſa carcerem, virgis flagriſque cæditur, cuius miſeratione tangitur Regina.

NEmo facile dixerit aut perſuaſerit, quam exquiſitis honoribus exceperit tractaueritque Ambiodorigem Rex Argantonius. Et hic quidem cum in ſpem certam veniſſet perturbandi Galliam ſeditionibus plebeiis & diſcordiis magnatum, non intermittebat vllum diem, quo non aut ad ſe vocaret, aut ipſe vltro veniret ad Ambiodorigem, vt iniret cum eo conſilium, quonam pacto commodiſſime flammam bellorum ciuilium, quę vix male ſopita fuerat, *latebantque ſuppoſita cineri doloſo*, excitare denuo poſſent. Cæterum Ambiodorigis mentem non tam Mars galea clypeoque ſuo quam Eros ſagitta mouebat. Ergo non tam cogitabat, homo cætera bellicoſus & pugnax, minimeque ignarus, quo pacto hoſtibus cæde ac ſanguine victis ſuperior euaderet: ſed quomodo animum tam obſtinatum regiæ virginis expugnaret, & miſeræ ſanitatem mentis reſtitueret. Talia cogitans Iberorum Regis palatium ingreditur, vt de futuri belli rationibus & adminiſtratione cum illo colloqueretur. At Argantonius expauit, viſo homine tã triſti, & curis neſcio quib. implicito, vt præter innatam animo eius alacritatem & conſiliorum abundantiam, deiectum oculis in terram videret, nihil ſani aut certi expedientem. Dubitanti regi ſcrupulum exemit ipſe Ambiodorix, aperuitque cauſam triſtitiæ. Rex conſuluit homini, vt aut dimitteret virginem, aut liberiorem ei conſtitueret cuſtodiam, ſublata ex parte tanti mœroris cauſa. At alii cenſebant, exempliſque neſcio quibus compertum aſſeuerabant, expedire, vt arctiori mancipata carceri, virgis flagriſque cæderetur, donec excuſſa amentia ad ſanitatem rediret: & hæc poſterior ſententia obtinuit.

Totus

Totus autem carcer ſitu & fuligine ſqualebat, ex natura cryptarum ſubterranearum : eratque in eo conclaue quoddam paulo lucidius & terſius, ſi modo quid lucidum aut terſum in carcere eſſe poteſt. Huc deduxit ianitrix Eliſam, propoſuitque edicti regii rigorem : quanquam autem trepidaret tremeretque non tantum manibus, ſed toto corpore anus venefica, vires tamen inuenit, quibus nudatum veſtibus innocens corpus flagris cæderet, & quidem non perfunctorie, vt credam ipſum Solem inducta caligine ad huius ſpectaculi commiſerationem auertiſſe oculos. At immanes illi crudeleſque homines non improbabant hunc vetulæ rigorem, dumque marmorei colli cæterique corporis candore laſciuos paſcunt oculos, facere hoc ſtudio eius ad ſanitatem mentis reducendæ mentiuntur.

Quis iam non diceret, anum illam ſcientem prudentemque miſeram hanc captiuam in hos tantos cruciatus præcipitaſſe, dum ei ſuaſit ſimulare vecordiam? certe non alia erat huius amentiæ merces & exitus conſilii, quam virgarum flagrorumque crudeles ictus, ſtriæ purpureæ, vibices. Sed ſatis conſtat, illam amore libertatis captiuæ ſuaſiſſe ita vt faceret; & verbera, quæ præſentibus Tyrannis ei impegerat, ſatis loquebantur, præter ipſius voluntatem ac arbitrium hæc fieri. Quicquid autem ſit, fatendum eſt, hoc fuiſſe filum Ariadnes, quo euaſit Eliſa è tam periculoſo Labyrintho, adeoque ex ipſorum Tyrannorum barbaris manibus. Iberorum enim Regina, audita crudelitate, quam exercebant Argantonius & Ambiodorix in miſeram virginem Poliarchi ſororem, tacta miſeratione ad maritum regem ſe contulit, conata virum commodis verbis ad mitiorem flectere ſententiam, vt habita ratione tam nobilis proſapiæ humanius agi iuberet cum regali puella. Sed Argantonius, præterquam quod negaret ferendam eſſe vxo-

rem, quæ arbitra & Magistra foret actionum mariti: respondit persuasum sibi esse, rigorem illum maximo captivæ fore emolumento. Nec enim erroneos eius spiritus, & perturbatas animi facultates aliter ad sanitatem reuocari non posse, quam eiusmodi acerba castigatione: nec se dubitare, quin ipsa vxor approbatura sit hunc agendi medendique modum, si vellet ingredi carcerem & videre insanientem.

Desiderauerat iam dudum Regina videre captiuā, sed verecundia quadam istam à Rege petere licentiam ausa non fuerat. Accepit igitur oblatam occasionem, Regique marito vltro gratias egit, eo die adhuc se visuram professa Virginem, deinde narraturam, quid sibi de ea videretur. Ingressa carcerem Regina inuenit decumbentem in lectulo & dormientem Elisam. Dum autem corpus eius quietem capiebat, doloris vehementia inquietum reddebat somnum, vt per diuersos motus & velut conuulsiones membrorum, nec non lachrymis manantes semiclausos ocellos, internas animi profiterentur compunctiones Dixisses tristem hanc Auroram, fœdare roseam suam faciem, natiuo rubore rutilantem, nebularum rorisque vda illuuie, ceu solet olim cum diem auspicatur hybernum. Ego quidem existimauerim, virginale eius ac tenerum cor, quod vix dum primoribus labris, vt sic dicam, gustauerat, quid esset Amare, adobrutum tanto amaritudinis cumulo, cum sub ipsum statim huius artis Tyrocinium orbaretur obiecto amato, tetroque insuper includeretur carceri, & crudelissimis haberetur modis centies moriturum fuisse, nisi se diuinæ opis certo solatio erexisset, qua sola spe generosissima virgo omnes superauit aduersitates. Paulo postquam ingressa fuerat in eius ergastulum Regina, audito strepitu euigilauit. Visa igitur matrona tantæ dignitatis, expauit primo, deinde composito ad mœrorem

vultu

vultu (nec enim aliter permittebat internus animi dolor,qui omnem corporis ægritudinem superabat) tam miserabili voce lamentata est calamitatum suarum atrocitatem, vt vel ipsam Tisiphonen aut aliam quampiam furiarum indoliturã fuisse credam, ad tam lachrymabilem quiritantis orationem. Reginam non latuit, falli ac errare eos vehementer, qui credant virginem hanc mente captam esse, nisi forte tormentorum magnitudo aliquantum conturbauerit eius spiritus, quos tales esse non dubitabat, quin rectæ rationis ductum sequerentur, nisi magno aliquo violarentur infortunio. Nolebat regina, vt puella longum texeret aduersitatum suarum catalogum, quod eam facturam certo præuidebat, cum calamitosis nihil esse loquacius vetus verbum habebat:ipsa igitur prior orsa verbis melleis,sesamoque & papauere sparsis,vt non nemo ait,aggressa languentẽ, hortataque est ad tolerantiam, nec enim alia magis ratione animi magnitudinem eam ostendere posse, quam patienter ferendo tam graues aduersæ fortunæ insultus, quę plerumque infestiori animo esset in homines splendore familiæ, vitæque genere ac dignitate præ cæteris eminentes, vt tanto plus acquireret inuida gloriæ, si eos pessum dedisset.

Cæterum hoc consolationis genus imbecillius multo erat quam vt tam grauem fulcire atque sustinere posset ruinam. Amittere enim sponsum regem, orbari matre, priuari patria, amicis,necessariis, detineri captiuam in carcere, verberari:hæc omnia inquam grauiora erant, quam vt obliuioni tradi possent.Nam vt amori satis fieri non potest, nisi alio amore reciproco: ita videbatur Elisa satisfacere suis doloribus non posse, nisi oppositis lamentis lachrymisque, quarum perpetua apud illam erat scaturigo, postquam fons ipse, vnde subsiliebant, continuo ipsi versaretur ante animum oculosque. Non

ignorabat perfectæ virtutis esse, contemnere tam graues fortunæ insilientis ictus, moderato animo ferre, auelli se à tam desiderata tot charissimorum capitum consuetudine; non succumbere tot calamitatibus & tormentis. Nec fugiebat eam, degeneres animos plebeiosque cedere solere tempori, quod tamen ipsum finem imponit omnibus difficultatibus, mutatque sua vicissitudine rerum faciem. Hæc inquam omnia tam nouerat Elisa quam nomen suum. Nec tamen adduci poterat, vt finem imponeret lachrymis planctibusque suis, quos continuare sine modo sine fine constituerat, vt vel hi testes publici essent tormentorum, quibus velut in eculeo distenderetur corpus eius; & ægritudinis animi, qua ob priuationem charissimorum affectuum lancinaretur pectus miserrimę puellarum. In æternis igitur lamentis, fletib. gemitibusq; infelicem hanc consumere vitam statuerat, donec persoluto naturæ debito frigida contumilaretur humo, postquam in ipso quoque sepulchro queri & plorare communis vetat morientium conditio.

CAPVT SEXTVM.

Perioche.

Colloquium Reginæ cum Elisa captiua, & prima mentio beneficiorum Poliarchi in Iberam.

Leuius hoc erat consolationis genus, quam vt Elisæ incoctum tristitia pectus serenitate solatii erigere posset: quod Regina videns, catapultis & arcubalistis opus esse iudicauit, cum profundius esset vulnus, quam vt miti cataplasmate imposito coire & ad ciatricem perduci posset. Igitur ne frustra squalori ergastuli se summisisset

ſummiſiſſet matrona Regia, extare voluit fructum aliquem viſitationis huius. Aſſidens igitur ad lectulum, comprehenſa manu virginis ad hunc modum loqui orſa eſt. Nihil, inquit, tam eſt acerbum, quod non diuturnitate temporis miteſcat; nihil tam amarum guſtu, quod non diuturno dulceſcat vſu. Quod ſi hoc obtinere ſolum potero, vt compoſita ad patientiam mente vſaque rectæ rationis ductu hanc fortunæ iniquitatem fortiter ſuſtineas, videbis afflictiones tuas longe maiores eſſe, quam vt diu durare poſſint: neque enim ſupremum numen deſinet tui curam ſuſcipere, modo non per deſperationem mentem animumque penitus ipſa abiicias. Noui, mea filia, noui te non vno malorum genere affligi, dummodo tu noueris, me non minore tui tangi miſericordia, neque abiecturam curam tui, ſiqua ratione ope conſilioque prodeſſe tibi queam. Crede mihi, crudelitatem, quam hactenus in te exercuerunt, adeo mihi improbatam fuiſſe, vt firmiter apud animum meum propoſuerim, vel afferre huic rei ſalubre remedium, vel vitam ipſam cum morte commutare. Scire enim debes, me nondum penitus abieciſſe memoriam Poliarchi, aut oblitam eorum, quibus me ſibi deuinxit, beneficiorum. Ipſi enim acceptum ferendum eſt, quod viuo, cum nemo alius præter ipſum, à præſentanea me liberauerit morte: nec aliud eſt vita mea, quam locuples fortitudinis virtutisque eius teſtimonium.

Ad mentionem Poliarchi, dilatauit ſe cor Eliſæ, quæ tam ſuaui orationis diuerticulo in admirationem rapta: quid ego ex te audio, inquit, reginarum nobiliſſima? Potuitne vnquam de te benemereri Polyarchus Gallorum rex, frater meus? potuitne vlla priuata ratione tibi probare virtutem ſtudiumque ſuum, præter publicam illam, qua totum hoc vniuerſum gloria nominis ſui ſibi deuinxit, factiſque ad omnem poſteritatem memorabilibus

bilibus illustrauit? Quod si te priuatim aliquo officio demereri ipsi datum est, grande illi obtigisse beneficium interpretor, cuius nomine magnas bono suo Genio debeat grates. Ego vero longe secius iudico, existimans si quisquam sit, qui de fratre meo conquerendi causam habeat, te maritumque tuum regem optimo iure queri de eo atque indignari posse. Is enim est, qui semper obstitit vestris conatibus, exhausit redditus regni, deteriora fecit vectigalia, profligauit exercitus, multumque detriuit de veteri gentis vestræ gloria, deque omni nomine Iberico multa erexit trophæa. Scilicet hæc sunt egregia eius in vos merita.

Non est, cur hæc iam repetas, filia mea, respondit regina, sentio dudum, fatalem fore Poliarchi gladium, si eum in nos strinxerit: sentio nec tamen aliter eo nomine doleo, quam communis regnorum sors patitur: afferet, inquam regno nostro interitum, aut dabit ingens malum, si is erit qui esse debet, id est, Poliarchus. Idcirco mea fert opinio, irritandum eum armis non esse: eadem enim opera suppeditabimus ei victoriam trophæorumque de nobis materiem. Quotquot enim (satis scio) ipsum lacessere bello ausi fuerint, experientur magno suo malo, quantum possit polleatque, facientque locum prouerbio, nulli feliciter vnquam cessisse, qui ausus fuerit *Ioui tonanti oppedere*. Quanquam vt ingenue fatear, hæc res me non magnopere sollicitam habet: vnica hæc mea cura est, quo nam pacto possim explicare me debito, cuius ei nomine obligata sum. Quod cum hac quidem vice non possim, faciam tamen quod possum, vt non reticeam memoriam benefactorum eius (quod ingrati solent) & tibi simul dubitandi causam eximam.

CAPVT SEPTIMVM.

PERIOCHE.

Regina Iberorum delectationis ergo Bætim fluuiū nauigans, à Piratis capitur, à Poliarcho cæsis latronibus in libertatem asseritur. Poliarchus dissimulat quis sit, & abit.

SIc igitur accipe. Nondum multi menses abiuere, cum Poliarchus frater tuus hac transiuit, occulte tamen, vt nec ipse quis esset profiteretur, nec à quoquam agnosceretur. Venerat autem ex Columbina Insula, quæ est ex aduerso Ostii Canopici Nili, è regione Ægypti, in regnum nostrum, deductus à quibusdam mercatoribus, quorum vsus fuerat triremi. Vixit hic apud nos aliquot diebus in aula nostra, vbi plerorumque regni procerum, virtutibus & suauitate morum est adeptus amicitiam, quorum ope in regis quoque admissus familiaritatem, singulariter ab eo dilectus fuit.

Meus igitur maritus, cum ad belli studia eum propensum intelligeret, statuit eum cum auxiliaribus copiis in Galliam mittere, vt superbæ ac pugnaci illi genti bellum inferret, quæ omnibus prope nationibus imperitare & leges præscribere audet. Præiuerant iam primæ cohortes, quas rex noster Ambiodorigi auxilio miserat, attigerantque vtriusque regni confinia: cum frater tuus, qui se omnino illis adiunxerat, veniens Hispalim, vbi tum regia erat, accedens Regem ei valedixit. Insaniebat prope venationis studio Rex maritus meus, volebatque vt ego quoque cum eo proficiscerer venatum. Exemplum affectumque principis secuti vniuersi aulici ad idem se accinxere studium, nec quisquam erat ex omni nobili-

nobilitate, qui non ſuſpenſo ab humeris cornu venatorio, par canum indagatorum manuductans incederet: quiſque enim verebatur, ne à rege ex improuiſo deprehenderetur, qui ſolebat frequenter ſe nobilium immiſcere agmini, & increpabat ſi quos armis Dianæ non inſtructos videret. Eo die obtulit ſe nobis ceruus ramoſa iactans cornua; nos eum aliquandiu eodem ſumus ſecuti impetu.

Cæterum cum cœlum ſudum eſſet, & ingens ſolis calor vreret non aſſueta labori capita, plerique omiſſa ferarum perſecutione, vmbras arborum, qua denſiſſimæ ſtabant, captauimus, vt ſub frigore aliquo modo recrearemur.

Mihi tunc per opacam ſiluam ſpatianti aderat neptis mea, duæ virgines pediſſequæ, & vnus ſeruus. Cum hoc ſane modico comitatu ingredior anguſtam, quæ ſe forte offerebat, ſemitam, quæ nos recta ducebat eo, vbi

Bætis Oliuifero redimitus tempora ſerto

pellucidis vndis amœniſſimas, denſiſque arboribus conſitas alluebat ripas, tantaque erat loci ſuauitas & pulchritudo, vt nos vel nolentes cogeret ad diſcumbendum in viridi ceſpite. Diceres amores Cupidineſque, leueſque Zephyros, Veneris ſocios, hunc locum ſuis coluiſſe atque conſeuiſſe manibus, vt ibi peculiariter deliciarentur: ita nihil non Dionæum ſpirabat, adeo vt ipſe Sol, reuerentia quadam loci tactus, radios ſuos ab eo cohiberet, ne tantus viror & arbuſtorum madida viuacitas læſa nimio calore, vel areſceret, aut detrimenti aliquid pateretur. Humus ſtrata erat variis floribus mollique gramine intermiſto, inſtar ſtragulæ veſtis, quæ nullius adhuc preſſa veſtigiis virginitatem ipſo vultu loquebatur. Huic proximiſque virgultis videtur alludere ſenior Bætis, dum aliquando aquas ſuas modice eleuans, quicquid adnatum erat ripæ, velut per iocum molli rore aſper-

re aſpergit, vt in ſmaragdino ſuo virore perſeuerare poſſint: ambitioſus ſane fluuius, qui floribus herbiſque fragrantibus coronari malit, quam paluſtri vlua aut pallenti hibiſco. Incredibilis hæc loci ſuauitas, ipſa Theſſala Tempe, ac tot modis decantatas Baias amœnitate vincens, omnium curarum nos obliuiſci iubebat, velut ibi Lethe non Bætis flueret.

Neptis mea curioſior, & duæ meæ virgines pediſſeq; ſatiari his delitiis non poterant, ſed cum paulo longius pedem protuliſſent, fluuii dulcedinem guſtare quadam petulantia voluerunt, vtrum plus delitiarum in ipſis vndis eſſet, quam in terra, experturæ. Ad hunc modum in ipſa crepidine conſpicantur lembum piſcatorium, ad truncum annoſæ arboris fune deligatum, quo arrepto traxerunt ad ſe lembum, ad ipſam vſque ripam. Non erat mihi animus ingrediendi ſcapham, ſed cum illæ quæ iam intrauerant, rogandi finem non facerent, vt delitiarum illarum particeps eſſe vellem, tandem me exorauerunt. Erant in ipſo lembo duæ palmulæ hanc vtranque arripiens ſeruulus meus, ſtrenue remigauit, quanquam non magnopere opus erat remigio ad celeritatem, filum ductumque fluuii ſequentibus. Dum vtriuſque ripæ pulchritudinem admirantibus arbitrabamur oculis; dum puellæ meæ demiſſa linea annexo lapillo profunditatem fluuii ſcrutari laborant, aliosque non noxiós ludos exercent, longius prouehimur quã credebamus. Madebant earum veſtes & fluebant vultus adſperſa aqua, cum ipſe ſe ludendo conſpergerent, & ſeruulus male gubernaret remos, nihilque audiebatur quam riſus iocusque, multaque alia recreationis genera. Tandem quanquam ſero animaduertimus errorem noſtrum. Latebat poſt curuaturam quandam amnis, vbi prominentia quædam in profluentem excurrens, aggeſta terra tumulum attollebat, ſcapha quædam, qua circiter ſex vehe-

vehebantur milites, ipſo habitu ac lingua peregrinos teſtante, qui dicto citius facto in lembum noſtrum impetu, eum aſſecuti, vti nos dederemus, proclamabant.

Succurrebat mihi tum quod de Atagenibus Ionicis vulgo perhibetur: ſolere illas aues multum garrire atque cantillare dum libertate fruuntur. Poſtquam autem in manus aucupis deuenerunt, obmuteſcere penitus. Tales Atagenes nos quidem tunc eramus: deficiente enim voce lachrymæ ſupererant, quibus infortunium noſtrum deplorabamus: quas quidem prædones illi flocci facientes, inſilientes in lembum noſtrum palmulas ſeruo ereptas, ipſumque vna in aquas abiecerunt, ipſi contra in eius locum ſuccedentes, remigis officio fungebantur. Hoc modo nos omnes velut bello capta mancipia ad ſuos deducebant ſocios, qui eos præſtolabantur in celoce mediocris magnitudinis militariter inſtructa, quingentis circiter paſſibus ab eo loco, vbi Piratæ iſti nos ceperant, haud procul à Gadibus, vbi Bætis aquas ſuas in Oceanum præcipitat Atlanticum. Nobis imponebatur neceſſitas, ſubeundi iugum barbarorum iſtorum latronum, à ſummo cœlo autem expectare opem auxiliumque: nam lachrimæ quidem noſtræ teſtari poterant ſenſus miſeriarum noſtrarum, lenire aut tollere nequaquam poterant.

Vides, mea filia, quomodo res ſecundæ & aduerſæ continuo ſe ſequantur ductu, & perpetuis vicibus triſtia ſuccedant lætis? Quicquid in hoc Orbe eſt delitiarum breuis eſt durationis, vt vix ſuperſit memoria earum rerum, quæ nobis tantopere placuerunt. Diademata noſtra nos non præſtant ab aduerſæ fortunæ fulmineis immunes ictibus, & quo quis eſt eminentiore conſtitutus loco, eo pluribus maioribusque ventorum procellarumque infeſtatur turbinibus. Appetimur ab omni latere, & à pluribus, quia in omnium verſamur oculis.

Viden-

Videntes igitur nos in manibus piratarum istorum constitutas, cum meliora aut mitiora non expectaremus, quam quæ seruulo contigerant, cessimus tempori & malæ nostræ fortunæ. Ego pol quidem, cum in extrema consedissem naui, intuebar raptores meos, obfirmata ad patientiam facie, vt siue moriendum mihi fuisset siue viuendum, manum non vortissem. O quoties sciscitabantur ex nobis latrones isti: quænam essemus, & quorsum nauigaturæ fuissemus ita solæ, in lembo piscatorio? Nos contemtis istorum quæstiunculis, pertinaci eos eludebamus silentio, vt verbum extundere è nobis possent nullum. Quod cum animaduerterent, tardius impellebant nauigium, vt ea ratione lucrarentur tempus discendi ex nobis quæ scire laborabant. Accedebat quod haud longe aberant à sua celoce, vt causa accelerandi itineris non esset.

Capto lembo nostro, seruoque in aquas præcipitato, nobilis quidam è comitatu mariti mei Regis in vicini montis fastigio constitutus, hæc animaduerterat. Motus igitur iracundia continuo decurrit, scilicet vt recto & compendioso vsus itinere prædones anteuerteret viamque nauigantibus interciperet. Probauit hominis consilium fortuna. Cum enim curuaturam quandam terræ, quæ instar paruuli alicuius promontorii in aquas excurrebat, suo commodo superasset abiectis calcaribus & ocreis, equo insuper detractis frenis lupatisque dimisso, vndas sine tumultu ingressus est, gladium ore mordicus retinens ne natanti impedimento esset. Ad hunc modum in occulto latuit, loco admodum opportuno, & è suo latibulo in aduentantem scapham, insiluit tanto impetu, vt nos qui ad quosuis leues motus trepidabamus, Balænam adesse crederemus, quæ de more aquarum molem è capite in obuios eiacularetur. At eques iste incredibili audacia, sinistra lembum comprehen-

dens;

dens;dextera gladium intentans, ita inuasit prædones, vt priusquam scirent quid facto opus esset, aut se defensioni accingere possent,nonnulli grauissimis vulneribus acceptis semimortui in Oceanum ruerent. Neptuni pecudibus præbituri pabulum.

Erexit nos hæc res in aliquam spem tantisper, donec tumultus,quem cæteri edebant, nostris allaberetur auribus. In hos igitur conuersa facie conspeximus nouum periculum,quod generoso illi equiti non minus quam nobis omnibus imminebat. Et profecto terruisset illa rerum facies cordatissimum quemque: at ille noster sospitator,qui ex rebus arduis & periculosis veram prouenire gloriam non ignorabat,nihili faciens omnes eos barbaros,audacter se iis opposuit, vt conseruaret gloriam nominis sui,quam multis editis fortibus factis parauerat in toto prope Orbe. Quid multis. Ventum est ad manus: erat conflictus satis asper, cum tam inique composita essent paria, vt quatuor pugnarent contra vnum: quæ inæqualitas gladiorum fecit, vt piratarum enses huius Herois sanguine cruentarentur. Cæterum sanguis eius in ipsius vestib. non admodum apparebat, quæ aqua marina permadefactæ dilutum liuidumque reddebant cruoris colorem. At noster hic conspecto suo sanguine,tantum abest,vt perterritus à priore mentis generositate quicquam remiserit, vt contra imitatus Elephantos,qui ad cruoris sui conspectum excandescunt acrius,summis annixus viribus irruerit in latrones, vt proximum ex iis calce pedis percussum, in aquas deturbauerit; qui dum natando seruare vitam frustra satagit,

In latus alterius capulo tenus abdidit ensem,

vt mortuus in vestigio concideret.

Nec iam adeo dispar erat pugnantium numerus, vt antea fuerat, quanquam satis laboriosum esset, vnum aliquem pugnare contra duos, idq; in loco tam angusto,

acceden-

accedente desperatione, quod omnis effugiendi ratio & via præscissa erat, quanquam duorum illorum animi & oculi iam dudum in fuga essent. Postremò alter piratarum maluit fluctibus marinis incertam suam credere salutem, quam experiri aciem gladii tam validi antagonistæ: Supererat quartus: & iam æquo pugnabatur numero, cum protector noster id operam dedit, vt aduersarius se mori sentiret antequam moreretur. Stringens enim vibransque prægrandem gladium, quem secum per aquas tulerat, quasi in caldario Vulcani tinxisset, rutilantem, misero subinde intentauit, ferienti similis, vt ad splendorem eius, quoties manum Eques extendisset, tot sibi mortes quot ictus imminere arbitraretur. Tandem eadem sors quæ socios eius sustulerat hunc quoque mansit. Hoc pacto senserunt hi latrones, nihil esse tam difficile aut arduum, quod mens generosa irritata ad iustam vindictam non possit efficere. Huius postremi morte Poliarchus sibi quidem securitatem, laborumque finem, nobis vero perfectam libertatem peperit. Arrepto enim remo impulit lembum, nosque ad eandem ripam deduxit, vnde digressi fueramus.

Constitutis nobis in tuto, lemboque ad arborem propinquam deligato, cucurrit ad eum locum vbi equũ reliquerat, ibi repente indutus rursum ocreis, calcaribusque, conscensoque equo subduxit se è conspectu nostro. At nos existimabamus, eum ita ornatum armatumque deducturum nos ad agmen regium. Verum ille cum nobis perfunctorie valedixisset, incitato calcaribus equo, tanta celeritate in syluam se recepit, vt nec membris nec oculis eum sequi potuerimus, multo minus cognoscere quis esset ille, qui tam egregie de nobis meritus fuerat. Me vnica illa cura sollicitam habebat, ne hoc tantum beneficium ingrata apud nos sepeliretur memoria. Igitur cum acquiescere animo non possem quan-

quam vix grauiſſimum mortis periculum euitaſſemus, vnde potius nobis fugæ cura quam cæterarum rerum omnium eſſe debebat: tamẽ ſollicita diſpiciebam ſi quem forte nanciſci poſſem, qui equitem illum curriculo ſequeretur, donec nobis quis eſſet innoteſceret.

Commodum ſeruus meus, quem latrones è ſcapha in aquas præcipitauerant, nando euaſerat, inque terram erepſerat, nullo alio accepto damno, niſi quod pauor attuliſſet. Hunc ita fluentem madore iuſſi curriculo Equitem ſequi, meoque vti imperio tam hominibus quam equis neceſſariis, nec deſinere donec eum aſſecutus fuiſſet. In primum diuerſorium vbi peruenit puer, intellexit eum ibi obligaſſe vulnera, nec putabatur tanta celeritate percurrere poſſe, vt illum ſeruus non adipiſceretur. Cæterum præiuerat iam ille, & curſor meus vnius ſemper diei itinere eum ſecutus, prope cum ipſo ad regni fines peruenit. Adſcriptus erat eques ille cohorti militum, quos rex maritus meus in Galliam miſerat: huc igitur ſe quoque curſor meus confert, nomenque ſuum inter gregarios profitetur milites, non deſtituturus, donec quis ille eſſet, cognouiſſet. Interea per diſpoſitos equos mittit ad me literas, aſſecutum ſe peregrinum illum iuuenem, qui fortibus factis meruiſſet, vt ipſi vitam ſalutemque meam deberem.

Conſtitueram ego miſſis rebus precioſiſſimis gratitudinem ei meam oſtendere, ſimulque teſtari perennem accepti beneficii memoriam: ſed iam in interiora Galliæ profectus is, publice fuerat ſe regem profeſſus in aliquibus ciuitatibus, quas noſtri duces tum obtinebant. Seruus igitur meus cum hæc cognouiſſet, timore homini alas ſuggerente, celeriter ad me rediit. Sic ego non potui dignas referre gratias Gallorum Regi pro benefactis quibus me deuinxerat peregrinus ille Poliarchus. Quanquam vel hoc ſaltim nomine magnas me ſuperis

grates

grates debere profiteor, quod mihi tam elegantem ſuppeditauerint occaſionem, bene merendi de ſorore, poſtquam de fratre non potui. Noueris igitur mea filia, me in libertatem te aſſerturam: & ſi forte duriorem offendam regem, quam vt poſtulationi meæ conſentiat, excogitabo aliquod artificium, cuius ope tibi è triſti captiuitate exemtæ libertatem machinabor. Interim tu ſumma cura attende ad ea quæ tibi miſero: nec enim credo, Ambiodorigi yllis perſuadendum rationibus, vt te volens ſcienſque è manibus dimittat, pro qua millies vitam ſuam morti conſecrauit. Inſanit enim homo amore tui, vnde nulla ſpes eſt eripiendi te verbis ſuaſionibusque ex eius poteſtate. Et grauius eſt odium mariti mei in fratrem tuum, quam vt arbitrer eum aſſenſurum petitioni meæ, etſi non ignorat, quam præclare Poliarchus de me fuerit meritus. Apud exulceratum enim veteri odio animum, ſcis ipſa, quam nihil proficiant meliores ſuaſiones.

CAPVT OCTAVVM.

PERIOCHE.

REx Iberorum colloquentibus ſuperueniens: territat Eliſam minis. Regina inuenit viam ac rationem qua puellam in libertatem vindicet. Muſicorum harmonicus coram regina concentus.

NOndum finiuiſſet ſermonem Regina, niſi repentinus regis interuentus orationis rupiſſet filum. Qui cum diutius ſolito abeſſe miraretur vxorem, furtim acceſſerat ad oſtium ergaſtuli, captans attenta aure collo-

quentium ſermones. Non fefellerat hæc mariti curioſitas reginam: igitur vt aucupio illi obuiam iret, toto hoc colloquio ſubmiſſa voce vſa fuerat, ne à quoquam extra cubiculum illud conſtituto, vel vnum verbulum exaudiri poſſet. Ingreſſus ad captiuam rex ſine vllo commiſerationis indicio contemplatus miſeram; & ſalus Galliæ, inquit, & tua libertas dependet à vobis ipſis, ſi quidem aſſentiatis honeſtis Ambiodorigis poſtulationibus. Quod ſi tu illum amas, vt merito facere debes, exibis confeſtim ex hoc carcere ad gubernacula regnorum & imperiorum. Sin obſtinata in tua perſiſtere pertinacia malueris, nec illi ſatis facies, nec mihi vllo pacto tui poſthac erit cura. Miſericordiam illa ratione fruſtra expectas: nec enim eſt quod ſperes, mitius tecum actum iri quam hactenus, vt ſcias omnes ſpes tuas extinctas ſepultasque eſſe in tua amentia.

Non habebat quod reſponderet ex tempore Eliſa. Igitur cum iudicaret faſtum illum minime tanto rege dignum, aliam reſponſionem non mereri, vtque ſimul cœptam peragerer fabulam, cuius ſeries conſtare debebat: in riſum atque cachinnum ſoluta, tam abſurda & extra oleas, quod dicitur, vagantia protulit verba, vt Rex iam de mania eius aperta nequaquam dubitaret. Diſcedens igitur non ſine ſtomacho, vxori vt ſe ſequeretur mandauit, deſerta ſtolida illa, & cerebro vacua puella. Statuerat apud ſe regina admonere maritum, non eſſe motam mente virginem, vt credebatur: ſed cum videret hominem ea opinione ebrium, ſana conſilia non admiſſurum, maluit tacere. Ne tamen omnino nihil ageret, obſecrauit maritum, vt mitius tractari iuberet, tam tenerum & delicatum corpus, nec enim tam acerbas meritam fuiſſe puellam pœnas. Tantum autem abfuit vt miteſceret Tigris illa, vt è contrario, quaſi verbis iis carbones ſubieciſſet illius iracundiæ, vxori interdixit, ne

ne posthac illius mentionem vllam faceret, multo minus, vt eam in ergastulo post hac acturam vitam, deinceps inuisere auderet.

Non autem tantum valuit hæc mariti importunitas, vt Regina despondere animum, aut abiiceret liberandæ virginis consilium: quin potius

Prouida cum partes animum versasset in omnes,

si qua se offerret via ac ratio illius asserendæ, postremo inuenit medium quo cogitata feliciter perficeret. Videns enim armis se eam è carcere eximere non posse, quod maior esset vigilum solertia, vires validiores; aliam ineundam esse rationem duxit, astutia vincens excubitorum diligentiam & intellectum, quæ erat huiusmodi. Vnum ex domesticis suis sibi ad hanc rem delegit, cui plurimum fidebat, experta illius fidem & dexteritatem in omnibus rebus honestis: eratque hic ipse peritissimus ludendi cithara. Habebat is frequentes circum se adolescentes Ligures, quibus cum exercebat artem musicam, instituto concentu symphoniaco, quo mirum in modũ recreabatur. Hunc ad se vocatum Regina blandis verbis orat, vt in suam gratiam efficeret sibi rem quandam, quæ vt factu facilis, ita maximo ei esset futura emolumento. Valebat mente animoque hic iuuenis, vt nihil tam difficile iudicaret, quin ipse effecturus esset, imperiti insuper agrestisque ingenii esse ratus, petenti Reginæ aliquid denegare. Condixit ergo operam suam.

Primus actus futuræ Comediæ erat, vt peregrino sumto habitu, adscitis sociis discipulisque suis ad Iberiæ fines succederet: inde in interiora regni se conferret, fingens se cum suis recenter ex Liguria aduenisse: quod ipsis difficile factu non sit, edoctis linguam ligusticam, cui si habitum moresque Ligurum adiunxissent, impositurос facile omnibus qui ad eos visendos aduenirent,

rent. Debere autem vnumquemque sua instructum prodire cithara, & concentu aliquo salutare nobilium procerumque domos in pagis oppidisque, vt hac ratione eorum bonam demererentur gratiam; vtque fama artis eorum ad ipsam vsque aulam regiam perferretur: ipsos interim ad summam diligentiam nihil reliqui facere debere, si qua ratione Regis possent ingredi palatium. Quod si obtinuissent, tum darent operam, vt in carcerem in quo detinebatur Elisa admitterentur. Admissi canerent coram illa versiculos quosdam, quos ipsa eis dictatura foret: relinquerentque in ergastulo citharam, non quamuis, sed eam quam ipsa sigillatim in hunc vsum esset fabricatura.

Summa promptitudo erat Musicorum ad exequenda reginæ mandata, haud secus ac quondam Delphinum Arionem musicum excepto dorso celeriter in siccum deportasse perhibent: ita hi sine mora ad regni limites se conferentes, personam quisque suam agere cœperunt. In primum pagum delati, increpare citharas concentumque ciere orsi sunt, quod quidem tanto cum successu fecerunt, vt omnes quotquot eos audiuissent, cantu suo demulcerent.

Hoc modo pergentes in interiora regni penetrauerunt, pulsantesque hinc inde citharas, postremo peruenerunt ad Castellum, quod non longe aberat à Palatio Hispalensi, vbi tunc temporis Rex & Ambiodorix non diuertebant. Vxor Præfecti, cui custodia castri illius demandata fuerat, iussit eos continuo ad se vocari, vti in sui gratiam suaue quidpiam concinerent, etsi maritus abesset; habituram se eos comiter atque dapsiliter. Non opus erat precibus, cum chorus ille musicorum haud modice lætaretur, præter expectationem offerri sibi tam pulchram occasionem, etsi belle nouerant dissimulare desideria sua.

Quid

Quid multis? accedunt, ingrediuntur, ludunt fidibus, placent vxori præfecti supra modum, deliniunt suauitate cantus domesticos, irrepunt in mentem excubitorum, ipsiusque ianitricis, Commentariensis, quæ custodiebat Elisam, vt apud omnes quotquot Symphoniæ ipsius aures commendauerant, in magna essent gratia. Et certe, quia hic erat Rhodus, vbi saltandum erat, annitebantur omni ope vt quicquid haberent suauitatis aut delectationis in vniuersa sua arte Musica, id expromerent; vnde in magnam rapti admirationem auditores, quicquam dulcius aut perfectius se vnquam audiuisse negabant: alii vero ne Deos quidem efficatius quicquam ad mentes hominum commouendos inuenire posse, quam harmoniam & dulcedinem Musicæ asseuerabant. Non ignorabant cantores, isti sensus & cogitationes hominum: igitur vt magis placerent Theatro, magis magisque adnixi, se ipsos cantando vincebant, in maiorem auditores stuporem & velut extasin rapientes. Cumque affatim ludendo satisfecissent senatulo illi mulierum Ianitrix, quæ non omnino male volebat captiuæ Virgini, non inuidebat ei, si & ipsa in partem huius gaudii veniret. Hoc vt permitteret, rogabat præfecti vxorem, quæ non difficulter assensit, dummodo musicis istis persuaderi posset, vt id facerent. At hi nescio quam moram causati, festinare se alio fingebant, addentes parum sibi cordi esse, ingredi squalorem carceris hominib. insuetis, & qui plusquam ipsam vitam amarent Auream Libertatem. At vetula, quæ suauitate cantus ebria, impertire eodem sensu dulcedinis omnino volebat regiam virginem, non omissa occasione hac orabat eos vlterius, allata causa, quod sperare se diceret, perturbatos puellæ sensus suauitate concentus musici, ad sanitatem reduci, & molestiam carceris aliquomodo abstergi posse.

Tandem óbsecuti aniculæ precibus ad ianuam vsque exteriorem, qua ad ipsum ergastulum itur, peruenerunt, ibi exorsi cantilenam citharam quisque suam pulsauerunt. Cæterum anus, quæ nouerat lectulum Elisæ longius abesse, vnde non satis commode posset dulcedinem cantus ipsa exaudire, aperuit ostium, iussisque secedere custodibus, admisit citharœdos istos, qui vbi salutassent bellam illam captiuam, tam docta manu tetigerunt fides, concinentes arguta exactaque voce, vt Elisa è profundis crassisque tenebris in lucem se emergere, imo ab ipsa morte ad vitam redire arbitraretur. Præcentor non immemor eorum quæ in mandatis habebat, orsus est Hymnum, quem ei Regina ex compacto præscripserat, quem statim deprehendebat Elisa, qua matre natus esset.

CAPVT NONVM.

Perioche.

Carmen siue cantilena, quam Musici in carcere decantarunt. Elisa petit & impetrat citharam à Musicis, cuius beneficio exempta carceri in libertatem se asserit.

Qvis te tam lepido vultu, Regina, venustam
Sustinuit cæcis claudere carceribus?
Quem non purpureæque genæ, rubicunda labella,
Candida frons, niueæ perdomuere manus?
Annon sidereo rutilantes lumine ocelli
Te libertati restituisse queant?
Si qua fides tua vincla dolens Hyperione natus
Præ desiderio marcuit ipse tuo;

Occu-

Occuluitque caput patiens eclipſeos vmbram:
Triſtior haud fleret cum Phaethonta fuit.
Virgo tuam frontem rugis purgare memento,
Colligere hinc animum te Lyra noſtra iubet.
Redde nouum Phæbo lumen, mundoque decorem
Clarior vt terris fulgeat atque polo.
Squallida carceribus ſpretis exſurge puella,
Exerit vt denſa nube Diana caput:
Et ſpecioſa tuo te redde haud triſtis amanti,
Qui pro te ſuperis pinguia vota facit.
Sordida damnatis ergaſtula linque: ſupernum
Aſpice purgata fronte redemta Iouem:
Hancq; tene citharam quæ libertate beabit
Te, Venus, & craſsis eruet è tenebris.

Et citharœdi finem impoſuerant ludo, & cantores carmini, cuius vtriuſque tanta fuerat ſuauitas, vt quotquot audiuerant diuinum hunc concentum, extra ſe rapti vix ipſi ſuis crederent auribus. Sed & ipſa Eliſa quamuis immerſa eſſet calamitatibus & doloribus, paulo plus ſibi indulſerat ad percipiendum animo tam ſuauem concentum: ſed mox vbi memor fortunæ ſuæ, ſe collegiſſet, preſſius conſiderauit quis eſſet, ſenſus cantilenæ illius quam chorus iſte Muſicorum poſtremo concinuiſſet. Tandem cum varie ponderaſſet verba carminis, viſa eſt ſibi latentem aſſecuta ſententiam. Conuerſa igitur ad ianitricem, rogauit eam, vt cum ipſa deſtitueretur argento, cantoribus ſuo nomine honorarium aliquod munus offerret. Exeuntes ad oſtium vſque proſecuta Eliſa multis verbis orauit, ne locum tam triſtem omnino priuarent gaudio & lætitia, quam ex harmonia illorum concepiſſet, eaque modulorum ſuauitate, quæ adhuc eius inerra-

inerraret auribus. Saltem ad memoriam tantæ dulcedinis vnam è citharis ibi relinquerent, qua fœditatem ergaſtuli ſolaretur, ſuumque aliquo modo leniret dolorem. Auditis his Eliſæ verbis ianitrix interrogauit: nunquid & ipſa noſſet ludere fidibus? vtque periculum artis huius faceret, acceptam vnam è manibus citharœdi porrexit virgini, quæ tanta luſit dexteritate, vt eſſent inter ipſos cantores, qui ſe cedere illi in hoc artificio palam fateri non erubeſcerent.

Capta ſymphoniæ ſuauitate anus, quæ hactenus ex alumna nihil audiuerat præter lachrymas, gemitus, eiulatus, quiritationes, & ipſa rogauit cantores vt gratificarentur petenti. Recuſauere initio citharœdi, non leue ſe paſſuros detrimentum cauſati, vnius tam neceſſarii inſtrumenti iactura: ſic enim futurum, vt harmonicus eorum concentus interruptus multum deperderet gratiæ: accedente inſuper alia cauſa, quod patriam Liguriam repetituris longumque iter confecturis, ſoluta Symphoniæ integritate, non ſint ſuffectura alimenta. Tandem anus ſuccinente virgine & miris blanditiis illos ſollicitante, perſuaſit eis, vt Eliſæ petenti citharam vnam concederent, ſubinde repetenti, poſſe illos qui ſua fruantur libertate, exiguo labore ſumptibuſque aliam ſibi parare, quod captiuæ facile non eſſet. Ita victi precib. ſuaſionibusq; tandem conſenſerunt, & Præcentor, cuius erat præcipuæ inter eos partes, vt ſe præ cæteris hominem vrbanum & elegantem oſtenderet, ſuam ei vltro obtulit, additis his verbis: haberet eam ſibi, vteretur que ſalutari ad recuperandam libertatem inſtrumento. His factis Muſicorum chorus valedixit omnibus qui in arce erant, dignumque eſt admiratione, quod tota hæc fabula tanta vultus inter ipſos acta eſt conſtantia, vt qui vaferrimi inter cuſtodes erant, compacto rem inter ipſos agi, nullo penitus indicio animaduerterent.

Iis

Iis igitur digressis, virgo captiua ad pristinum viuendi morem, vsitatamque solitudinem reuersa, sedulo cauit, ne quis resciseret, habere eam penes se in carcere libertatis instrumenta, quorum beneficio in integrum esset restituenda.

Quanquam ne ipsa quidem satis animo comprehendere posset, quo pacto cithara ciendis concentibus musicis nata & facta, captiuæ libertatem restituere posset.

Diu igitur illam versans manibus, cum varie considerasset, tandem deprehendit, superiorem eius partem solito crassiorem esse: animaduertit insuper in illius concauo versari aliquid atque volutari, quod etiam sonum obtusum edebat, quoties tollebat instrumentum aut reponebat. Et anus præter morem crebro inuisebat captiuam, subinde ab ea petens, vt ludens fidibus vtriusque oblectaret animum. Ad hunc modum quatuor aut quinque diebus elapsis, Elisa simulato languore, abstinuit per causam inualetudinis manum à cithara, vt hoc pacto arbitram secretorum suorum anum à se abstineret. Interim ipsa acceptam ab summo aperuit, inuenitque ibi limam præacutam, ad cuius manubrium affixa erat epistola. Has res inuentas sollicite sibi seruauit, vt offerente se occasione iis vteretur. Reuersa aliquando anui narrat, humorũ carceris culpa labefactato glutine solutas fuisse commissuras, dum ægra illam negligentius haberet, & sic persuadet ei, vt delatam ad opificem refici curaret; quanquam longe aliud agitabat animo consilium, quam vt luderet fidibus. Hæc vtensilia non diu penes se seruauit ociosa, sed iis tam dextre vti nouit, vt vna nocte ruperit cancellos ferreos fenestræ, quos iam ante lima ex parte detriuerat. Hinc cum se saltu demisisset, in proximam syluam se recepit, in qua literæ à regina scriptæ nunciabant, reperturam eam pecunias, quantis ad faciendum iter opus esset habitura. Respondit

dit euentus promissioni. Duas igitur cincturas è lino cum sibi parasset, infersit illos nummis aureis, suoque circumposuit corpori, & ita proficisci cœpit.

CAPVT DECIMVM.

Perioche.

Elisa libera facta occurrit primo Pyridorio, qui illam agnoscit, eique recitat quid sibi hactenus boni malique acciderit.

Primus qui ei occurrit, fuit pauper Eremita, qui structo sibi fortuito tuguriolo, ad ostium illius rogabat prætereuntes stipem. Petenti huic Elisa numum aureum dono dedit, petiitque, si posset sibi ostendere rationem adipiscendi amictum virilem, additis maximorum beneficiorum promissis. Eremita actis pro dono gratiis, cum noscitabundus eam attentissime intueretur, visa forma non vulgari, & quæ haud temere in aliam quam Elisam caderet, pollicitus est ei prolixe, daturum se operam, vt voti compos fieret. Prius tamen per omnia sacra obtestatus est, vt sibi citra ambages edissereret, esset ne ipsa soror Polyarchi, quæ aliquando è sinu & amplexibus matris per Iberos rapta, post per Regem Tunetanum è minori Balearicarum Insularum auecta, cum rex iste captus eius pulchritudine suppeditata falsa naui miseram decepisset, inque illius vrbis regia grandi turri inclusa fuisset, quo tempore Galactio & Pyridorius comites viæ eius, diuersis carceribus mancipari, grauiterq; afflicti extremum vitæ adiissent periculum.

Auditis his virgo supra modum mirata est qua nam ratione hæc omnia homini peregrino innotuissent, deinde

inde enim conſcientia eius negare eam hæc non ſineret, faſſa eſt ingenue, ita ſe rem habere, vt Eremita dixerat. Longe vero magis obſtupuit poſtquam ſe Eliſam confeſſa, audiuit alterum dicentem, ſe Pyridorium illum eſſe. Attonitæ enim ſimilis velut immota diu in loco illo conſtitit, defixis in loquentis facie oculis. Cæterum Eremita apprehenſam manu virginem deduxit ſecum in mapale ſuum, ibi occæpit ei varios ſuos caſus miraſque fortunæ iactationes narrare in hunc fere modum, diligenter attendente virgine.

Igitur Pyridorius, ſatis noſſe te arbitror, Domina, inquit, quo pacto Tunetanam ciuitatem ingreſſi fuerimus, vbi dolentes ego ſociuſque meus Galactio videre coacti ſumus rapi te, deduci, inque carcerem coniici, cui neuter noſtrum quidquam opis afferre potuit. Ad illud infortunium grauius acceſſit, quod ſeparati nos duo inuicem diuerſis incluſi fuimus carceribus. Mihi additi ſunt cuſtodes, quibus capite luendum erat, ſi me vel ſponte vel per indiligentiam dimiſiſſent. Paulo poſt iuſſu Regis deductus fui per Numidas in ipſa vſque deſerta Libyæ, vbi inter Troglodytas cum verſarer, parum abfuit, quin vna cum pietate, quam in patriæ ſcholis combiberam, ipſam quoque vitam amitterem. Tandem benignitate Deûm mihi contigit è manibus eorum elabi vbi in Lamiarum ciuitatem forte fortuna deueniens, offendi præter ſpem Galactionem, Galactionem inquam, cuius

Semper honos, nomenque, decus laudesque manebunt,
Donec erit tellus, ſidera donec erunt.

Non fugiebat eum, in quod me coniecissem ſtolida leuitate periculum, & in quas miſerias me mala mea fortuna reduxiſſet. Miſeratus igitur ex animo vicem meam ſuaſit mihi, vt quantocius fugerem, ſe mihi comitem fugæ futurum, vſum beneficio noctis. Ex Heſperidibus

Inſu-

Insulis,quo nos partim violentia ventorum, partim imperium mercatorum cum nauigio appulerat,iussi sumus diuersas insistere vias: Galactioni quidem vt Nades proficisceretur imperatum est; mihi vt in Transrhenanas partes me conferrem, ibique nomen militiæ darem. Finis huius rei fuit, vt cum nimis fiderem viribus meis, longeque plus mihi tribuerem quam æquum erat, grauissimis stoliditate mea inuolutus periculis,magno meo malo discerem, non semper posse Galactionem mihi præsto esse, vt sua sapientia meæ subueniret imprudentiæ. Postremo plane desperare cœpi,consumtaque omni penitus patientia,cum ob nescio quæ delicta etiam hinc fugere constituissem, totum me credidi cœlesti prouidentiæ. Cum autem occurrissem nonnullis Iberis, qui omnia humanitatis officia mihi offerebant, credidi me eorum promissis,cum aliter non possem: & sane (fatendum enim est)nihil eorum omiserunt, quæ ad comiter habendum subleuandumque peregrinum facere poterant.

Mihi nihil erat, quod pro tantis beneficiis rependerem, præter preces ad Deum, quibus potissimam æui mei partem consumo, abiectisque omnibus curis aliis, totum me cultui Magnæ Matris consecraui, melius quam in pietate,quicquid superest vitæ meæ, ratus non posse collocari.

CAPVT VNDECIMVM.

PERIOCHE.

ELisa,quam Pyridorius pro tenui captu suo prandio exceperat, ad odium solitudinis hominem adducere vult. Ille contra persuadet ei, vt sumto opilionis amictu pastorem gregis mentiatur.

Imposue-

IMposuerat finem Eremita narrationi suæ, cum relicta in tuguriolo virgine, paululum digressus, profert è penore suo optima quæque, quæ vicinus hortulus diligenter cultus arte illius in loco campestri & solitario suppeditare potuerat. Prandium paratum fuit humi, in margine vicini fontis, cuius aquæ miræ limpiditatis largiter scaturiebant. Elisa non diu cunctata assedit, cumque cibum necessarium sumsisset, conceptis verbis affirmauit, nunquam se suauius pransam etsi fercula paupertate & metu largiter condita fuissent.

Postquam epulis exemta fames & mensa remota: sciscitatur ex ea Pyridorius, quidnam constituisset facere? reddidit virgo sua verba homini, opposita quæstione, quidnam ipse facturus esset? quod si (addebat Elisa) se comitari atque deducere vellet vsque ad desideratissimam patriam, se ei in mora vlterius non futuram, sed affectum honorifico præmio, dimissuram. Pyridorius cui nihil minus in animo erat, quam mutare conditionem suam, quique habitum Eremitæ non in eum finem sumserat, vt paulo post abiiceret, hæsit dubius animi, cum nec apud Deam suam nec apud virginem malam inire vellet gratiam. Tandem votorum prævalente religione, quæ violare summum nefas, negauit se ei satis facere posse. Suasit tamen ne præcipitaret profectionem suam, cum metuendum sit, ne præfectus Commentariensis illam peruestigans, in eam incideret, denuoque corriperet, antequam se liberam factam intelligeret.

Orsus igitur, expeditis omnibus eloquentiæ suæ viribus, testatus est per caput proprium, perque salutem vniuersi regni, ne properaret discedere, id est seipsam perdere, sed maneret tantisper penes se in nemore illo, donec excubitorum feruor in persequenda captiua non nihil remitteret, quos certum erat, diligenti peruestigatione instituros vestigiis eius. Elisa attenta hoc consilium

lium audiuit aure, nescia tamen quo interim schemate aut habitu vti deberet, donec melior effugiendi se offerret occasio. Pyridorius opilionis personam eam induere iussit, cũ non multos greges neq; pastores illa pars Iberię aleret. Nec opus erat multis argumentis ad acquirendũ virginis consensum. Enimuero ita comparatum est cum generosis animis, vt capaces sint variarum vicissitudinum, & naturale illud εὐφυὲς facile ad quosuis honestos actus & quaslibet accommodationes se accommodare potest. Idem ergo Pyridorius conuocatis vicinis rusticis, eorum ope orsus est extruere aliud tuguriolum, supra littus propinqui maris, quod seruiret vsibus nouitii huius opilionis.

Vide sis iam mi lector, admirandam personarum mutationem & fortunæ lusum! Hæc coronam auream in petasum vertit iunceum, sceptrum regale in pedum pastorale, Pallium regium in centonem linteum; pro populi multitudine adspicit manipulum ouium, humilesque Quirites. Grex igitur balantum refert Rempublicam, idem terras patrimoniales. Pro stipatorum corporis cohorte & numero pedissequarum

Lanigeræ comitantur oues, ea sola voluptas
Solamenque mali ------

Adeo autem non abhorrebat ab hoc vitæ genere virgo regia, vt artem pastoralem publice profiteretur, & sine rubore, quanquam multa essent, quæ ei diuersum suadere poterant: Amor, metus, iactura honorum, vitæ ante actæ recordatio. Amor enim Archombroti sine fine pungebat & lancinabat puellæ animum, qui vel cunctanti alas stimulosque subdere poterat, vt ad amatum caput curriculo contenderet. Metus ne forte agnosceretur in regione non peregrina solum, sed & inimica, in qua tot modis afflicta & pessime habita fuisset, Honores atque dignitates duplici ratione mouebant eam. Poterat

rat enim videri conieciſſe in apertum periculum ſuam pudicitiam, verſans in ſolitudine, ſub paſtoris ſchemate latitans: deinde parum eleganter facere iudicari poterat, quæ dignitatem regiam vilem faceret, & ſub penula ac centone proſtitueret. Altera ex parte reuocabat ſibi in mentem, aſtruere Hiſtoriarum fidem, potentiſſimos in orbe Reges & Monarchas, quorum ad poſteritatem clariſſima ſit memoria, glorioſum ſibi duxiſſe, Paſtorum fungi officio, & ex rectura pecudis didiciſſe verum gubernandi populos modum, vnde & à magni nominis ſcriptore ποιμένες λαῶν appellarentur. De Amore ſecura erat, non deſerturum illam conſtitutam in hac ſolitudine, vbi habitura eſſet tempus & commoditates, tot illi extruendi Aras & offerendi victimas, quod in Archombroto conſideraret dotes & virtutes.

Quin illas agitabat animo cogitationes, accepturam ſe accenſam Cupidinis igne facem, & illuminaturam luctuoſi temporis caligines, fixuramque eam in ſummitate vicinæ rupis, vt inſtar Phari luceret omnibus, qui iiſdem ſecum Amoris fluctibus iactarentur. Tænia vero pueri ſe ita vſuram, vt obligaret ſibi ipſi oculos, ne intueri cogeretur aduerſitates & pericula, quæ in terra tam infeſta quotidie ſuboriri poſſent. De metu ita ſentiebat, iam dudum ſe omnem ſpem tranquillitatis abieciſſe, neque fieri poſſe, vt nouæ ſibi obtingerent calamitates, quarum non ante experta fuerit acerbitatem. Et ipſe eius animus natiua generoſitate alte ſe eleuauerat ſuper omnia aduerſa, eratque maior, quam omnes calamitates atque infortunia, quæ mortalibus euenire poſſunt. Conſtantia eius in aduerſitatibus lauru coronata incedebat, ſpernebatque rigorem malæ fortunæ, vt ſub Apollinea Daphne, *Tangat iam quem velit*, meliore innocentiæ iure dicere poſſet. Mentem ſuam *velut arcum intentam habebat*, obfirmaueratque ad Marpeſiæ cautis duritiem,

ritiem, ne ab aſſilientibus rerum triſtium fluctibus concuti mouerique poſſet. Sicut de Balæna perhibent, ſolere illam exerto ex vndis marinis dormire capite, contemtis quæ circum eam agitentur procellis atque fluctibus.

Vt verbo rem comprehendam, conſtituerat apud ſe firmiter, quiduis facere, quiduis pati, potius quam à priſtino in Archombrotum Amore latum pedem deflecteret, aut ſe à metu aut formidine rerum aduerſarum vinci pateretur.

Nam de dignitatis iactura ſe ita ſolabatur: Sequendum eſſe ductum neceſſitatis. Amictum non facere Reges aut Principes, alias *Simiam purpuratam fore Cæſarem.* Solem ipſum non alio quam ſuo natiuoque lumine vti tegmine. Qui ſi nubes aliqua denſior ſplendorem illum obuelet, non idcirco Solem deſinere eſſe qui eſt: quin cum videtur commodum illi aſtro, diſſipare radiis ſuis ac difflare vaporum illorum craſſitudinem, & lucem fœnerare mortalibus almam. Occaſionem expectandam eſſe aiebat, quæ ſe non omnibus horis offerret, vt citra noxam & periculum infeſta terra exire poſſet, quod quidem non niſi mutato habitu ſe facere poſſe nouerat. Aliquando ad proximum fontem accedens, cuius aquæ quouis ſpeculo erant nitidiores, contemplata in iis formam ſuam, non tam male ſibi conuenire iudicauit opilionis habitum, nec adeo deformem ſe eſſe in iſto duplici iure peregrino atque inſolito amictu. In paſcendo hunc fore obſeruabat modum. Sub montium proiecta calorem ſolis euitabat vmbra, donec ouiculæ

Florentem Cytiſum & herbam redolentis Amomi,

cæteroſque flores depaſcerent, quos in gratiam nouitii huius Melibœi tellus magna mater ingenti copia, ſpectanda varietate è ſinu ſuo effundebat, iiſque virentem camporum planitiem perſpergebat. Hac ratione cum ſe beatam

beatam viuere vitam arbitraretur, crediderim, eam, cum non haberet aliud sensuum obiectum aut oblecta menti genus, non minus bono hilarique animo fuisse, quam si inter forenses strepitus aut vesani Martis arma multis imperitaret populis atque nationibus: lassa perpetuis clamoribus insanientis multorum capitum Bestiæ.

CAPVT DVODECIMVM.

PERIOCHE.

GNara omnium quæ acciderant Iberorum regina, Elisæ curam serio suscipit, quam apud gregem pastorali curæ intentam colloquio solatur, pollicita omne studium & auxilium, quo deserta Iberia in patrium reuerteretur regnum. Respondet promissis euentus, sed diuersimode. Elisa enim profectioni cum se dedisset, capitur, inq; Balearicarum Insularum altera pro mancipio venditur.

COgnitis omnibus quæ acciderant Iberorum regina, non vno modo afficiebatur. Gaudebat quidem non parum, Elisam tam feliciter è carcere euasisse, seque ipsam in libertatem asseruisse: dolebat autem non parum cum audiret, magno numero emissos viros, qui illam assecuti è fuga retraherent. Cum autem suasu & hortatu Elisæ Pyridorius ad eam se contulisset, nouumque viuendi genus virginis ei aperuisset, quæ sub habitu opilionis delitescens, commodum ex Iberia proficiscendi præstolaretur tempus, vt reddita sibi suisq; nancisceretur occasionem, pro tanto beneficio Reginæ dignas referendi grates: acquieuit penitus.

Dic quodam cum rectiores Solis radii ferirent humum, & gramina ardore syderis labefactata, amore terrei humoris deorsum inclinarent apices, Regina profecta in conualles illas, in qua pascebat gregem suum Elisa, visitauit nouam hanc Amaryllida. Sedebat virgo eo ipso tempore, & ludebat fidibus, mille colorum cincta floribus, delectata supra modum, arietes & agnos videns subsilientes, & velut ad sonum citharæ choreas agitantes. Iusserat autem Regina comites suos in vicinis vallibus subsistere, ipsa sola ex improuiso virgini à tergo ingruens: Dii te sospitent, inquit, nouelle Pastor, ô formose Alexi! Elisa cum ad hæc verba respexisset, visa regina vehementer obstupuit, cum eam, quam longissime abesse putabat, iuxta sibi adstantem conspicaretur. Reddita igitur ei salute multis precibus à Matrona contendit virgo ne se proderet, sed pateretur, vt humilitate, quæ opilioni conueniens erat, eam coleret ac veneraretur: alioquin si nimis eam familiariter haberet, non cárituros suspicione spectatores.

Sed non minus mirabatur Regina, cum videret eam sub habitu adeo vili tanta nitere elegantia faciei: & vtinam inquit, mi pastorcule, cæteri tam læti tibi fluCant dies, quam hic ipse, qui consecratus est huic occursus nostri prosperitati; vt mihi illabatus sit honor iste, quo te in libertatem asseruisse dicar, accedente alio non minore, vt mea opera te in patriam reductam ipsa fatearis. Cæterum dic mihi sodes, vnde tam exquisita diligentia in Tyrone & discipulo? An quia Solem istum, clarum Sydus vincis elegantia faciei, etiam in sedulitate officii superare contendis? Quamquam, vt dicam quod res est, credere non possum, has vanitates in te cadere posse. Istud duntaxat diuinabo, nolle te vllum momentum perdere temporis, quo non iucunda recordatione Archombroti pascas animum, vt gramine ouiculas.

culas. Et si nihil aliud, certe huius diei, qui vere mihi Zephyrius, Cupidineus, Dioneus est, amœnitas ad has te allicere potest cogitationes.

Est vt dicis, Domina, respondit in opilionem deformata virgo, nec falleris iudicio. Credo enim te videre, vel saltim audire Lusciniolam in illo rhamno virente concinentē, quæ suauitatem harmoniæ suæ cum iucundissimo præterfluentis riui murmure maritans, tam admirabilem cantus sui elaborat suauitatem. Hæc est illa ipsa auicula, quæ mihi hodie somnum interrupit, cum primum exsereret rubicundas genas

Tithoni croceum linquens aurora cubile.

Hæc mihi sua vigilantia exprobrare visa est dormiendi adsuetudinem, quod diutius stertetem, quam puellæ in Cupidinis castris militantes adsueuissent: & remissior essem ad surgendum, quam nouitium pastorem, cui gregis cura commissa est, deceret.

Ecquis te docuit, reposuit regina, auicularum linguas intelligere, interpretari voces? Amor, respondit illa, qui interpretem agit, explicans amantibus non solum auium loquelam, sed & gestuum, oculorum, cogitationum; is ipse mihi Lusciniæ cantum interpretatus est. At Regina: quin mihi igitur dicis, an eadem illa Luscinia felix tibi fore hoc nouum viuendi genus prædixerit? Non, inquit Elisa, non domina, sed dixit se hoc reseruare tuo aduentui vt tute iudicares de peregrino hoc meo habitu, quem nescio quæ fatalis necessitas me sumere coegit. Quæso autem te, Regina, vt missis ambagibus mihi tua animi sensa aperias dicasq; libere, quam mihi superesse spem existimes reuertendi in Patriam Galliam? Nam vt diutius oues pascam, nec familia qua sum ortus, nec dignitas patitur, vt iam de Amore subinde aurem vellicante taceam. Vbicunque enim sim in toto hoc Orbe habitabili, sentio me firmis ad Archom-

brotum trahi funibus, quos indissolubili Amor contexuit sparto.

Noli porro properare, inquit regina, adhuc tua messis in herba est; idem enim Numen, quod te è carcere exemit, post hac tui curam geret; illi cordi erit, te in Galliam saluam & incolumem reducere. Præcipitantia multis sæpe noxia fuit, multisque qui iam prope ad summum felicitatis fastigium conscenderant, nimia celeritas præcipitium attulit. Mecum erit iste labor: ego tibi ostendam viam qua hinc emergas. Suppeditabo tibi inquam nauem, qua tuto vti, inque patriam redire possis. Dum autem hoc effectum dem, non intermittam te subinde inuisere, etsi raro, ne vel minimam suspicionis causam regi marito meo præbeã. Tu interim me de tuis rebus certiorẽ facere ne omitte, misso sæpius ad me Eremita illo, cum quo vel eo nomine mihi liberius loqui licebit, quod nemo de tam sancto viro quicquam sinistri suspicabitur. Ipse quoque Rex multum huic hominum generi honoris defert, nec licet stipatoribus quenquam cucullatum, à colloquio eius aut ingressu regia arcere, graui constituta pœna. Ad hunc modum commonefactam virginem desertura Regina, lustrauit curiosis oculis mapale illius; cumque probasset naturalem & fortuitam tugurii fabricam, vnam rem illi deesse dixit. Percontanti Elisæ quænam illa esset, Regina in aurem insusurrauit: Archombroti præsentiam. Hoc responsum vtrique cachinnum excussit, Elisæ insuper verecundum ruborem, quæ tristior videbatur discessu tam beneficæ Matronæ: sed hanc necesse erat Regiam repetere.

Abiens igitur, cum præteriret claustrum Eremitæ, descendit pilento, & Pyridorio virginem quibus potuit affectibus commendauit, mandauitque, vt subinde ad aulam veniens, quid de Elisa fieret, bona sibi referret fide. Nec

de. Nec enim se commissuram, vt Regalis filia Galliæ destitutam se diceret ope atque patrocinio reginæ Iberiæ.

Non longe post Regina, cum de salute virginis non parum angeretur, nunciauit ei per hominem fidum, non arbitrari se consultum, vt in illis oris longas moras nectere t. Quosdam enim curiosiores ex sequela aulica delatos in eas partes, cuncta notasse, nouum gregem, extructa mappalia, omnia exactiora & venustiora quam mos gentis ferret: hinc non vana illi collegerant coniectura, latere aliquid sub simulata illa simplicitate. Esse etiam periculum, ne raptus in iudicium Eremita cogeretur verum prodere, & totam fabulæ aperire scenam. Daret igitur operam, vt ad primum nuncium expedita esset, & ad mare se reciperet. Ipsa nauem instrui iussit, cuius beneficio deferretur in patrias oras Elisa.

Offerebant se nonnulli mercatores, interque eos vnus, qui in Baleares Insulas se nauigaturum profitebatur. Multi aderant quibus ibi negotia expedienda: hi omnes conscendebant nauim mercatoriam, cumque iis Elisa, quæ non sine mœstitia & lachrymis deseruit gregem, domicilium, habitumque pastoralem. Nec enim hoc vti nauigaturam expedire videbatur. Militare igitur sumsit vestimentum, sagum & chlamydem, quamquam, si verum fateri volumus, non fictam sed veram sequebatur militiam, & acies

In quibus occulte spicula figit Amor.

Nam

Militat omnis amans & habet sua castra Cupido.

Sed & ipsa facies & mores huius Tyronis loquebantur mereri eum stipendia in castris Veneris, sub ductu & signis Amoris, qui pro Aquilis columbas in labaris circumferret.

Vix deseruerant propinquum littus, cum iam altum

nauigantes mare fassi sunt domini illius triremis, Piratas se esse, qui assumto Mercatorum nomine res latrocinio nauigantibus ereptas, in vicino vendiderant aut permutauerant Iberico littore. Hac ratione illi quæ voluerant effecerant, diuenditis mercimoniis suis, persuasoque magno hominum numero, qui per speciem traiiciendi in vicinas Insulas, ipsi se vltro cassibus latronum induerant. Igitur Piratæ, cum se longius à continente auulsos cernerent, vbi nullum metuendum ipsis erat periculum, vectores omnes qui non erant è societate illorum, in imam compellunt carinam, viros quidem seorsim includentes, mulieres suæ seruantes libidini. Solæ duæ puellæ inuiolata pudicitia perstitere incolumes, quibus nihil aduersi accidit, quam quod ablatis vestibus preciosioribus, laceris centonibus tegere membra iussæ fuerant. Cum igitur impuram satiassent rabiem sceleratissimi nebulones, mensas poni iusserunt, ad quas omni luxu & ciborum abundantia plenas cum assedissent, strenue perpotare ceperunt, vt ebrii & vino madentes, pauci à rixis, vix vlli ab amentia abessent.

Vt autem hanc tragœdiam exorsi fuerant fraude & libidine, gula & luxuria continuauerant, ita cæde & crudelitate eandem finiuerunt. Quidam enim è compotantium numero, surgentes à conuiuio, quasi merum non aqua sed humano sanguine misturi, atque diluturi, descendentes in imam nauem, quicquid masculum supra iuuentutis annos esset, trucidauerunt, cadaueraque eorum in mare abiecerunt. Alii iuuenes aut adolescentes validiores selectos, compedibusque ferreis inclusos, ad remum applicauerunt, interque eos etiam Elisam sub virili habitu latentem. Quo facto venti, quasi approbarent tot scelera cum crudelitate in miseros coniuncta, tam prosperi his latronibus adspirauerunt, vt breuissimo temporis spatio Balearicas Insulas conspicati, dicto

citius

citius ad minorem illarum feliciter appulerint, quam noſtro æuo Minoricæ nomine vſurpamus.

CAPVT DECIMVMTERTIVM.

PERIOCHE.

Senega præcipuum Minoricæ Inſulæ oppidum. Ad hoc appulſi Piratæ, oppidanis vendunt ſpolia rapinasque ſuas, ipſamque Eliſam in adoleſcentis habitum deformatam Pontifici illius oppidi. Hæc pro Mancipio in ſeruitutem deducta, fuſis ad Apollinem precibus ſuam ei commendat ſalutem, ſuoque fideliter inſeruit domino.

ANguſtior eſt ambitus Gymneſiarum Inſularum minoris, quam vt multorum oppidorum capax eſſe poſſit. Præcipuum ac prope vnicum eſt Senega, in ipſa maris crepidine, cum portu non magno quidem, ſed ſatis commodo. Huius oppidi incolis magna intercedebat cum Piratis iſtis aliisque familiaritas & negotiatio. Intellecto igitur aduenisse peregrinam nauem, conferti portis eruentes, ad mare concurrunt, quiſque lucelli ſui ſtudio ductus. Factum eſt à ſacrificiis initium, vtrimque data acceptaq; fide, vtrinque obſidibus firmata. Cumq; iam inter vtrosque ſatis conueniſſet, exonerare piratæ triremem cœperunt, magnamque ſpoliorum latrocinio acquiſitorum vim in terram expoſuerunt.

Ibi momento citius vidiſſes forum rerum venalium omnis generis, illic erat argentum, alibi vaſa aurea, æs, ferrum, plumbum, varia veſtimenta, materia multiplex: poſtremo vix aliquid in tabernis pergulisque inſtitorum

rum vendebatur,quod non itidem hic venale visebatur. Hasta igitur proposita,atque instituta auctione,qui plus offerebant precii,facilius mercabantur. Mancipia(quæ ipsi è corporibus liberis fecerant) sola in naui manere iussa sunt,vbi mangonium institutum,&licitatione peracta, paruo precio venditi homines,omnium viuorum nobilissimum. Circa duas puellas,quibus illibatam seruauerant pudicitiam, longior mora tracta est, suntque hæ pluris quam cæteri venditi.

Summus illius loci sacerdos Elisam mercatus est,adolescentē ratus,sic mentiente habitu.Mancipium igitur suum secum ducens Pontifex,cum Templum quoddam transeundum illis esset, Elisa videns statuam Apollinis cum subiecta ara,quam ante id tempus Græci ibi erexerant,in genua subsidens, complexaque pedes simulacri largo profuso lachrimarum imbre, ad hunc modum precata est.

O Latoe,Delie,Cynthie,Amphrysie,Thymbræe,Diuine Apollo, quando tandem finis erit calamitatum mearum?quando desinent superi,indignationis suæ bilem in me miseram despumare? Miserere mei cœlestis Apollo,atque vel tu ea virtute qua potes pollesque,hanc abige à me tempestatem, quæ me tam pertinaciter affligit.Fulci me atque sustenta sub tanto aduersitatum onere titubantem atque fatiscentem. Non ignoras puto, qui non solum iam trans acta sed& futura calles,quanto studio coluerim sororem tuam , eiusque inseruierim Altaribus in Arelatensi ciuitate, antequam me mater mea à sacerdotio illo abstractam, in hanc coniecit Lærnam malorum, cuius finem videre nec dum vllum queo. O quot ego plicaui corollas laureas, quas his manibus imposui capiti eius:similes plane illis, quas tu ipse sustines ex celso vertice! quoties è plena acerra graues Arabici odoris micas in eius aram non parca manu conieci!

ieci! quoties pauimentum Templi illius lectiſſimis conſtraui herbis, floribuſque fragrantibus, è proximis pratis hortiſque conquiſitis! Vna mihi cura erat, vnæ delitiæ, vt placerem Dianæ, ſummaque illi diuæ ſeruirem ſanctitate & aſſiduitate, vt numinis illius exigebat magnitudo.

Finierat Eliſa, & Pontifex qui illam emerat, gnarus linguæ illius qua preces ipſa fuderat, cum audiret eam Dianę ſacris aliquando initiatam, vocatam ad ſe propius percontatus eſt:

Τίς; πόθεν εἰς ἀνδρῶν; τὸ δὲ σοι γένος ἠδὲ τοκεῖες;

At infelix virgo, oppreſſa miſeriis & doloribus id ſaltem reſpondit: Iam quidem ſum ſeruus tuus: ſic enim fortuna voluit. quod ſi perrexeris vlteriora quærere, audies drama Tragicum, quo miſerabilius nullum vnquam ſpectatum eſt in toto huius vniuerſi Theatro. Statuit enim me Fortuna trophæum leuitatis & inconſtantiæ ſuæ. Vides me? verum vides ipſius Miſeriæ ſimulacrum, Pægnium & pilam Deorum, Tabulam Eumenidum. Hæc tibi, here, hac vice ſufficiant.

Abſtinuit ab vlteriori interrogatione Sacerdos, ne afflictum magis proſterneret humi, & aderat iam non colloquendi ſed prandendi tempus. Diſcubuit igitur Pontifex cum vxore ac familia, Eliſa autem nouum mancipium, ſtabat & miniſtrabat menſæ, quod hominem ſeruum facere par erat. Ibi materfamilias, more muliebri curioſior cæteris & cognoſcendi auida, maluit ſermonibus nouelli ſerui aures, quam cibis ventrem paſcere: iuſſit igitur vt omiſſo ſolito ſeruitio narraret ſi quid haberet commemoratione dignum. At virgo ductis ab imo pectore ſuſpiriis, à gemitib. planctibuſque, immiſtis lachrimis orſa, veniam petiit, ſi non poſſet quæ vellet, impedientibus ſingultibus fletibuſque cupientis verba eloqui, cum præterea parum conuenire arbitraretur,

ſon-

prandii lætitiam tristissima narratione interrumpere, & id velut funestum facere. Sed hoc frustra fuit: nec enim persuasit Heræ cæterisque qui accumbebant, qui insuper imperabant nouitio seruo, vt specimen aliquod mutatæ conditionis vitæ ederet. Seruo enim homini multa facienda esse, multa ferenda quæ nolit, cum non sit in sua, sed illius qui eum suo mercatus est peculio, constitutus potestate. Sed commodum interuenerunt alii, qui cum Pontifice de rebus seriis collocuti, institutæ narrationis filum interruperunt.



ARGE-



ARGENIDIS CONTINVATÆ PARTIS TERTIÆ

LIBER QVARTVS.

CAPVT PRIMVM.

PERIOCHE.

Ciuitates Galliæ supplices se dedunt Poliarcho. Archombrotus persequitur belli Ambiodorigiani reliquias, obsesso atque capto Fraxineto oppido.

TEmpus postulat vt deserta Iberia, in qua satis diu peregrinati sumus, in Galliam reuertamur. Igitur Famâ captæ per Poliarchum Massiliæ, victique ac profligati maritimo prælio ab Archombroti classe Ambiodorigis, territæ cæteræ per Galliam ciuitates, portas ei aperuerunt, obedientiam ac summissionem Regi deferentes, multum inclementia victoris collocantes fiduciæ. Prodibant igitur aduenienti obuiam ciues cum rectoribus oppidorum, Præsidiarii, integræque cum ducibus

cibus tribunisque suis Legiones, certantes in regem officiis obsequiisque. Stabant præcipui ciuium ante Templorum sacrarumque ædium valuas, oliuæ ramos manibus præferentes, oculis fletu lachrymisque natantibus, profundo quodam silentio erroris & delicti magnitudinem confitentes: à quibus ne Deos quidem ipsos exacturos fuisse supplicium crediderim, adeo ad humilitatem & misericordiam composuerant sese. Polyarchus quidem non fuit difficilis in largienda iis venia, cum iam ante atrocioribus delictis clementer ignouisset. Ipse Vrbem nondum ingressus erat, sed distulerat festiuitatem, tantisper donec victor rediret Archombrotus, qui armis persequebatur cognatum Ambiodorigis, infelicis belli reliquias post se trahentem.

Posuerat hic castra loco, vt opinabatur, tuto, in finibus Salassiorum, qui populi sunt Alpini, ad Allobrogum montana pertingentes. Archombrotus, qui in mediis procellis fluctibusque non formidauerat hostes, ne eos quidem in Alpium claustris delitescentes metuebat. Facienti iter huic Ambiodorigis cognato secundum loca maritima, non ineptum visum fuerat, castrum Fraxineti ad defensionem: erat enim loco commodissimo & ad muniendum peropportuno structum. Ab vna parte tutum id præstat mare, quod ima eius fundamenta pulsat, ab altera, qua continentem spectat, densis cingitur syluis, vt aditus ad id sit difficilimus. Ex opposito eius Maurus mons instar monstrosi Gigantis assurgit, altitudo eius metuenda, species horribilis, erigentibus se saxis crebro interruptis ac vetustate exesis, perpendiculari rectitudine, vt haud facile quis erepere queat ad perangustum tramitem qui ad castrum istud ducit. Hoc ob situs miram commoditatem sibi is elegerat, quo calamitosas post tot superiores clades contraheret exercitus reliquias. Cumque pauci adeo essent Fraxineti in præsidio

dio milites, ausus vi aggredi, territauit adeo eos, ob paucitatem parum fidentes armis, vt deditionem fecerint recepto eo in arcem. Inde Maurum montem quoque occupauit, collocatis in eo opportunissimis locis præsidiis, adiectisque nouis munitionibus, vbi vsus exigebat, firmatoque vtroque receptaculo cæpit vicinos populos excursionibus vexare, rapinasque exercere, fretus munitione naturali vtriusque loci. Has Ambiodorigis copias statuerat persequi Archombrotus, & è nidis illis montanis deturbare, instar ibicum aut rupicaprarum.

Miserat autem Polyarchus ad eum Bocchum & Arsidam cum parte equitatus Gallici, qui consederant haud procul à Fraxineto. Hi igitur cum suos partim ab equis descendere iussissent, profecti de nocte per secretas quasdam vias & ambages, tanta iuerunt diligentia, vt antequam illucesceret proximi essent castro. Ibi cum paulisper constitissent, intellexerunt è speculatoribus; hostes altum agere silentium, vnde conicere pronum erat, eos nihil horum quæ acciderant persensisse. Ad portam excubare paucos quosdam, eosque miserabiles homines, qui partim somno partim ludo vacarent intra sua domicilia. Non igitur fore difficile, occupare ex improuiso hunc locum, cum collocandis insidiis vicinus saltus maximum sit præbiturus adminiculum. Archombroto, cum hæc innotuissent, non visum est diu consultare, nec enim de felici successu quisquam dubitabat: igitur tenebris adhuc passim obtinentibus, in dictum saltum se recepit, cum iam ante equites eius funiculis equorum linguas deligassent, ad cohibendos eorum importunos hinnitus. Vix aurora præsentis diei nuncia pallere incipiebat, cum aperta porta exeuntibus colonis ad opera rustica, quatuor equites è promptioribus, laxatis habenis, equosque calcaribus vrgentes celeriter accurrerunt: quibus visis qui aderant ad portam milites, pauci

pauci numero claudere eam moliebantur, sed serius id erat. Vnus enim è quatuor illis equitibus tam tempestiue adfuit, vt iniecta lancea intra valuarum commissuras eas iungi claudique prohiberet. Mox & tres alii adfuerunt, cumque suis in saltu latentibus accurrendi signum dedissent, factum est vt portam sui iuris facerent.

Ad hunc modum Arcem ingressus Archombrotus cum copiis, quotquot cum armis ei occurrere ausi fuerant, in frusta concidit, cæteros se dedentes victoris arbitrio, compedibus vinciri iussit, vt ad Polyarchum regem mitterentur. Cum autem castrum hoc non leuis momenti esse videretur, visum est Archombroto illud non leuiter custodire, ne pari stoliditate amitteretur, qua captum erat. Relicto igitur præsidio, quantum ad defensionem loci satis esse videbatur, elegit sibi duces quosdam, quorum commonstratione per aspera loca, niuibus alpinis referta, aliasque difficultates in ipsum Maurum montem euasit. At hostes visa eius promptitudine, relictis rupibus ad quos patebat accessus, ad fortalitia atque propugnacula, quæ in decliui montis parte muniuerant, sese receperunt. Quos secutus magnanimus Princeps, eodem itinere quo ipsi fugerant, in eos duxit copias, obsedit, oppugnauit vrsitque eos adeo, vt desperantes de toleranda porro obsidione, deditionis mentionem priores ipsi fecerint. Recepti sunt ab Archombroto, hac conditione, vt ad Poliarchum proficiscerentur, deducti eo non sine custodibus, coram eo rationem factorum suorum reddituri.

CAPVT SECVNDVM.

PERIOCHE.

TRiumphaturus de hostibus Aichombrotus, tristem de capta iterum Elisa accipit nuncium. Hanc in mari periisse arbitratus, miris prosequitur lamentis planctibusque.

HIs factis, Siculorum Mauritaniæque Princeps, partis egregiis aliquot victoriis, victrici redimitus tempora lauru, Massiliam lætus gestiensque rediit, dedicaturus Elisæ velut numini omnia sua trophæa, quam in eo occupari arbitrabatur, vt corollas magno numero contexeret, quibus victoris sponsi ornaret comam, coronaret caput. Sed malæ fortunæ proteruia invidit optimo fortissimoque iuueni hanc gloriam & felicitatem. Totam enim regiam in squalore & luctu deprehendit, mœstis omnibus ob amissionem Regalis filiæ, & iacturam triremium, quarum non paucæ igne combustæ desiderabantur. Cum igitur tristem illum de rapta Elisa accepisset nuncium, noluit vel pedem latum progredi, sed in ipso littore considens, plenus dolore atque indignatione, lamentabili voce iniquitatem Fortunæ grauiter accusauit, adeo vt inter suspiria & lachrymas, non videre se causam, cur vellet viuere, diceret.

Quid ego nunc primũ querar, dixit, aut vnde comminiscar? Elisa, ô mea lux atque vita mea, itane euanuisti? Quod mihi te infortunium tam celeriter abstulit? O lachrimabile incendium! ô fatalis ignis! infelix & miseranda flamma! ô crudelis malacia & tristis tranquillitas, quæ mihi eripuisti thesaurum illum, quo me nec vlla tempestas, nec furentis Ponti fluctus spoliare potuerunt!

pauci numero claudere eam moliebantur, sed serius id erat. Vnus enim è quatuor illis equitibus tam tempestiue adfuit, vt iniecta lancea intra valuarum commissuras eas iungi claudique prohiberet. Mox & tres alii adfuerunt, cumque suis in saltu latentibus accurrendi signum dedissent, factum est vt portam sui iuris facerent.

Ad hunc modum Arcem ingressus Archombrotus cum copiis, quotquot cum armis ei occurrere ausi fuerant, in frusta concidit, cæteros se dedentes victoris arbitrio, compedibus vinciri iussit, vt ad Polyarchum regem mitterentur. Cum autem castrum hoc non leuis momenti esse videretur, visum est Archombroto illud non leniter custodire, ne pari stoliditate amitteretur, qua captum erat. Relicto igitur præsidio, quantum ad defensionem loci satis esse videbatur, elegit sibi duces quosdam, quorum commonstratione per aspera loca, niuibus alpinis referta, aliasque difficultates in ipsum Maurum montem euasit. At hostes visa eius promptitudine, relictis rupibus ad quos patebat accessus, ad fortalitia atque propugnacula, quæ in decliui montis parte muniuerant, sese receperunt. Quos secutus magnanimus Princeps, eodem itinere quo ipsi fugerant, in eos duxit copias, obsedit, oppugnauit vtrique eos adeo, vt desperantes de toleranda porro obsidione, deditionis mentionem priores ipsi fecerint. Recepti sunt ab Archombroto, hac conditione, vt ad Poliarchum proficiscerentur, deducti eo non sine custodibus, coram eo rationem factorum suorum redditurí.

CAPVT SECVNDVM.

PERIOCHE.

TRiumphaturus de hostibus Archombrotus, tristem de capta iterum Elisa accipit nuncium. Hanc in mari periisse arbitratus, miris prosequitur lamentis planctibusque.

HIs factis, Siculorum Mauritaniæque Princeps, partis egregiis aliquot victoriis, victrici redimitus tempora lauru, Massiliam lætus gestiensque rediit, dedicaturus Elisæ velut numini omnia sua trophæa, quam in eo occupari arbitrabatur, vt corollas magno numero contexeret, quibus victoris sponsi ornaret comam, coronaret caput. Sed malæ fortunæ proteruia invidit optimo fortissimoque iuueni hanc gloriam & felicitatem. Totam enim regiam in squalore & luctu deprehendit, mœstis omnibus ob amissionem Regalis filiæ, & iacturam triremium, quarum non paucæ igne combustæ desiderabantur. Cum igitur tristem illum de rapta Elisa accepisset nuncium, noluit vel pedem latum progredi, sed in ipso littore considens, plenus dolore atque indignatione, lamentabili voce iniquitatem Fortunæ grauiter accusauit, adeo vt inter suspiria & lachrymas, non videre se causam, cur vellet viuere, diceret.

Quid ego nunc primũ querar, dixit, aut vnde comminiscar? Elisa, ô mea lux atque vita mea, itane euanuisti? Quod mihi te infortunium tam celeriter abstulit? O lachrimabile incendium! ô fatalis ignis! infelix & miseranda flamma! ô crudelis malacia & tristis tranquillitas, quæ mihi eripuisti thesaurum illum, quo me nec vlla tempestas, nec furentis Ponti fluctus spoliare potue-

runt! At ſaltim me noſſe conueniens erat, aquis ne ſubmerſa perieris, an igne in cineres redacta. Si vndæ te vis peremit, eadem manantibus vbertim lachrimis me quoque perimet, & threnis meum ſuffocabit ſpiritum. Et tu quidem inter aquas diuinæ particulam auræ exhalans, vitalem ſpiritum intra Nereidum Nympharumque marinarum ſinus depoſuiſti: mihi æternum dolorem, perpetemque lachrymarum materiem reliquiſti. Itane thorus tuus nuptialis mare eſt, idemque ſepulchrum tuum?

Infelicem me, & nullius vſus ſponſum, qui tibi non præſto fuerim, eiuſdemque tecum particeps thalami! Nunc in hoc littore deſtitutus, cogor clamoribus & eiulatib. meis tibi cenotaphium erigere, vbi me narrantem calamitates meas, & ne quicquam fata cientem audiant

Nereides, Triton, Phorcique exercitus omnis.

ô mare mare, quantis me amatitudinis obruiſti fluctibus! ô tēpeſtas, ô breuia, ô ſyrtes, quauis Scylla aut Charybdi crudeliores, quæ cū lectulo nuptiali omnes meas ſpes atq; delitias deglutiuiſtis! Quis me vnquā mortalis homo viuit infelicior! quis calamitoſior! Vbi eſt nunc tænia tua, Cupido Rex amantiū, qua meos obligē oculos meoſq; ſenſus, ne poſthac videam, aut perſentiſcam tam triſtem calamitatum mearum Lærnam? Itane tu, qui potentiſſimos quosque è Deorum numero, tibi facere aſſoles obnoxios, ſubiicies te Neptuni arbitrio? At mihi videbaris pulchre armatus, cum me ſagittarum tuarum acie vulneraſti. Portabas tu quidem ardentem facem cum ex vſtrina Amathuntis cor meum ſuccendiſti. Hæc omnia tibi iam nihil proſunt, ſpoliauit te validior Deus, & ex nudo magis nudum reddidit, nec video, quo pacto vim eius effugere queas. Is mihi eripuit depoſitum pignuſque, quod mihi crediderras; abſtulit theſaurum, cuius

ſus poſſeſſionem atque curam demandaueras. Illius factum eſt iniuria vt è diuite pauperrimus euaſerim, amiſſis quas abs te acceperã opibus. Quin ades igitur nunc, ſi quid potes polleſque tuis alis, arcu, ſagittis, face, cæteriſque armis. Extorque Cæruleo illi Iouis fratri, & redde, quam mihi per ſummam improbitatem ademit Eliſam, cum qua dies meos peragere decreui, & ſine qua ipſa vita ingrata mihi futura eſt. Non id tibi pondus eſt armorum corporiſque, vt demerſus imo ſubſidas fundo. Viuacior eſt flamma tua, quam vt vllis vndis extingui queat, cum Naiadum Nereidumque vda incendere ſoles pectora. Nec eſt quod verearis, ne alæ tuæ permadeſcant, aut ad volandum fiant inhabiles; leues ſunt & humorem reſpuunt. Nulla res eſt quæ ſe viribus tuis opponere poſſit, quicquid ſuſceperis modo velis efficies.

O Eliſa, mihi conſtitutum eſt te aut videre denuo aut mori! O Mars itane me ducis ad bellum, itane me nouis mactas victoriis, vt interim laurea mea duplici ratione pereat; aut Iouis fulmineis ambuſta ignibus, aut Neptuni permadefacta ac ſubmerſa fluctibus! Tandem creſcentibus gemitibns ſingultus crebri interrupere lamentantis verba; nam & frequens lachrymarum imber in ipſum os eius ſe exonerans, videbatur compar, quod Eliſam illo iudice, manſerat, ei minitari fatum. Querelarum itaque modus factus eſt, non item dolorum imorumque pectoris cruciatuum, qui nobiliſſimi iuuenis lancinabant præcordia.

CAPVT TERTIVM.

PERIOCHE.

Vlgi errore cognito, qui Eliſam mari periiſſe arbitrabatur, Galactio in Mauritaniam proficiſcitur. Adipiſcitur occaſionem, redintegrandi priſcos amores ſuos in nobilem matronam, qualis illa fuerit.

Et hunc quidem in modum Siculorum Princeps inanibus querelis littus fatigabat Gallicanum, cum affertur ad eum vulgatus rumor, non periisse aquis Elisam tunc cum triremes conflagrarent. Galactio enim, quem Rex in Mauritaniam miserat, vt nunciaret Reginæ nouum hoc infortunium, ex itinere ablegauerat certum hominem, qui celeribus vsus iumentis viuere Elisam asseuerabat: piscatores enim iuxta vicinum littus opificium suum exercentes narrasse, visam ab sese celocem, quæ nauigasset versus Iberiam: in ea animaduertisse se Tribunum militarem Massiliensem cum illustri virgine, quam ipsi cognoscere exactius non potuissent: solum ex habitu, qui nequaquam plebeius aut mediocris sortis fœminarum esset, se coniecisse, reginam certo esse accedentibus etiam aliis coniecturis.

Audito hoc nuncio, multum leniti sunt dolores Archombroti, concepitque omnis regia de virgine spem optimam. Argenis autem præceteris recreata est, quæ affligendi se ipsam finem non fecerat, postquam interiisse Elisam, quam sororis affectu diligebat, audiuerat, sed assiduis naufragium illius deplorauerat lachrymis. Dum autem hic aulam replet insperato gaudio, Galactio persequitur viam suam, prosperisque vsus ventis in Mauritaniæ portum appellit.

Præcurrerat iam ante fama amissæ virginis, omnemque reginæ aulam luctu compleuerat & lachrymis: Galactio igitur diuersum referens, ob suauitatem nuncii gratus acceptus que fuit omnibus. Non diu fuit in huius reginæ comitatu, cum vetus, sed nondum abolitus, cuiusdam è Gynecæio regio mulieris amor ei rediit in præcordia. Et sane non erat hæc è leuissimis causis, cur Poliarchus eum in has terras ablegauerat, cum parta pace per regnum, eius iam posset carere præsentia, & cæteroquin etiam gratificari vellet homini fidelissimo de-

que

que se optime merito. Manedela (ita enim vocabatur mulier illa) eandem cum Galactione fuerat sortita patriam, cuius parentes bellorum ciuilium calamitate grauiter afflicti, assumptis paucis quæ è multiplici clade superfuerant facultatibus, se cum familia receperant in Nades Insulam: vbi dici non potest, quanta cura habuerint filiam, vt naturæ dotes, quibus ea affatim erat instructa, paulo post longe vicerit educatio. Siue enim animum mentemque spectes, omnibus virtutibus, quæ quidem in puellam cadere possunt, penitus imbuta videbatur. Si corpus, ea erat formæ atque pulchritudinis perfectio, quæ in mortalem fœminam cadere non posse videbatur. Quisquis eam etiam tenellam adhuc intuebatur, aut nihil tam absolutum antea sibi visum, aut nihil perfectius post videndum pronunciabat. Itaque rapiebat in admirationem sui deuinciebatq; multorum sibi corda, quanquam per ætatis defectum vim suæ venustatis nondum intelligeret. Vulnerauerat enim plurimorum è nobilitate mentes, & sauciauerat corda, quanquam esset innocentissima.

Quamuis deinceps, cum occultam vim suam intelligeret, adeo non excusauit læsionem, vt etiam gloriæ sibi duxerit, & honori inter æquales. At virginem, iam ferendo maritali iugo maturam, cum multi ex Equestri ordine efflictim deperirent: Vnius tamen è Hierophantis, quem Semeium appellabant, amor videbatur in eam esse vehementior. Nec hoc graui ratione carebat, cum tanta faciei venustas cum summa totius corporis harmonia & morum cõcinnitate coniuncta, frustra in quouis alio corpore muliebri quæri videretur. Sed & ipse procus tantũ cęteros iuuenes superabat specie & decoro, quantũ ipsa virgo alias puellas. Hinc factum est, vt amatã sibi vicissim redderet obnoxiam, & reciproco affectu respondentem, quamuis non sine multo labore & sub-

leuis illi orta gloria, quæ velut Dea culta fuit, donec cum marito versaretur in iis partibus.

Nec sterile erat hoc matrimonium, natis pulcherrimis infantibus, quos mater summo studio educabat. Sed vt nulla felicitas mortalibus est perpetua: ita hic quoque accidit, vt nescio qua vi fati celeriter morerentur pueri, & velut tenellæ plantæ transferrentur in cœlestes deliciarum hortulos, vt ibi Deûm ope transplantati cultique, melius quam in terra adolescerent. Statuerat Semeius iis morientibus se addere socium, nec deserere vita cassos, quos tantopere dilexerat superstites: nec sane diu superuixit charissimis pignoribus, mortuus in illa Insula, quo ipsum bellorum ciuilium ardor compulerat. Pollicitus ille quidem fuerat populo, se eos nunquam deserturum: sed frater illius, quem in grauissimis illis seditionum popularium tempestatibus seruatum cupiebat, coegit eum mutare propositum; hunc igitur secum assumtum in hanc Insulam velut in amicum quietis portum detulerat.

Transierat per illas partes princeps quidam cum exercitu pestiferis & contagiosis morbis obnoxio, vnde infecta maligna lue regione ista, in Semeii quoque domum labes penetrauit, qua propemodum omnis correpta familia, tam graue ac præsens concepit venenum, vt cum vix vni clausi fuissent oculi, duo iam alii cum morte colluctarentur. Pauculis igitur diebus omnes Semeii interiere liberi, quos pater paulo post secutus est, tanta erat Libitinæ violentia. His cunctis superstes fuit Manadela, quanquam grauius ægrotare visa fuisset cæteris omnibus. Credo in hanc solam Mortem nihil valuisse, quod fata constituissent, hoc tantum elegantiæ specimen instar miraculi seruare terris, & eandem statuere inuictæ exemplum patientiæ.

CAPVT

CAPVT QVARTVM.

PERIOCHE.

MAnadela miris ac noxiis appetita calumniis, vincit innocentia sua actores ipsumque socerum, absoluta à crimine & supplicio.

VIx enim ab atrocissimis animi respirauerat doloribus, vix corpus eius tam maligna ægritudine grauiter concussum, collegerat aliquantum virium, cum nescio quæ Megæra ab inferis nouam ei lachrymarum suscitauit materiem.

Concitauit enim quorundam malitiosorum hominum linguas, vt solita impietate, innocentissimæ fœminæ famam diris appeterent calumniis. Narrabant hi male feriati, illam extitisse causam mortis Marito liberisque, quod neglectis iis ægrotantibus non opportuno tempore attulisset medicinam: inprimis autem accusatio erat de marito.

Ego vero, vt de me profitear, nunquam fœdiorem aut scelestiorem auditam fuisse calumniam post homines natos crediderim. Quodque omnem superabat eius dolorem, ii ipsi, quos vel sanguinis necessitas vel amicitiæ cum coniugibus his initæ ratio obligabat, vt solarentur afflictam viduitate mulierem: erant instar tubicinum, qui calumniatoribus istis ad sceleratam audaciam classicum canebant.

Primus ad quem hic rumor penetrauerat, erat Semeii pater, siue publica fama siue aliquis necessarius ad eum de morte filii retulisset. Hic irarum plenus in Nades Insulam venit, vbi conuiciis, minis, maledictis in nurum debacchatus est. Nec contentus importunitate ista, iure

contra

missione. Ipsa enim firmiter sibi apud animum suum proposuerat, trophæa statuere de omnibus suis amatoribus, eosque sub venereum iugum mittere, ita tamen, vt ipsa mente à puero illo imperioso nequaquam læderetur. Erant qui animaduerso Semei immoderato amore eum cum Lucifero compararent.

Sicut enim Stella illa, quæ Solis ortum velut anteambulo præcedere solet, singulis diebus mane ad salutandum clarissimum illud sydus, velut ad magni principis portam præsto est, vt iussa Phœbi capessat, eiusque præsentiam aut aduentum nunciet mortalibus, qui orientis partes incolunt, apud quos in præcipua id astrum est veneratione: Ita Semeius Hierophantes omnibus diebus ad fores huius tam lucidæ stellæ aderat, huc ferebat gressus suos, in huius claritatem conuertebat oculos suos, hanc admirabatur & prope solam adorabat. Solitus ille fuerat in Deûm statuas & oracula, præfectus existens Mysteriorum, olim intenta habere lumina mentemque; sed iam in Manadelæ solius hærebat facie, ex eius ore expectabat oracula & responsa, huic videbatur etiam paulo post sacrificaturus. Nec hoc erat omnino abs re.

Die quodam cum exhibuisset puellæ librum, in quo Hieroglyphicis Ægyptiorum litteris sacri Afrorum ritus descripti erant, cœpit illa tanta suauitate & gratia caput vnum atque alterum perlegere, vt Mystes continuo se linguæ illius dulcedine captum fateretur. Totum iam quadriennium consumserat miser in hoc amoris seruitio; quanquam post decursum primi biennii parentes eius vellent eam elocare nuptum alii quod tamen virgo constanter recusabat: cumque animaduerteret, Semeium, cui occulte suos & ipsa mancipauerat amores, hanc rem impatientissime ferre, & aperte tumultuari; vocatum ad se bono animo esse iussit, pollicita se nun-

ſe nunquam ab vſitata in ipſum diſceſſuram beneuolentia.

His auditis homo prope amens præ gaudio, quid reſponderet quidque reponeret non inueniebat, cum omnia quæ mente concipiebat, minora tanta gratia & fauore arbitraretur. Ne tamen nihil ageret, vt affectum ſuum inſigni aliquo documento faceret teſtatum, poſitis humi genibus cœpit eam adorare. Permiſit hoc nefas faſtuoſiſſima puella, ſubſcribente huic crimini perfecta ipſius pulchritudine; qua ſe excellere non ignorabat. Antequam autem diuortium facerent, mutuis ſe inuicem obligauerunt ſtipulationibus, neutrum conquieturum, donec hic amor publico inter eos & legitimo cunctis innoteſceret matrimonio. Inſignum firmiſſimi fœderis áperta vena Semeius paratus erat ſanguinem ei ſuum oppignorare: ſed puella iſtud deprecata eſt. Tota autem eorum conuerſatio tam diuturno tempore intra caſtitatis ac honeſtatis conſtitit limites, nec vltra contactæ manus aut pudicorum oſculorum exiuit orbitas: eratque tanta vtriuſque continentia, vt perſpicaciſſimus quiſque interceſſiſſe inter eos tam arcta vincula odorari non poſſet. Magna igitur prudentia & circumſpectione nouerat gubernare inquietum hunc affectum, vnde cœlũ ipſum iis arriſiſſe crediderim. Poſtremo cum tempus adueniſſet, celebratæ ſunt inter eos nuptiæ, ea qua par eſt ſolennitate & lætitia. Sex menſibus ante has, Semeius de principis voluntate depoſito ſacerdotio, præfecturã quandam inſulæ ſuſceperat, huc chariſſimam ſecum duxit ſponſam, exceptus cum ea à populo exquiſitis honoribus.

Senſit vniuerſa multitudo huius mulieris beneficia, quæ cauſa extitit ciuibus magnæ felicitatis, cum inſuper ſummos iuxta ac infimos comiter ac iucunde haberet, deque ſingulis quam optime mereri ſtuderet: vnde non

missione. Ipsa enim firmiter sibi apud animum suum proposuerat, trophæa statuere de omnibus suis amatoribus, eosque sub venereum iugum mittere, ita tamen, vt ipsa mente à puero illo imperioso nequaquam læderetur. Erant qui animaduerso Semei immoderato amore eum cum Lucifero compararent.

Sicut enim Stella illa, quæ Solis ortum velut anteambulo præcedere solet, singulis diebus mane ad salutandum clarissimum illud sydus, velut ad magni principis portam præsto est, vt iussa Phœbi capessat, eiusque præsentiam aut aduentum nunciet mortalibus, qui orientis partes incolunt, apud quos in præcipua id astrum est veneratione: Ita Semeius Hierophantes omnibus diebus ad fores huius tam lucidæ stellæ aderat, huc ferebat gressus suos, in huius claritatem conuertebat oculos suos, hanc admirabatur & prope solam adorabat. Solitus ille fuerat in Deûm statuas & oracula, præfectus existens Mysteriorum, olim intenta habere lumina mentemque; sed iam in Manadelæ solius hærebat facie, ex eius ore expectabat oracula & responsa, huic videbatur etiam paulo post sacrificaturus. Nec hoc erat omnino abs re.

Die quodam cum exhibuisset puellæ librum, in quo Hieroglyphicis Ægyptiorum litteris sacri Afrorum ritus descripti erant, cœpit illa tanta suauitate & gratia caput vnum atque alterum perlegere, vt Mystes continuo se linguæ illius dulcedine captum fateretur. Totum iam quadriennium consumserat miser in hoc amoris seruitio: quanquam post decursum primi biennii parentes eius vellent eam elocare nuptum alii quod tamen virgo constanter recusabat: cumque animaduerteret, Semeium, cui occulte suos & ipsa mancipauerat amores, hanc rem impatientissime ferre, & aperte tumultuari; vocatum ad se bono animo esse iussit, pollicita se nun-

ſe nunquam ab vſitata in ipſum diſceſſuram beneuolentia.

His auditis homo prope amens præ gaudio, quid reſponderet quidque reponeret non inueniebat, cum omnia quæ mente concipiebat, minora tanta gratia & fauore arbitraretur. Ne tamen nihil ageret, vt affectum ſuum inſigni aliquo documento faceret teſtatum, poſitis humi genibus cœpit eam adorare. Permiſit hoc nefas faſtuoſiſſima puella, ſubſcribente huic crimini perfecta ipſius pulchritudine; qua ſe excellere non ignorabat. Antequam autem diuortium facerent, mutuis ſe inuicem obligauerunt ſtipulationibus, neutrum conquieturum, donec hic amor publico inter eos & legitimo cunctis innoteſceret matrimonio. Inſignum firmiſſimi fœderis aperta vena Semeius paratus erat ſanguinem ei ſuum oppignorare: ſed puella iſtud deprecata eſt. Tota autem eorum conuerſatio tam diuturno tempore intra caſtitatis ac honeſtatis conſtitit limites, nec vltra contactæ manus aut pudicorum oſculorum exiuit orbitas: eratque tanta vtriuſque continentia, vt perſpicaciſſimus quiſque interceſſiſſe inter eos tam arcta vincula odorari non poſſet. Magna igitur prudentia & circumſpectione nouerat gubernare inquietum hunc affectum, vnde cœlū ipſum iis arriſiſſe crediderim. Poſtremo cum tempus aduenisſet, celebratæ ſunt inter eos nuptiæ, ea qua par eſt ſolennitate & lætitia. Sex menſibus ante has, Semeius de principis voluntate depoſito ſacerdotio, præfecturā quandam inſulæ ſuſceperat, huc chariſſimam ſecum duxit ſponſam, exceptus cum ea à populo exquiſitis honoribus.

Senſit vniuerſa multitudo huius mulieris beneficia, quæ cauſa extitit ciuibus magnæ felicitatis, cum inſuper ſummos iuxta ac infimos comiter ac iucunde haberet, deque ſingulis quam optime mereri ſtuderet: vnde non

leuis illi orta gloria, quæ velut Dea culta fuit, donec cum marito versaretur in iis partibus.

Nec sterile erat hoc matrimonium, natis pulcherrimis infantibus, quos mater summo studio educabat. Sed vt nulla felicitas mortalibus est perpetua: ita hic quoque accidit, vt nescio qua vi fati celeriter morerentur pueri, & velut tenellæ plantæ transferrentur in cœlestes delitiarum hortulos, vt ibi Deûm ope transplantati cultique, melius quam in terra adolescerent. Statuerat Semeius iis morientibus se addere socium, nec deserere vita cassos, quos tantopere dilexerat superstites: nec sane diu superuixit charissimis pignoribus, mortuus in illa Insula, quo ipsum bellorum ciuilium ardor compulerat. Pollicitus ille quidem fuerat populo, se eos nunquam deserturum: sed frater illius, quem in grauissimis illis seditionum popularium tempestatibus seruatum cupiebat, coegit eum mutare propositum; hunc igitur secum assumtum in hanc Insulam velut in amicum quietis portum detulerat.

Transierat per illas partes princeps quidam cum exercitu pestiferis & contagiosis morbis obnoxio, vnde infecta maligna lue regione ista, in Semeii quoque domum labes penetrauit, qua propemodum omnis correpta familia, tam graue ac præsens concepit venenum, vt cum vix vni clausi fuissent oculi, duo iam alii cum morte colluctarentur. Pauculis igitur diebus omnes Semeii interiere liberi, quos pater paulo post secutus est, tanta erat Libitinæ violentia. His cunctis superstes fuit Manadela, quanquam grauius ægrotare visa fuisset cæteris omnibus. Credo in hanc solam Mortem nihil valuisse, quod fata constituissent, hoc tantum elegantiæ specimen instar miraculi seruare terris, & eandem statuere inuictæ exemplum patientiæ.

CAPVT

CAPVT QVARTVM.

Perioche.

Manadela miris ac noxiis appetita calumniis, vincit innocentia sua actores ipsumque socerum, absoluta à crimine & supplicio.

Vix enim ab atrocissimis animi respirauerat doloribus, vix corpus eius tam maligna ægritudine grauiter concussum, collegerat aliquantum virium, cum nescio quæ Megæra ab inferis nouam ei lachrymarum suscitauit materiem.

Concitauit enim quorundam malitiosorum hominum linguas, vt solita impietate, innocentissimæ fœminæ famam diris appeterent calumniis. Narrabant hi male feriati, illam extitisse causam mortis Marito liberisque, quod neglectis iis ægrotantibus non opportuno tempore attulisset medicinam: inprimis autem accusatio erat de marito.

Ego vero, vt de me profitear, nunquam fœdiorem aut scelestiorem auditam fuisse calumniam post homines natos crediderim. Quodque omnem superabat eius dolorem, ii ipsi, quos vel sanguinis necessitas vel amicitiæ cum coniugibus his initæ ratio obligabat, vt solarentur afflictam viduitate mulierem: erant instar tubicinum, qui calumniatoribus istis ad sceleratam audaciam classicum canebant.

Primus ad quem hic rumor penetrauerat, erat Semeii pater, siue publica fama siue aliquis necessarius ad eum de morte filii retulisset. Hic irarum plenus in Nades Insulam venit, vbi conuiciis, minis, maledictis in nurum debacchatus est. Nec contentus importunitate ista, iure contra

contra eam expertus, eam grauissimi sceleris ream peragere, & omnibus bonis, etiam dotalibus, omnique mariti hæreditate spoliare aggressus est: vt postremo conuicta criminis, capitis subiret supplicium.

At afflictissima mulier huic hominis iracundi furori nihil opponebat præter mansuetudinem & innocentiam. Etsi enim honesto pectori recteque sibi conscio grauius nihil accidere potest, quam si tam atrocis criminis insimuletur, præsertim ab iis qui ipsi in laude & virtute nequaquam vixerunt: vicit tamen ægritudinem animi constantia, parata coram legitimo iudice ad obiecta respondere crimina. Prius tamen Socerum accedens, magna animi submissione obsecrauit hominem, vt omissa tam præcipiti iracundia non recusaret cognoscere verum. Paratam se esse ostendere ei cum omni mansuetudine falsitatem accusationis, qua eius per calumniatores occupatus fuisset animus, & satisfacturam non vno modo, vt ad oculum pateret quam preciosa esset apud se mariti memoria. Agebant frequentes lachrymæ deprecantis causam, an saxeum pectus senis emollire possent, quanquam omnia frustra essent, perstante in proposita duritie homine, & capitale crimen mulieri intentante: cuius quidem acerbitatis & rigoris non fuit alius effectus, quam vt magis magisque elucesceret viduæ innocentia: causa enim in iudicio accurate discussa, concordi iudicum sententia absoluta est mulier, non à scelere solum, sed & suspicione criminis, cuius nomine per quadruplatores illos accusata fuerat.

Sic senex cum causa cecidisset, confusione & pudore plenus se domum recepit, vt patientia concoqueret bilem, quæ ipsi causa fuerat præcipitis & iniustæ in innocentem nurum actionis, & ludibrii, quod eo nomine omnibus debebat bonis prudentibusque.

CAPVT

CAPVT QVINTVM

PERIOCHE.

EXemplum inuictæ patientiæ & constantiæ in muliere vidua. Character honestæ & laudabilis viduitatis. Manadelæ virtutes primo Galactionem in admirationem, postea amorem rapiunt.

FErebat Manadela nouos hosce aduersæ fortunæ insultus, quamuis acerbissimos, incredibili animi constantia, sibi semper existens similis, adeo vt & verba gestusque in potestate habuerit, nec vlla fuerit ex ea audita vox, grauioris doloris aut imbecillitatis muliebris index. Afflictiones, calumniæ, iniuriæ, adoriuntur quidem

Iustum & tenacem propositi virum,

non tamen deiiciunt. Non minorem autem præstitit in his aduersitatibus hęc fœmina constantiam animique firmitatem, quam decantatæ illæ Historicorum Poetarumque monumentis Heroides, si iustam inire velimus rationem. Hinc factum est vt ii ipsi, qui noxio calumniarum veneno eam appetiuerant, laudem eius & existimationem reddiderint ampliorem.

Enimuero virtus non opus habet, vt quærat gloriam, quæ illam haud secus ac vmbra corpus sequitur, emergitque ac enitet eo splendidius, quo plures nacta fuerit inuidos. Sic fama huius mulieris, postquam ipsius aduersæ fortunæ superauit assultus, adeo excreuit, vt se beatum iudicaret, quisquis in eius colloquium admitteretur. Ad hunc modum primus annus viduitatis eius finem suum sortitus est, nec quenquam ad secunda vota cohor-

cohortantem, æquis audire ſuſtinuit auribus. Quamuis enim plures procos haberet quam olim Penelope, in luctu tamen & lachrymis ſine fine perſeuerans, omnes eos ab ſe amolita eſt, nec quiſquam interim pedem intra limen eius ponere auſus eſt, nec ipſa eos vlla dignata reſponſione. Succedente tempore, cum animaduerteret, à tot viris iuuenibuſque ſe peti in matrimonium, optimum factu iudicauit ſequi conſilium, quodcunque Dii ſuppeditauiſſent, quorum arbitrio cum ſe ſuasque res commiſiſſet, precata eſt eos, vti ſuſcepta rerum ſuarum cura, id ſibi expedirent, quod vtiliſſimum ſaluberrimumque foret.

Erat inter cæteros procos nobilis quidam iuuenis, ex ea oriundus Inſulæ parte, cuius præfecturam Semeius maritus eius geſſerat. Hunc ante alios ſpes prope certa ceperat, potiundæ mulieris, quanquam illa ne nominari quidem hominem ſe audiente pateretur. Viderat eam etiam Galactio circa id tempus, cum primum in Semeii matrimonium conſenſiſſet, & ob pulchritudinem admirationi eſſet toti illi regioni. Sed cum multum intercederet inter vtriuſque conditionem diſcriminis, neuter alterius magnam rationem habuerat. Altera vice eam videre & colloqui contigit hac occaſione.

Repetebantur ab ea quædam volumina, quæ ad ædem Palladis ſpectare dicebantur, quæ commodato Semeius ſumſiſſe perhibebatur, cum adhuc fungeretur ſacerdotio, & perquirendis ſacris myſteriis inuigilaret. Miſſus ad eam Galactio eſt, vt libros ab ea exigeret. At mulier conceptis verbis iurauit, nunquam ſe ſciente Volumina illa in mariti manus perueniſſe, aut ſi ea commodato ſumſerit, omnino ea remiſiſſe, antequam è viuis diſcederet: neque enim ſe tale quicquam inter eius libros rationales, quos magna excuſſerit diligentia, deprehendiſſe. Galactio, cũ ſatisfactũ ei eſſet iſto reſponſo,

ad

ad ſuos rediit,lætus quod ſibi in penitius tam bellæ mulieris conclaue ingredi & ſine arbitro cum illa miſcere ſermones,contigiſſet. At Sacerdotes Palladis, qui eum miſerant, nequaquam ſibi ſatisfactum arbitrati ſunt, ſed importunitate quadam eum negligentiæ accuſatum compulerunt,denuo eo redire, & maiore ſtudio ac ſeueritate libros repoſcere.Iuit homo ſed coactus.

Et quemadmodum nutrix, cum cogitur increpare paruulum alumnum, iſtud facere non poteſt ſine animi læſione; Ita Galactio inuito animo hanc iteratam obiuit legationem. Ad mulierem igitur cum iterato veniſſet, peierauit cogi ſe,vt ita faceret, adeoque orauit, ne ſibi temeritas illa imputaretur,quod ei iuſſus eſſet nunciare, futurum vti iudices ſuper hac re cognoſcerent. Auditis his verbis ſubirata matrona, rubore commotionis indice genas ſuffundente,affectum profeſſa eſt. Vicit tamen naturali quadam dulcedine exigentium aſperitatem, reſponditque Galactioni ſatis commode, non ſe deſerturam vadimonium. Ambulauit igitur cum actore ſuo in iudicium, egitque ſuam ipſius cauſam tanta integritate & facundia, vt concordibus iudicum ſententiis abſoluta,ſuperior euaſerit. Quis vnquam credidiſſet Galactionem, qui inclementior in illam viſus fuerat, & in cauſa dicenda aduerſarius,acquiſiturum vnquam fauorem eius atque beneuolentiam?Et tamen adeo cœpit illum amare, vt poſtea ſolita fuerit commemorare pœnituiſſe ſe propemodum, quod iudicum ſententia abſoluta fuerit,cum tanti non fuerit vincere cauſa,vt læderetur vllo modo Galactio. Ex diſceptatione libraria facta eſt cauſa capitis. Negauit enim Galactio viuere poſſe, niſi bonitate illius, quæ ſimul & aduerſarii & iudicis in ſe ſuſtineret partes.

Quamuis autem, Galactio dum

Vulnus alit venis & cæco carpitur igni,

non

non leuiter æstuaret desiderio tam amabilis obiecti: non tamen sustinuit, (vt qui ab omni vanitate esset alienissimus,) suos matronæ detegere ac fateri affectus. Dissimulauit igitur vt poterat, inducta super æstuantem in imo pectore ignem frigida glacie, facieque eam præ se tulit firmitatem planeque Stoicam constantiam, ac si ab omni mentis affectione longe abesset, quanquam iugum pusionis illius excutere, vtcunque liberum iactaret reluctabundus collum, minime posset. Intellexerat hæc omnia nescio quomodo Poliarchus; risit igitur timiditatem hominis, qui vel vno verbulo amasiam offendere ausus non fuisset. Vt igitur consuleret pudori eius, misit eum in Mauritaniam ad Reginam, vt tantisper ibi in aula regia commoraretur, donec à Rege in patriam reuocaretur.

Amorem alatum non falso pingunt finguntque: nam & is pedibus Galactionis alas addidit, qui non cessabat ventos accusare somnolentiæ, quod tardiores essent in impellendo nauigio, quo mature in optatum felicitatis portum appelleret. Excepit eum Regina singulari frontis hilaritate, delectata nuncio, quod omnia Poliarcho ex sententia cedere per Galliam intelligeret: & quamuis Elisæ amissio, hoc Reginæ aliqua ex parte delibaret gaudium: moderatius eam tamen tulit, postquam superuiuere cognouit. Igitur Regina cum comiter atque prolixe accepisset Legatum, nihil intermisit, quod ad delectandum eius animum facere poterat, quanquam nulla re ipsum adeo demulcere potuisset, quam oblata Manadela. Quod cum factum fuisset, patuit è vestigio, constantiam prudentiamque hominis cedere magisterio amoris, neque enim poterat facere Galactio, quin latentem in pectore ignem rubore faciei proderet. Paulum igitur moratus, satis prima vice factum existimans, subduxit se gnarus, etsi forti ac generoso esset pectore, sufferre

ferre se non posse vlteriores sagittarum ictus, quæ amata mulier in oculos eius eiaculabatur.

Discessit igitur sub vesperam è Gynæceio, comitatus officii gratia Reginam, minus iam liber quam cum in Maurorum regnum venisset, quanquam nec ipse quidem ex hac seruitute eximi cuperet. Perscripserat autem Poliarchus ad Reginam super amoribus Galactionis, rogans, vt subsidio esset homini meliore præmio dignissimo, quibuscunque posset rationibus, vt posset potiri desideriis suis honestissimis. Regina cum Poliarcho nihil negare vellet, permisit ei, vt Gynæceium quotiescunque vellet libere ingrederetur, pollicita omnem benevolentiam, quacunque in re gratificare ipsi posset.

Ad Manadelam vbi peruentum est, patuit animum Cupidineo iaculo saucium, affectum non diu dissimulare, aut aliam personam decenter agere posse. Et si vel maxime lingua taceat, motus corporis gestus, obtutus & nutus oculorum, omnesque adeo actiones satis clare loquentur vim latentem. Nec hoc matronam latere potuit, quin statim animaduerteret, apparere aliquas in amatore suo ad suam præsentiam, manifestarias mutationes. Etsi autem primo non satis caperet, quæ nam posset subesse illius tam repentinæ alterationis ratio: postremo tamen dubitanti aurem vellicauit Amor, monuitque, ab se ea omnia proficisci. Recordata igitur, quam humaniter superiore die eam is salutasset, abiensque quam impari ingressus fuisset passu, colorem vero faciei aperte mutasset: hæc omnia inquam componens, assensa est monitori puero.

Galactio de die in diem differens colloquium, non est ausus animi sui ægritudinem ei aperire, quæ sola medicinam homini afferre poterat. Plus enim apud eum valebat honor atque dignitas matronæ, quam sua desideria, vt quandoque vel ipsas damnaret cogitationes

tale

tale quid ei suadentes. Tandem vero detrahere laruam coactus, statuit deponere personam quam intempestiue assumserat, & aperire vulnus, quod occultatione iam pene suppurauerat. Accedens igitur confitentem præstitit se reum, fassusque crimen, (si quid in honesto amore criminis est) veniam petiit, quod se ad officia tam exquisitæ matronæ præ cæteris præstanda offerret. Et quamuis pauca admodum loquebatur verba, nec ea tamen nisi cum quadam velut stupefactione & interrumpentibus suspiriis proferre potuit. Oculi eius pro eo perorabant, ac cætera persequebantur, qui in ore amasiæ defixi hærentes, responsum aliquod expectabant. Oculos enim mulieris intueri non audebat, fulmen inde aliquod velut à Ioue Tonante metuens.

Prima sententia, quam pro se interpretatus est imbecillus orator, hæc fuit, quod officia sua amatæ non ingrata esse intellexit. De cæteris eam capturam ad deliberandum tempus: rem enim matura ex exquisita consideratione dignam esse. His auditis in cœlum se subuolasse arbitrabatur Galactio, factusque audacior, non acquieuit, nisi in aspectu dilectissimæ mulieris, ausus iam aperte illam & sine metu syderationis intueri. Die quodam præ sereno, Galactio comitatus congerronibus nonnullis, deduxit amasiam, & ipsam quibusdam stipatam mulierculis, in hortum quendam, cuius tanta erat amœnitas, vt ipsum Venus suis ipsius conseuisse videretur manibus. Anemones larga ibi vndique seges, quem florem è fuso cruore Adonidis, ab apro percusso inguina, nasci iusserat tenerorum mater amorum. Ab hoc velut argumento desumserunt familiarius colloquendi materiam amantes, vt iam minore cum rubore alter alteri animum suum detegeret.

Cum autem in id vnice incumberent vtrinque, vt quam occultissime amores suos haberent, eoque fine semo-

ſemotiores receſſus & quaſi quædam Theſſala Tempe quærerent, euenit, vt in duas Nymphas inciderent, quas duo Heroes comitabantur: his velut fidelibus cuſtodibus ſilentii ſua crediderunt ſecreta. Nymphas Heroasque ſequebantur non exiguo numero Hamadryades, quæ poſt ſe trahebant agmen Faunorum & Syluanorum, qui cum de quibuſdam horti frugibus guſtaſſent, inuitatis ad prandium Nymphis, appoſuerunt quæ iam ante parauerant cibaria: quorum tanta erat dulcedo, vt apes deſerta Hybla & Hymetto huc conuolaturas fuiſſe crediderim, ipſosque Deos, (vt de apiculis taceam) omiſſo Nectare & Ambroſia de his participaturos ferculis. Hic enim omnia plena ſunt deliciis, fragrante aere, ipſoque cœlo meram ſuauitatem in tam fortunatam terram depluente. Coniunxit ſe his Muſarum chorus, ab ipſo vſque Helicone monte adueniens, vt in partem venirent amœniſſimæ ſorores huius tam iucundæ ſocietatis. Dixeris, conſpiraſſe quicquid Deorum vſquam eſt ad ſecundandos Galactionis amores.

Finito conuiuio in honorem Iouis grande circulatum eſt poculum: Dii cum Muſis Nymphisque aſſumta in ſuum conſortium Manedela prodeambulauere, ludentes & mille delitias in herba ſibi exporrecta facientes, vt vel ipſa gramina deciduoſque flores felices ſe iudicaſſe crediderim, quod premerentur eorum pedibus, quibus ipſa aſtra calcare mos eſſet. Hinc varios luſus iunctim ac ſeparatim exorſi, quos Latinis numeris comprendere non eſt, id operam dederunt, vt quod ſupererat diei, hilaritate ac lætitia ſepelirent. Vniuerſi autem bene precabantur amoribus Galactionis & Manadelæ, optabantque proſperrima quæque, pars etiam operam ſuam pollicebatur: & vt verbo dicam, nemo erat in tam numeroſo grege cœlitum mortaliumque, qui

N non

non læto aliquo prosequeretur carmine amantes, & iis omnia fausta ominaretur.

CAPVT SEXTVM.

PERIOCHE.

SPretis ac valere iussis prauis inuidorum artibus calumniisque, qui Manadelæ cum Galactione matrimonium impedire nitebantur, mulier fidem dat Iuueni, se in eius conuenturam manum. Qui certus ex fido promissorum, tantisper acquiescit, donec sequantur nuptiæ. Profectio eius ex Mauritania in Galliam Prouinciam.

QVi Manadelam nouerant, mirabantur tantæ integritatis & constantiæ matronam potuisse vnquam locum intra sese dare amori, qui cor eius tam valide in Galactionem inclinaret. Quod cum factum sit, non est dubium, quin eo fecerit superbus ille puer, vt ostenderet, nihil in toto hoc vniuerso, imperio, potentiæque suæ obluctari posse. Huius igitur arbitrio qui potentissimum omnium affectuum in sua haberet potestate, totam se permisit. Erant nonnulli, tam ex iis, qui ei iuncti erant sanguine, quam qui illam nullo necessitatis gradu attingebant: hi conabantur omnibus modis eam ab amore in Galactionem auertere; hos scitissime à se amoliri nouerat, cum nihil præter officium faceret aut loqueretur, vt pudore confusi discederent. Et ipse amator, qui se totum amori eius consecrauerat deuoueratque, obsecrabat mulierem, ne ad animum admitteret malitiosorum hominum susurros, nec se moueri pateretur clandestinis

nis inuidorum machinationibus, qui non possent offendere aut lædere nisi mentes leues credulasque.

Viuamus mea (dixit) atque amemus,
Rumoresque hominum malignìorum
Omnes vnius æstimemus assis.

Noli dubitare, mea lux, quin dexteri numinis suasu & ductu me tuis mancipauerim amoribus, adeo vt si vel Cœlum vel Fortuna mihi eo nomine indignetur, à tuo nunquam discessurus sim amore. Noli ô charissima, ad aures animumque admittere, plenos mendaciorum rumusculos, quibus fidem officiumque in te meum suspectum reddere laborant, quod quidem nunquam vacillabit aut labescet, donec spiritus hos rexerit artus. Has igitur si neglexeris contemseris que fabulas, crede mihi, rumpentur inuidia, qui mera impulsi malitia vtriusque nostrum quærunt interitum. Ego pol satis mirari non queo, qua fronte (si modo frons esse potest in tanta impudentia) illi coram te comparere audeant, vt imprimant in doctissimum pectus tuum vel minimam de constantia mea diffidentiam. Oportet igitur, vt aut te non nouerint, aut me, aut neutrum. Si enim te nossent, non aggrederentur rem adeo absurdam, vt tam eruditum perfectumque iudicium, quale de te omnes tuæ actiones profitentur, auderent velle peruertere, quasi multum sis adhibitura fidei hominibus, quorum nota est leuitas & maledicendi studium. Ego quidem si illis perfecte cognitus essem, possem eos docere, me non esse ex eorum numero, quorum desideria & affectus humi repunt, aut vilibus capiuntur obiectis: cum mens mea à puero semper ad sublimia adspirauerit, & quæ vulgarem captum superant. Te autem, mel meum, cum talem cognouerim, ipse mihi ingenioque meo ad alta nato vim facturus sim atque iniuriam, si non considerato honore tuo, meæque mentis candore, vnquam à fide in te discedam.

Audiit hæc attenta aure & animo Manadela; cumque paulum cogitabunda substitisset, tandem contemtis omnib. rumusculis & susurris, quos nõ aliunde quam ab inuidia & liuore ꝑficisci satis nouerat, vnde velut à putri & noxia radice nihil vnquã boni saniq; subnasci potuit, respondit ei ad eundem modũ, vt lætus supra modũ Galactio, verba mulieris nõ alio q̃ solemus oracula Diuûm, exceperit affectu, dominante iam magis magisque in animo eius imperioso Cypridis filio. Tanto autem affectus est gaudio, vt quid huic amasiæ beneuolentiæ reponeret, non inueniret, veritus ne inurbani aut ingrati hominis crimine notaretur, Destitutus igitur hærensque tandem omnem suam gratiam vicino inclusit osculo, quod arcte impressit labris, quæ tam suauem auditu sententiam pronunciauerant. Ab eo die, quasi de ipsa Calumnia triumphasset atque Inuidia, oppręssis malitiosis liuidisque detractoribus, erecto ingressus est capite, non quidem frontem sed cor lauru myrtoque coronatus. Nunquam videbatur sibi in nocte ambulare, cum haberet iuxta se Solem, cuius perpetuo illustrabatur radiis. Quoties amatam inuiseret ab ea auelli non poterat, neque ipsa sane, quæ ei reciproco affectu respondebat, abire ab sese hominem iubebat. Ipse tamen sponte discedebat, quoties tempus & maledicorum inuidia id exigeret, ne calumniandi præberet peruersis occasionem.

His igitur ad hunc modum amori casto vsque ad inuidiam indulgentibus, vis fati, quæ immutabilis est, tempestatem aliquam excitauit, quibus tranquillitas illa Venerei maris non parum perturbata est. Visum est Reginę vt Galactio proficisceretur, ad impetrandum matris Manadelæ consensum, quo vtriusque desideriis, speratis nuptiis satisfieri posset. Huic consilio velut Senatusconsulto intercessit potens aliquis Tribunus, ne in effe-

ctum

ctum mitteretur. Literæ ab Poliarcho veniebant, imperantes homini, vt ſine mora reuerteretur in Galliam. Indoluit ad hunc nuncium mulier.

Poſtremo cum aliter non poſſet, conſenſit aut ſimulauit ſe conſentire: patientiam enim fidemque ſatis firma eſſe iudicauit vincula, quibus amantium corda velut adamantino nodo colligari poſſent, donec optatus plenæ felicitatis dies illuceſceret. Miſerat quidem Galactio certum hominem ad Regem: Sed is ad rem tanti momenti parum erat aptus, ſubſtitit igitur in Gallia, aut neglectis aut contemtis Galactionis mandatis.

Pœnam hanc fuiſſe iudico, quam fata inflixerunt incogitantiæ amatoris, ne poſthac homines ſine cerebro ſibi deligeret, adhiberetque ad tam grauia negotia expedienda. Igitur cum videret ſe vrgeri mandatis regiis, acceſſit amicam vt ei valediceret.

Antequam autem ab ipſa diſcederet, neceſſe erat, vt ſe ſepararet à ſe ipſo, cum tam ægre accideret ei hæc profectio, vt dici ſatis non poſſit. Videbat ſibi deſerendum eſſe locum, in quo tam ſuauiter vixerat, amicam in qua etiamnum viuebat ſpirabatque: neque vero triſtitiam quam ob tam inſperatum diſceſſum conceperat animo, diſſimulare poterat, quin vultu ipſo ad mœrorem & ſeueritatem compoſito, turbata conſilia ſua fateretur. Poſtremo cum diu diſtuliſſet iter ſuum, nec imperii regii ſeueritas differre id diutius pateretur, amplexus amaſiam Galactio, multis verbis teſtatus eſt, quam id præter ſententiam ſibi contingeret, ſe tamen ab amore non ante diſceſſurum quam ab ipſa vita.

Difficile eſt ſcribenti perſequi, quot lachrymæ, ſuſpiria gemitus interuenerint, cum cohærerent duo pectora, vt quaſi ſymphyſi coalita diuelli ab ſe non poſſe viderentur. Animi autem multo firmiore nodo colligati erant, quorum vinculum nec ipſa quidem mors, omnium

terum extrema linea, rumpere posset. O duram necessitatis legem! hæc eadem amantibus amplexandi basiandique finem imposuit, & vt alter alteri extremum vale diceret, imperauit. Ter Galactio retorto collo in oculos amoris flamma scintillantes respexit: ter Manadela discessu tam amici sideris eclipsin passa obriguit, parumque abfuit quin animo licta in terram laberetur. Ad hunc modum separatum est tam generosum par amantium, possisque dicere, vix vnquam tam triste factum esse diuortium ex eo tempore, cum primum Amor mortalium corda sagittis suis ferire cœpit: imo pene dixerim postquam Puer ille natus est.

CAPVT SEPTIMVM.

Perioche.

Exemplum litterarum Galactionis ad Manadelam, quæ quo affectu illas legerit & interpretata fuerit narratur.

Vix vnius diei iter progressus erat, cum strenuus amator annum ab amica se abfuisse ratus, literas ad eam scripsit in hanc sententiam.

Credo ego, vita mea, me tum in vestigio moriturum fuisse, cum à te discedere coactus fui, nisi me certa spes celeris reditus viuum conseruasset: hæc eadem iam quoque me solatur, fulcitque languentem amore tui animum, vt ferre possim rigorem tam duræ separationis. De *Luna perhibent Mathematici, eam quo longius à fratre absit, eo plus participare de ipsius lumine. Mihi longe secus accidit. Quo longius enim à te abeo eo densio-*

densioribus sentio me inuolui tenebris. Cur te ô mea lux vnquam vidi, tam cito cariturus iucundissimo vultus tui spectaculo? cur tibi vnquam tam propinquus factus sum, paulo post tam immani spatio à te auellendus? Quam vereor, ne eo ipso momento, quo te cognoscere & amare cœpi, cælum ipsum in me pariter cœperit fulminare, & omne genus infortunii in caput hoc depluere! vix vnam gustaui amoris suauitatisque tuæ guttulam, & torrens amaritudinis vicißim mihi exhauriendus est, amissa te tam festine ex oculis. Nec tamen vllo modo metuẽdum est, vt hæc aduersæ fortunæ rigiditas me vel latum vnguem ab amore tui auellat, aut à priore consilio transversum rapiat, quo tibi me ipsum deuoui, simulque omne meum obsequium & seruitium. Indignum me ipsum pronunciabo, quem sol iste radiis suis collustret, si te omnis suauitatis & dulcedinis promtuarium non toto penitus amem pectore. Ipsa temporis diuturnitas, quo tibi seruire summam libertatem existimaui, coget te fateri, me eo tempore, quo tibi flosculos illos porrexi, id omne ea spe fecisse, fore, vt plenos suo tempore tibi exhiberem fructus. Testor tua ipsius verba, quibus contra te vsus fui, me semper nihil adeo optauisse, quam vt cælitus mihi contingeret videre felicem votorum desideriorumque nostrorum finem: quanquam iam animaduertam, tardius id fieri nostra expectatione. Numeraui ego, si qua fides atque definiui, quot mihi dies in hoc iter insumenda arbitrer, vt me consoler ipse de celeritate reditus mei ad aulam Mauritanicam. Et ego quidem

nunc geminatis ignibus vror; foris solis calor me coquit, quem & anni tempus & terræ vestræ clima facit intensiorem: intus amoris flamma non tam meum pectus vrit quam consumit. Vtriusque ardoris causa mihi non alia quam tua absentia, ô meum refrigerium. Hæc me compellet, quanto possum studio accelerare iter meum, vt te quam maturrime videam, tuaque plenius quam superiore tempore perfruar beneuolentia. Sic igitur fac, mea Anima, serua mihi locum commodum, quo pristinæ tuæ redux gaudeam restitutus gratiæ, vt non semel mihi pollicita es. Quod si quis in te sensus est misericordiæ, vt esse non dubito, fac recorderis quandoque dolorum meorum, vt & gaudii reciproci inter nos futuri meminisse queas.

His literis ad amicam missis, Galactio persecutus iter suum abiit, quo ipsum mandata Regis Poliarchi vocabant.

At Manedela

Sola domo mœret vacua stratisque relictis
Incubat: illum absens absentem auditque videtque,
Et vocat, infandum si fallere possit amorem:

duobus modis afflicta: & absentia tam chari capitis, & malignitate inuidorum, qui vel ipsam eius solitudinem, quod rarius in conspectum prodiret criminabantur. Et calumnias magno quidem contemnebat animo: dolorem quem corde conceperat ob Galactionis discessum, contemnere aut excutere tam facile non poterat. Quando igitur erit, dicebat, cum lachrymis vt ad nos redeas anime mi? quando denuo beabis stillantes humore oculos meos gratissimo conspectu tui? ecce mare lachrymarum quibus velut ab æterna scaturigine è capite

pite

pite meo prodeuntibus, non tantum genæ manusque meæ, sed ipsa quoque permaduere vestimenta. Quam vereor, ne flammæ amoris, quo te deperio, omnino exurant cor meum! & profecto futurum est, nisi ardorem illum extinguas tempestiuo reditu tuo. Redi igitur, ô charum caput, reuertere, nec enim alia ratione producere poterit vitam Manedela tua. Quanquam nisi vehementer erro, satius fuerit semel mori, quam tot in singulas horas concerpi lancinarique doloribus, quos à primo discessus tui sustineo momento. His nemo Hippocrates, nemo Podalirius aut Machaon malagma commodum imponet: Galactio est, solus Galactio, qui huic morbo mederi potest. Quocunque me vertam, nihil nisi tristia, luctus, mœror, obuersatur oculis meis, quia tu abes. Hoc conclaue, istud palatium, xystus, hypæthra, horti denique ipsi horrori mihi sunt, postquam nusquam video amores meos. Omnia loquuntur tuam absentiam, eoque nomine omnia me cruciant affliguntque, cum sine te nihil mihi gratum acceptum esse possit.

Hinc cum surrexisset, promit chartam, quam ille testem perpetui amoris ac inuiolatæ fidei suo scripserat sanguine, quem cum nunc oculis admouisset, nunc labris; ô pignus dilectũ, infit, ô hypotheca non auro contra, quam mihi reddidit is cui me meaque omnia summa cõsecraui religione: reuocate eum si qua potestis ratione, si qua vis aut facultas vobis inest. Interim vos, ô litteræ, sinceræ mentis & fidei indices, qualis in veris

inesse certo debet amantibus,

loco illius mihi eritis refrigerium & certæ spei stipulatio. Vos ego pro eo amplexabor, vobis pangam oscula, vos eritis reduci testes locupletes, quam ægre & impatienter tulerim eius absentiam; & vt superiori tempore testes fuistis amoris illius summi in me, ita porro deinceps vice versa narrabitis reuerso, quantos sustinuerim

eius nomine labores, quantas ſollicitudines. Noſtis enim opinor, quæ ſit mea mens, quis meus animus, quem nulla aduerſæ fortunæ acerbitas ab eius auertet amore, qui immortalis eſt eritque: nec me vnquam commiſſuram, vt iure leuitatis nota arguar & inconſtantiæ.

Talia quiritanti, triſtitiæ doloriſque magnitudo, vocem interclusit, ad gemitus igitur & ſuſpiria quaſi poſtliminio reuerſa, tam miſerabiles edidit eiulatus, vt non dubitem, ipſos ſaxeos parietes, ſi ſenſum habuiſſent, indolituros fuiſſe. Poſtremo tamen, recepto neſcio vnde animo pollicita eſt ſibi, celerem Galactionis reditum, conſtituitque interim patienter atque moderate ferre, quicquid intercederet moræ, vt dignum eſſet tam decantata eius ſapientia: fore vt ſupernum numen, quicquid interea pateretur moleſtiæ, duplicato ex felici Galactionis reditu ſarciret gaudio: quæ cum dixit non vano ſeipſam decepit vaticinio.

CAPVT OCTAVVM.

Perioche.

Archombroto iam in Gymneſiis Inſulis Eliſa ſua potito, gratiſſimus Galactionis aduentus, peropportune accidit. Congreſſi dicta redditaque inuicem ſalute, alter alteri miros ſuos narrat caſus & viciſſitudines.

Conſequens eſt, vt cuius miniſterio Galactio vſus fuerit in mittendis ad amaſiam litteris exponamus. Galactioni iam altum nauiganti pelagus occurrit triremis, quæ ſpectabat ad Archithalaſſum Mauritaniæ: huius

ius vſus officio, literas, quas ad amicam ſcripſerat, ad eam miſit.

Cumque è præfecto nauis intellexiſſet, redire eum ab Inſula minore Balearicarum: captus deſiderio illius inuiſendæ, quod nondum oblitus eſſet, quam comiter, & hoſpitaliter ab rege Minoricenſi aliquando habitus cultuſque fuiſſet, conuertit in eam proram. Subſcripſere venti conſilio hominis, quorum miniſterio factum eſt, vt ſpe citius in portum Senegæ oppidi appelleret: vbi tam propitium habuit fatum, vt ibi inueniret quod alias perdiderat. Erat haud procul ab oppido campus conpaſcuus, vbi in prato quodam, quod fere medium illius obtinebat, deprimebatur ſpelunca quædam, magna ſui parte ſubterranea. Omnia circum eam erant obſita dumetis, crebriſque arbuſculis & fruticib. opaca, vt ſaxum, quod limem aditumque præberet vix cerni poſſet, muſco viridi vndique coopertum, ea potiſſimum parte qua antrum

Sylueſtris denſis ſparſit labruſca racemis.

E medio antro ſcaturiebat fons aquæ viuæ, claritate quoduis vitrum aut cryſtallum ſuperans: cuius alueus, cum ſeipſo decurſu diffudiſſet, inumbrabatur frequentibus palmis, quarum patentes rami à ſolarium radiorum ardore defendebant natiuum vndæ frigus. Super huius amœniſſimi riui delectabilem ripam cum aliquando deambularet Galactio, feſſus accubuit in herba, captans amicam vmbræ frigiditatem, aſſumtis nonnullis è domeſticorum ſuorum numero. His ille relictis, cum ſolus paulo propius ad antrum acceſſiſſet, nactus eſt commoditatem, abſentibus comitibus ſcrutandi penitiora.

Ibi ſe obtulit ei mira quædam res, quæ tanto plus homini ſuggeſſit lætitiæ, quanto minus ille tale quid ſperauerat. Allapſa eſt enim vox hominis eius auribus, ſuſpirantis

rantis in ima cauernæ parte, quæ res eum commouit vt attentiore sonum illum captaret aure. Tandem deposita formidine, cum propius accessisset, visus est sibi audire vocem Archombroti, qui loquebatur nescio cui mulieri. Narrabat autem ei priores suos in Elisam amores, obtestabaturque fœminam illam, vt miserta sui in libertatem adeoque sibi ipsi restitueret illam, sine qua sibi vel ipsa libertas grauis esset futura seruitus. Addebat & alia Princeps iste, quib. ei persuaderet ꝙ cupiebat, eamq; onerabat pinguib. promissis. At illa mille ꝓferebat excusationes, quib. impediretur, ne gratificari petenti posset: imprimis asperitatem mariti, qui nunquam adducendus esset, vt dimitteret virginem, frustra igitur fore omnes, quotquot hoc ei persuadere niterentur. His obiter auditis, Galactio suspenso gradu longius ab antro secessit, vt Diis Insulæ tutelaribus in solitudine illa gratias ageret, quod eorum beneficio tantum virum præter spem ibi offendisset. Ipse vt cœptam perageret fabulam occultauit se inter densas fruticum frondes, donec Princeps cum muliere illa, & filiabus eius spelunca exiuisset.

Ibi prodiens imperauit vni è domesticis, vt ab aliquo interuallo sequeretur nobilem illum (sic enim appellabat Archombrotum) ad vsque hospitium vbi diuertebat. Reuersus hic cum de diuersorio retulisset, profectus Galactio in ipso hospitio conuenit salutauitque Archombrotum: qui viso homine obstupuit præ admiratione, existimans Galactionem eo nomine huc missum fuisse, vti se reuocaret in Galliam, quo tamen reuerti neutiquam constituisset, nisi aliquid certi haberet de charissima sua Elisa. Dicta igitur redditaque salute, Archombrotus amplexus Galactionem, narrat ei inter cæteras blanditias, offendisse se regiam è Gallia filiam in eo ipso oppido, tam mira & insperata ratione, vt dubitare

non

non posset, quin deorum prouidentia hac ratione voluerit finem imponere laboribus ærumnisque suis. Vrgente Principem Galactione, vti se quoque illius gaudii redderet participem, narrata totius rei gestæ serie; Archombrotus post prandium se id facturum pollicitus est, recitaturumque totam scenam in eo ipso antro, in quo ante meridiem illius eiusdem diei fuerat. Annus intercedere visus est Galactioni, adeo impatienter ferebat moram, cum nimis cunctari videretur Siculorum Rex: qui postremo promissis satisfaciens, ad condictum adfuit. Decubuit vterque in thoro gramineo, quem fortuitus cespes suppeditabat, captantes arboream vmbram & murmurantis riuuli gratum frigus. Ibi Archombrotus exclamans: Di deæque, inquit, quantopere hic locus me admonet infelicitatis meæ cum prospera fortuna confligentis! neque video, quo pacto tot aduersitatibus, quæ me vndique appetunt, obluctari, aut me inde expedire queam. Noris igitur, Galactio, Elisam me hic offendisse, sed in tali constitutam loco vt impossibile videatur illam liberare.

Liberare bona verba, (reposuit Galactio) mecum esto iste labor, qui nec impossibilis, vt tu sentis, neque adeo difficilis. Meæ igitur rem istam committe sollicitudini: tu nunc, nisi secus videtur rem istam nobis exprome, quo pacto cognoueris, regiam in his oris versari virginem. Archombrotus ducto suspirio, placeat superis inquit, amicissime mi Galactio, vt hanc rem mihi effectam des, & promissis tuis tam audacibus prosper euentus respondeat! fatebor enim lubens, me tibi plus quam vlli mortalium debere, quod & paulo post me in regnum patrium reuerso, luculenter experieris, præterquam quod tibi ex tam illustri facto immortalis accrescet gloria. De eo quod à me peris, non video causam cur te eam celare velim aut debeã, quo pacto ipsam in his locis delitesce-

litescere, in notitiam mei peruenerit. Persequar autem historiã eo maiore voluptate, quod sciam, te non minus iucunditatis percepturum ex narratione hac, quam ego ex re ipsa, & inuentione tam charæ animæ hauserim.

Iam primum igitur scire debes, Elisam per Tribunum quendam militum, qui Massiliæ in præsidio fuerant, raptam & in Iberiam deductam fuisse: post ab eodem mancipatam carceri, durissimisque modis habitam, sed suggerente Regina exeundi è carcere ratione feliciter euasit. Hinc misella iterum se credidit mari, sperans se hoc modo parta gauisuram libertate, quam tanta cura, industria & periculo sibi peperisset. Sed in medio felicitatis suæ cursu experiri coacta est, quam dolosis blanditiis Fortuna mortalium fascinet animos, dum sub prosperitatis aliqua specie extremum iis machinatur interitum. Parum enim crudeli illi diuæ visum est, Piratarum cruentis manibus prodidisse virginem, qui illam inter cætera mancipia vendiderunt: nisi insuper in potestatem Pontificis deueniret, qui eam pro seruo mercatus fuerat: vbi parum abfuit, qui crudele & periculosum faceret naufragium. Sumserat illa amictum virilem, vt consuleret imbecillitati sexus sui, cum primum ignorans Piratarum nauem ingressa est. Hoc habitu inter cætera libera corpora, quæ latrones serua effecerant, pro mancipio vendita est, mercante eam Pontifice Senegæ oppidi.

Sed Pontifex homo seuerus, longe aliter habuit nouitium hunc seruum, quam vxor eius. Hæc enim cum diligentius latentem sub virili veste considerasset puellam, paulatim concepit amoris flammas, nec animaduertit, in quam ipsa sese stolidam præcipitaret infamiam. Capta enim virginis forma, quam adolescentem aliquem rata fuerat, eo prolapsa est impudentiæ, vt ausa fuerit cum ea de iis rebus colloqui, quarum ad solum

spectabat

ſpectabat maritum poſſeſſio. Si qua fides, erubeſco referens, qua impudentia & laſciuia prodiderit ſtoliditatem ſuam, vt vix vnquam credidiſſem, affectum illum corpus muliebre adeo in inſaniam præceps rapere potuiſſe. Cum enim ea oculorum libertate frueretur, vt tam deſiderabile obiectum quoties vellet, intueri ac conſiderare poſſet, perfricuit frontem, oſtenditque quibuſdam geſtibus ſigniſque parum pudicis, qualem intra pectus ſuum foueret hoſpitem, quanquam Eliſæ ſimplicitas & innocentia non ſatis aſſequeretur, quorſum illa tenderent.

Intelligens libidinoſa mulier, fruſtra ſe mimam agere, omiſſis mutis ſignis, ſtatuit ſine interprete ſuam ipſa perorare cauſam, linguæque miniſterio vſa ad perſonatum ſeruum locuta eſt. Vides tu, adoleſcens, vides inquam Peradillam, ob formæ elegantiam ſine dubio decus & ornamentum omnium mulierum huius Inſulæ, vnicum mariti ſui delitium, multiſque fruſtra appetitam fęminam: ea iam nunc ſe ſuaque omnia tibi offert, quem ſolum dignum iudicat qui amore eius perfrueretur. Vides etiam in quam humile vitæ genus fortuna te præcipitauerit, cui vnum eſt quod opponas: ſi non ignoraueris, in Peradillæ fauore, amplexibus, concubitu, omnia tibi repoſita eſſe, libertatē, opes, gloriam. Nō ignorat illa formę ſuæ pulchritudinē, in cuius cōfeſſionē omnes cōſentiunt, quam tamen tibi ſubſternit proſtituitque, quia te ſolum tanti boni capacem arbitratur. Nec exiſtimes velim (quod mihi animaduertere videor ex vultu tuo) eam libidine & impudentia ſtimulatam in te toto affectu ferri: ratio grauis, adoleſcens interuenit, cum tantæ ſint tuæ virtutes, tam ſingularis morum concinnitas & ſuauitas, vt, qui te cognoſcat, non poſſit non amare.

Hæc in te vt digno aliquo præmio afficiat, offert tibi ſponte

ſponte ſua id quod nemo mortalis petere auderet ſine præſentiſſimo capitis periculo.

Caue igitur flos adoleſcentum,ne per imprudentiam recuſes hoc tantum bonum , quod tibi vltro offero, in quo omnis tua recondita eſt felicitas: neque enim eſt quod ſperes,poſt id tempus vnquam fore, vt tale quicquam tibi offeratur,vt ego nunc facio. Facilis eſt coniectura quantopere obſtupuerit Eliſa ad hanc orationem, quæ nihil minus expectare potuit à Peredilla, tantæ dignationis & famę muliere. Tantum autem abeſt, vt vllo modo perfrictam fœminæ frontem approbauerit, aut vllam vanam ſpem fecerit,vt contra paucis ſed grauibus verbis aſſeruerit,noſſe ſe, quod eſſet boni ſerui officium, vt intra fidelitatis & innocentiæ ſe contineret limites: illam vero debere contentam eſſe mariti conſuetudine.

Hæc recuſatio, quanquam eſſet honeſtiſſima, optimiſque niteretur fundamentis:cauſa tamen fuit Eliſæ aliarum calamitatum. Contemni enim ſua bona credens mulier, amori odium ſubſtituit, cuius tanta fuit magnitudo, vt de promptis vaferrimorum mendaciorum plauſtris è malitioſo ſuo pectore, ſiniſtris animum mariti repleuerit ſuſpicionibus, vt multum in vxoris verbis collocans homo fiduciæ, miſerum illum perſonatum ſeruum durius multo quam antę tractauerit, variiſque modis exagitauerit.

Qui teneriter & delicate nutriti ſunt, non facile ferunt crudeliter & rigide ſecum agi. Victa ergo heri duritie & immanitate Eliſa,ſtatuit ſe iis eximere miſeriis! Cum autem in ſola innocentia ſua omnem ſpem collocaret & refugium; obſeruato tempore,quo Pontifex in delubro ſacris operabatur, acceſſit heram, ingreſſa in eius cubiculum ad eius vsque lectum, quæ viſa illa varie intra animum ſuum affecta eſt. Recordata igitur, indignis

gnis se contemtam modis à seruo suo, statuerat continuato in eum rigore duriter persequi superbum mancipium, & ita suadebat impotentia muliebris iracundiæ. Altera ex parte Amor, qui nondũ penitus obsoleuerat, ad conspectum tantæ elegantiæ recepit vires, qui prohibebat eam vltra facere in innocentẽ hominem, vnde posset nescio quid delectationis percipere.

Magna est & mira ipsorum vitiorum intra se contrarietas, vnde homo, qui iis mancipauit animum suum, in varias ab iis raptatur partes. Cum ad adspectum eius aliquandiu hæsitasset; dubia quid comminisceretur: tandem cœpit eam de nouo sollicitare, & maiore quidem ardore ac insania quam pridem. Elisa ad hoc tam improuisum telum exiliit metu: Cæterum videns se solam cum sola, omissa formidine receptaque mente, statuit Heræ aperire quæ ipsa esset, vt & se & illam leuaret sollicitudine. Quid, inquit, frustra speras, Domina? quid de me tibi polliceris? credis ne te cogere posse meam voluntatem, vt exequar id quod mihi natura negauit? hæc mihi negauit, ne reuera is sim, qui corã oculis tuis appareo. Scire igitur debes, puellã tibi præstare ea non posse, quæ maxime velit, vel eo saltim fine, vt ostenderet, non contemtu, aut ingratitudine, aut deniq; ignorantia sortis suę te hactenus caruisse tui cõplemento desiderii, sed sola naturali impotentia. Imposuit tibi, ô hera, infelix hic & peregrinus, alienusq; ab sexu meo amictus, quem, nouerit Numen, quam inuita sumserim. Sub hoc schemate aliquoties feliciter latui: sub hoc habitu texi castitatem honoremque meum, fingens me esse quod non eram, vt manerem quod essem. Et nunc quidem omnis mea in eo versatur cogitatio, vt quam primum fauore Deûm redeam in patriam, vnde rapta sum inimicorum manibus, & non sine cœlesti prouidentia in tuam deueni potestatem. Et tibi quidem facilius sexum meum aperio,

Domina, nihil dubitans, te, mulier cum sis, affectam tactamque sensu miseriarum mearum, habituram me clementius: eaque de causa spes in te sita vicit timorem, ne tibi hæc arcana reuelans displicerem. Ne autem de verborum meorum veritate quicquam dubites, ecce tibi sinum meum, quem non ideo detego, vt tantum cognoscas, sexum meum, sed & mentis apertæ libertatem, simulque, si quid in his rebus opis est, vt commoueam te, ad præstandum mihi auxilium in honestis meis desideriis.

Perorauerat Elisa, & Peredilla rei tam inexpectatæ nuncio stupefacta, multo magis autem stolide & ridicule decepta in amore suo, non habuit quod responderet. Oppressis autem postremo biliosis animi motibus, collectoque spiritu, statuit optimum factu, hoc tam insigne ludibrium patientia & taciturnitate vincere: nec enim quicquam videbat se effecturam, si vel rumperet ilia. Vt autem aliquo modo violentos conatus suos excusaret, accusauit naturæ humanæ imbecillitatem, quæ raro ea esset firmitate, vt tam imperioso ac potenti Puero resisteret. Sed & in aliis aiebat id nobis fere cõtingere erroribus, vt superati affectibus, & defectu iudicii, in ea præcipites feramur delicta, à quibus vix magno nostro malo nos expedire queamus. Simulauit Elisa se heræ subscribere sententiæ, & approbare purgationis argumenta, vt eius vel hoc pacto acquireret fauorem. Nec decepit se ipsam. Peredilla enim magis amauit eam postea (etsi amore diuersissimo) quam vnquam antea: fuitque hæc res deinceps causa non tantum melioris tractationis, sed & plenæ Elisæ in libertatem assertionis, vt in posterioribus edisseremus.

CAPVT

CAPVT NONVM.

PERIOCHE.

IActabundus Iberus, velut alter quidam Thraso aut Pyrgopolinices, Archombroto ad peruestigandam Elisam trans Pyrenæos montes iter facienti, facundum se iungit comitem. Ingentia eius mendacia & vanitates. Exemplum stolide gloriosi in egestate hominis.

ET hæc quidem in domo Pontificis circa Elisam ludebatur fabula. Ego vero non minus iactabar in inquieto mari desperationis & desideriorum. Reuersus ab expugnatione Fraxineti, cum ad Massiliam appulissem, intellexi amissam esse virginem. Constitui igitur firmiter apud animum meum, ipsam è vestigio sequi, vt præberem me calamitatum eius socium. Tu quidem mihi nunciaueras, visam eam ad vicinum sinui Sucroniensi promontorium. Ibi ego abiecta omni mora, peregrino sumto habitu, ne agnoscerer, celeribus vsus iumentis ad radices Pyrenæi montis perueni, toto illo itinere nihil ad summam diligentiam reliqui faciens, sicubi aliquid de illa inaudire possem.

Attigeram iam fines Bœticæ, cum mihi occurrit homo quidam nobili genere natus ex ea prouincia, qui miris modis suis me oblectauit sermonibus, vt ne nunc quidem, cum illius recordor, à cachinno mihi temperare queam. Constat iam ab antiquis tēporibus, gentem illam arrogantiæ deditam fuisse atque Alazoniæ: adeoque altas vitium istud in hac natione radices egisse, vt & humilium plebeiorumque viles cæteroquin occupauerit animos: nec facile quemquam in iis locis reperies,

 quan-

quanquam multi non tam cum pauperie quam mendicitate colluctentur, qui non verbis factisque suis profiteantur, egregios se in iactationis & vanæ gloriationis schola fecisse profectus. Igitur bonus ille vir pro ornamento habebat gladium, quem non ab latere suspenderat, sed super humerum ferebat instar scipionis aut longurii, eo quod domi vaginam se oblitum diceret. Amictus eius talis erat, vt non facile quis è curiosissimis vestiariis eum imitari vellet: quanquam diceret fuisse vestes illas aliquando nouas: iis si caruisset, horrori fuisset omnium conspectui corpus eius, quod prouide laciniis istis tegebat. Macies homini tanta, vt facile fuisset attento, omnia per ipsam pellem eius numerare ossa.

Ventris erat pro ventre locus, pendere putares
Pectus, & à spina tantummodo crate teneri,

ita toto corpore exactum repræsentabat Sceleton. Istud saltem differebat, quod ad singulos passus in alterum inclinaret latus, vnde flexile adhuc corpus suum, nondum obriguisse ostendebat. Capilli eius pice nigriores erant, paulo teneriores setis equinis. Tanta autem in crescendo fuerat auiditas, vt exhausto omni cranii humore porrigi nisi ad frontem, promittique amplius non possent. Oculi eius referebant duo pruna, ex nigro genere, qui longe velut decidui extra frontis alueolos prominebant. Posses etiam carbonibus comparare, quia cilia quibus cingebantur, & palpebræ ita rubebant, vt viuam flammam repræsentare possent, vnde puto illum ignem solitum iaculari in faciem hostium suorum. Nasus eius magna me liberabat cura: nec enim verendum erat, ne nimis breuis esset ad sustinenda in senectute eius perspicilla. Os eius non nimis hians erat aut patulum, præterquam quod tam late findebatur, quam ipsæ distabant mandibulæ: quoties loquebatur aut aperiebat labra, ita dehiscebat in latus, vt diceres illum velle mordicus arripere

pere

pere sinistram auriculam. Frons homini longa sed angusta, sulcata rugis frequentibus, vt nouale nudius tertius aratro proscissum: Genæ depressæ in eam subsederant profunditatem, vt vnaquæque auiculæ nidum excludendis ouis præbere potuisset. Labra inflata & eleuata erant circum os, velut agger aliquis, quo fossa cohercetur, ne transmitteretur humor, quanquam id hoc quidem loco frustra erat, cum descendens à narium suggrundiis glutinosa pituita, contemto strophiolorum vsu, ad vsque mentum destillaret. Barba eius erat bifurcata è tribus coloribus artificiose mixta, ex albo nigro & rufo. Lintea eius interula, quæ nescio quid antiqui redolebat, satis profitebatur, alios ante ipsum ea vsos fuisse, subscribente huic sententiæ colore, qui ex albo in canum aut cyaneum degenerauerat,

Vt autem ad multa vno verbo pro ipso respondeam, quod hæc omnia non essent melioris notæ, vir bonus præstare non poterat. Ad hunc modum pexus ornatusque se mihi obtulit graphicus ille Iberus, & quanquam ossa atque pellis totus esset, insuper & quod ad cætera male conciliatus: tanta tamen in ipso apparebat arrogantia, vt me vix salute dignaretur. Postremo tamen, elata fronte, salue inquit, Amice. Vultus tuus nescio quid præ se ferens tristitiæ, videtur mihi hominem quærere cordatum, qualis ego sum, qui possit tibi eximere latronum cæterorumque inimicorum metum, & suscitare ad hilaritatem animum tuum conuersationis suauitate. Dî te sospitent inquam ego, & siquidem tu is es, vt dicis, peropportune mihi te offers, eoque nomine ago tibi gratias pro humanitate. Cæterum non diffiteor, Galactio, desiderauisse me talem aliquem comitem, qui mihi facundia & vrbanitate sua pro vehiculo esset in via tam laboriosa. Quæro igitur ex eo, quis & vnde? at ille: quin tu prior mihi prodis quid hominis sis: fieri

enim poteſt, vt tibi in his oris peregrinanti vſui eſſe queam.

Non eram ego tam rudis, quin intelligerem, ſatisfaciendum illi eſſe, ſi commodum ab eo ferre reſponſum vellem. Compoſito igitur ad ſeueritatem vultu, Amice, inquam, vides hominem nobilem & ſtrenuum: me dico, qui iam ab Allobrogum montibus deſcendo, & peragrata Gallia feror huc ſtudio viſendæ Iberiæ. Vbi ego ſtrenui hominis, & Equitis mentionem feci, ibi muſtacem mulcens Iberus, impoſita manu in humeros meos, ſtitit me vt loqueretur mihi. Ergo, inquit, plus in te deprehendo iudicii quam opinatus fueram, poſtquam tam perſpicax fuiſti in cognoſcendis meis virtutibus, propter quas apud omnes fere vbique terrarum principes in precio ſum & honore.

Sed, omiſſis his, poſtqaam veniſti è partibus Galliæ, quæro, audiueriſne ibi aliquid de me? Nihil ne tibi narratum eſt, quam fideliter & dextre inſeruierim regi meo, principibuſque regni, qui in rebus maxime dubiis & periculoſis nullius adeo voluerunt vti opera quam mea. Nec caret hæc res manifeſta ratione. Tot enim animi magni atque fortis edidi ſpecimina, vt Vultum meum non ferrent hoſtes, quanquam haud fere cum vulgaribus, ſed ordinum ductoribus, & qui bello plus cæteris valere iudicabantur, depugnauerim. Confirmo autem tibi, hoſpes, me haud vnquam fere applicaſſe manum gladio, quam cum internecione quadraginta ex numero inimicorum, vt iam de vulneratis taceam.

Ego hæc magna patientia audiebam, vim afferens meo ipſius animo, ne ſuperata mendaciorum immanitate modeſtia mea, offenderem homo peregrinus Pyrgopolinicen iſtum, Profecto, inquam, vir fortis, putem ego maxime è re fore Regis tui, ſi huiuſmodi hominum, qualis tu es, aliquot centurias habeat. Quod ſi iis ipſum abun-

abundare contingat: iam ego eum potentissimum omnium in orbe hoc regum existimabo. Non erras, inquit ille, ô hospes: adeoque laudo te, qui gentem nostram merito suo magni facis. Quanquam illud quoque fatendum est, fuisse in exercitu nostro permultos minime ignauos, qualem te esse iudico (nec enim te hominem strenuum cordatumque esse negauerim,) cæterum paucos fuisse, qui vel ipsi se suo iudicio mecum conferre ausi fuerint. Quem enim tu me esse arbitraris? aut quid mihi factu putas difficile? nunquam vllus conflictus inter hostes ac nostros intercessit, in quo non mille milites sola vmbra mea obtexerim, vt iam nihil dicam de tribunis ac centurionibus, qui egregie secum agi arbitrabantur, si cum res venisset ad manus, sub clypei mei margine latere potuissent. Vidisses illos ad me gregatim confluere, & velut apiculas ad flores, olim cum Ver est, quoties signifer vexillum

extulit & rauco strepuerunt cornua cantu.

Adeo autem me exhorruerunt aduersæ acies, vt aliquoties mihi necesse fuerit in illo bello mutare vestem habitumque. Quoties enim speculatores vel procul agnouerunt arma mea, dato signo cohortibus suis, continuo illæ se receperunt, nec nobis pugnandi fecerunt copiam. Aut si constiterunt manusque conseruerunt, in quam partem ego impressionem fecissem, cedebant vniuersi, quos deinde in media præliantium acie densisque cuneis quærere mihi labor erat. Neque pol vereor, ne vanitatis arguar, cum dico, non esse in toto hoc vniuerso vllum mortalem quo rex meus minus carere possit in exercitu quam me. Ambiodorix tuus hæc tibi omnia fusius narrare poterit, quem iam recta via peto, versantem cum Iberorum rege: de quo nequaquam dubito, quin digna meis virtutibus sit redditurus præmia. De te, hospes, vere narro, tuam societatem minime mihi

grauem fore, de quo non ambigo quin ſis vir bonus: nec tibi detrimento fore credas velim ſi vna ambulemus. Quiſquis enim viderit, me tui curam gerere, nemo erit qui non te colat diligatque, etiamſi tibi parum æquus fuerit. Nemo enim malam apud me inire volet gratiam.

Sero tandem intelligo, reſpondi ego, ſingulari cœli prouidentia & fauore ipſius fortunæ nos hoc die conueniſſe. Secundum autem ſuperos me tibi plurimum debere fateor, qui tua mihi tam humaniter offers officia. Ad aulam Regis te proficiſcentem lubenti ſequar animo, ſperans me ibi inuenturum rationes quibus tibi animi mei gratitudinem oſtendere queam. Eadem opera diſcam, an tanti in Regia æſtimentur merita tua, vt ipſe narras & an ea, quæ tibi optimo iure debentur ſis reportaturus præmia.

Noui enim principum ſenſus, qui cæteros omnes mortales deuinctos obligatoſque ſibi arbitrantur, adeo, vt ſi ii, qui ſub eorum ſunt imperio, ſanguinem pro iis vitamque profundant, debere eos omnino ita facere iudicent, ne vllius remunerent fidem aut induſtriam, niſi magni alicuius viri interceſſio faueat miſeris. Hanc rem ego præ cæteris conſiderandam exiſtimo.

Euax! clamabat ſubridens Thraſo iſte. Tu vero ô hoſpes quid cogitas, quod Noctuas Athenas? Putas ne mihi prudentia aut conſideratione alia opus eſſe ad hanc rem, quam ea qua hactenus feliciter vſus ſum? aut commendatione alia ad obtinenda condigna virtutibus meis præmia, quam ſola nominis mei profeſſione? Hoc enim ſolum trepidare coëgit atque tremere integras hoſtium Legiones, quæ ſe regi meo opponere auſæ fuerant. Iſtud mihi ſecurus credas velim, hoſpes, Regem, vbi me præſentem conſpicatus fuerit, magis laboraturum, vt citra dilationem meæ ſatisfaciat petitioni,

quam

quam me, vt ab eo quæ volo obtineam. Sed esto sane, sint qui fortibus nobilibusq; viris iniquiores, non eam quam debent eorum virtuti habeant gratiam: ego institorem haud egero, neque me ea causa rupero. Hæc enim machæra ditiorem me faciet vna hora, quam Regem meum omnes aurifodinæ in Regno Peruano Noui Orbis toto septennio.

Vt autem dictorum meorum fidem adstruam, scito, me aliquoties, cum milites nostri cum egestate aut aliis necessitatibus colluctati fuerunt, sub specie animi gratia deambulandi ad hostem accessisse, soloque machæræ meæ fulgore, qui erat

Clarior quam Solis radii esse solent
Olim cum sudum est --------

eos ita exterruisse, vt aufugerint, relictis omnibus impedimentis, quæ abducta inter miseros illos distribui vniuersa.

Ego cum illum considerassem pressius:

Cur ergo, inquio, hal[illegible] nulas Lacernas?

Certe vestis tua nihil tale loquitur, neque vlla ex parte respondet gloriosis factis tuis. Atqui apud nos mos obtinuit, vt Dux exercitus aut Imperator eos, qui præ aliis fortiter fecerunt, aut corona aurea, aut hasta pura, aut phaleris, aut denique aliquo argenti modo soleat remunerare.

Remunerare reposuit ille? nouerunt cœlites, illos hæc omnia mihi liberaliter & vsque ad inuidiam præstitisse. Cæterum quoties mihi percipienda essent præmia illa, & se obtulissent egeni aut calamitosi milites, omnia illis indulsi, ad fortia mea facta liberalitatis gloriam magno animo adiungens. Et quæso te per ipsum artem, quid potuissent illi homines rependere dignum meis meritis? Imperatorum hoc est aut magnorum Regum, vt reddant talibus viris dignos honores; cæteri omnes

mnes quicquid dederint, minus erit. Nos Iberi non habemus in more positum, superbire in amictu, gnari, gloriam & valorẽ nõ situm esse in vestibus. Ego à puero ita educatus sum à meis parentibus, vt non curarent quibus laciniis tegerent membra mea, dummodo animum formarent ad fortitudinem & contemnenda pericula. Vestium Attalicarum affluentiam & eiusmodi munditias, quæ mulieribus potius conueniunt, quam viris fortibus, ex alto me despicere docuerunt, illisque relinquere, qui in Gynæceis puellarũ elegantia sua captant gratiam. Faxit Deus vt tempus ferret, quo te in arcem patris mei deducere possem. Quantis ille te excepturus esset honoribus! quantum ibi visurus esses seruorum, splendoris, diuitiarum!

CAPVT DECIMVM.

PERIOCHE.

ORaculum in minore Gymnesiarum Insularum magnæ celebritatis, consultum ab Archombroto, quid responderit. Offertur ei Elisa, quam statim agnoscit, quanquam sub peregrino & virili amictu latentem.

TV nunc mihi porro expone Galactio, quid tibi videatur de hoc meo comite? aiebat Archombrotus: nunquid lepida narratione me deliniuit? nunquid egregie fecit, id quod facundum comitem decet, vt nugis fabulisque falleret tempus, simulque leuaret itineris molestiam? Ego porro cum intellexissem, euasisse Elisam ex Arcis custodia, vt deprehendi postmodum non potuerit, & si permulti emissi fuissent, qui illam peruestigatam

ſtigatam ex fuga retraherent: nihil mihi adita regia opus eſſe iudicans, valedixi Nugiuẽdulo Thraſoni meo; cumque non dubitarem quin fugitiua virgo, deſerta inimica terra, alio ſecuritatis ergo profecta fuiſſet, ſtatui illam perquirere, vbicunque lateret gentium.

Forte obtulit ſe tempeſtiue nauis, quam ingreſſus, vi ventorum & tempeſtatis in has oras compulſus, vbi continentem tenui, illico oppidum ingreſſus ſum. Ibi intellexi, Summum loci Sacerdotem pollere facultate vaticinandi, ſolitum conſulere famoſum admodum Oraculum, ad quod multi vndique è tota Iberia ſolerent confluere homines, magnamque apud vicinas gentes loci eſſe reuerentiam. Ingreſſus comiter ſalutaui Pontificem, diſſimulataq; conditione ac proſapia mea quantum poteram ſupplex rogaui hominem, vt ſciſcitaretur ex Oraculo, vbi nam terrarum aut gentium recuperare poſſem dilectiſſimam meam, quæ ſola poſſideret animum affectusque meos. Ad hanc meam petitionem ingreſſus eſt homo anguſtum delubrum, quod totum ex ſolida rupe exciſum erat, opertum dumetis virgultiſque: veſtis erat ſtola candida ad imos talos demiſſa, dextra præferebat virgam è ſpina alba. Vix ingreſſus fueram locum ſacrum, cum verba quædam ex imis adytis tenui prodeuntia ſibilo animaduerti, quorum hæc erat ſententia.

Recipe mentem, calamitoſe Hyempſal: neque enim es amator ſine amica. Quod quæris haud longe à te abeſt: noli igitur te ipſum fatigare perueſtigando. cætera quæ tibi narro ſic habent. Super margine fontis cuiusdam Vir quidam, qui vir non eſt, nectit corollam gramineam, qua te donabit. Ille ſatisfaciet cæteris deſideriis tuis.

Hæc cum protuliſſet Oraculum verba, conticuit.

Cæterum

Cæterum mihi hæc omnia Sibyllæ foliis obſcuriora videbantur, diuque mecum diſputans ipſe, non expediebam reſponſi ſententiam. At Pontifex qui videbat me ſupra plebeium captum aſſurgere animo miſertus mei, vetuit me afflictare impoſterum ſuper ſenſu Oraculi, ſe fore mihi interpretem. Hæc locutus apprehenſum manu deduxit intra ſuas ædes, vbi me ſummis excepit honoribus. Recipienti mihi poculum è manu ſeruuli mira res cōtigit. Conieceram in eum oculos, nec ab hominis dimouere poteram facie, & quanquam ipſe decor & honeſtas mihi ſuaderet, auertere nullum ab alieno mancipio, fruſtra tamen id erat, hærentibus neſcio quomodo in illius obtutu oculis. Tandem mihi ipſi viſus ſum eum noſſe, qui mihi ſcyphum porrexerat. Noueram me faciem illam alias quoque vidiſſe, quanquam non ea vis eſſet imaginationis, vt ſcire poſſem quando aut vbi. Paulo poſt cum conſulerem memoriam ſuperiorum temporum, incidit mihi, lineamenta illius non multum eſſe diſſona ab Eliſæ facie: id tamen me perturbabat, quod arbitrarer me adoleſcentem videre non virginem. His cogitationibus totum cœnæ tempus conſumſi, ſurgensque ab epulis non poteram quieſcere, ita me recordatio Eliſæ ſine intermiſſione ſtimulabat, nec aliter affectus, quicquid ſuper erat diei, totamque noctem ſequentem irrequietus exegi, cum nihil meis præter lineamenta faciei Eliſæ, obuerſaretur oculis.

Mane facto repeto domum pontificis, qui me ſecum in ſacram ædem deduxit, vt intereſſem ſacrificiis. Ibi ſe denuo mihi obtulit is, è cuius manu ſuperioris diei veſpera poculum acceperam: cumque faciem illius conſiderarē accuratius, nactus ad id ſufficiens tempus, magis magiſq; mihi viſus ſum, non alium me quam ipſiſſimum Eliſæ intueri vultum, adeoque illam ipſam ſub virili habitu latentem. Hærente me velut obſtupefacto in eius contem-

contemplatione, ipsa ad latus meum propius accedens vicissim me intuita est, natantibus in lachrymarum vndis oculis. Mihi creditu non tantum difficile, sed & factu impossibile videbatur, illam inter seruos & mancipia offendere: illud vero etiam absurdum, mentitam adolescentem virili habitu incedere, quem vbi nacta fuisset ego comprehendere animo non poteram. Substiti igitur in eo loco, donec Pontifex cum omni suo comitatu delubro egrederetur.

Ibi ego abiiciens me ad basin altaris, cœpi precari numen tantis cum gemitibus & suspiriis, vt totum antrum reboaret. Sacerdos audito mugitu illo, conuersus ad seruos qui sequebantur, imperauit, vt vnus ex eorum numero curreret in delubrum, meque commonefaceret, vt modum ponerem querelis lamentisque, neque vim numinis in me irritarem importunis & tristibus eiulatibus. Ibi seruus iste, quem habueram in cœna superioris diei ministrantem ad mensam: quem videram paulo ante magna cum deuotione adstantem sacrificiis: qui me lachrymantibus oculis adspexerat, præuertens cæteros cursu, accurrit ad me in Templum.

Vix pedem intra limen tetulerat, cum inquit: Noueris ô Rex maxime, nihil opus esse importunis fatigare cœlum precibus. Præterquam enim quod Pontifex parum æquo animo fert, non video causam tantorum gemituum & lamentorum, postquam cœlestis prouidentia tanta tibi offert facilitate quod quæris. En adsum tibi Elisa tua, cui beneficio Palladis virgo conseruata sum, sponsa tua, sospes ac incolumis cura & benignitate Iberorum Reginæ. Quod super est moneo te, vt magna cura & prudentia hic verseris, ne quis mortalium rescifcat qui sis. Sed nec diuulgare te velim, quæ ego sim. Conserua me tibi integram, pudicam, inuiolatam, donec per sanctas matrimonii leges tibi iuncta, plena mei possessione

ſione te beem, tuaque viciſſim perfruar conſuetudine. Vale anime mi, ſemperque tene memoriam tuæ Eliſæ, quæ te præſtolabitur ad vicinum fontem in horto Pontificis.

Accurri, Galactio, lymphatico ſimilis, volens oſculari hoc mancipium: ſed id diſparuit dicto citius ex oculis meis, quod nollet vel hero vel conſeruis ſiniſtrarum ſuſpicionum ſuppeditare materiem. Hic repentinus eius diſceſſus duplicauit dolores meos, & lapſus fuiſſem ſine dubio in animi deliquium, niſi me erexiſſet poſtremum Eliſæ verbum, fore vt ipſam paulo pòſt ad fontem in horto offenderem. Sic meipſum ſeruaui rebus ſecundis, captoque tempore, cum adeſſe hora videretur diſcedendi, contuli me ex compacto in hortum. Venerant aliquot viri fœminæque honoratiores ad Pontificem, qui eos cum vxore ſua exceptos, colloquio & variis officiis aliquandiu moratus eſt. Interim Eliſa, adepta abeundi licentiam, ſola in hortum ad fontem abiuit, remotis ſociis arbitriſque, quos ideo ab ſe amolita eſt, vt ſola poſſet amori operam dare. Dies erat admodum ſerenus, & videbatur vis aliqua ſuperna diſſipaſſe nubes, vt ipſum cœlum clarius videre poſſet reciprocos amplexus & mutuam collabellationem duorûm iſtorum amantium.

Ingrediente igitur ea per portam hortuli, dixiſſes flores eam ſalutare, mira ſpirantes fragrantia, & honorem ei habere voluiſſe, inclinatis verſus humum capitibus, partim etiam verecundiæ ergo, quod viderent ſe ſuperari formæ elegantia ab ea quæ intrabat. Erat in medio horto Labyrinthus, ad inſtar Cretæi (ſi parua magnis componere fas eſt) cæcis viarum ductuumque plexibus ac inuolucris implicatus. In huius medio ſiue centro ſubſiliebat fons viuus, labro marmoreo incluſus: in ſumma parte ſtabant tres Gratiæ, auerſæ ab inuicem, è quarum

rum mamillis prosiliebat aqua limpidissima, vt ostenderetur, hortum illum dignum esse, qui non alio quam cœlestium Gratiarum humore rigaretur. Qui circa fontem eminebant flores, tam pulchri erant, tam lepidi & viuaces, vt qui non attendisset ad aquei humoris copiam, opinari potuisset, adspectum & vicinitatem Gratiarum iis tantum conciliare nitorem quo superabant cæteros flores in diuersis areolis puluillisque consitos. In horum medio Elisa consedit. Cum enim primum intrauerat hortum, vouerat sertum floreum ei, quem tanta animi anxietate expectabat. Hoc sertum hancque corollam impositura erat Archombroti sui capiti. Inde cum extendisset niueam manum suam, collegit florum pulcherrimos, iisque repleuit sinum suum, cœpitque complicare corollam, filis deauratis sericisque inter flosculorum ordines intercurrentibus. Calthas, crocum colore mentientes, non immiscuit cæteris, ne impositæ capiti meo euanescerent, colore comæ meæ illas obscurante. Potissimi qui in ordinem venerunt hi erant: Rosæ, Lilia, Narcissi, Primulæ, Violæ, Caryophylli, cum herbis præstantioribus, Libanotide & Amarantho.

Ad hunc modum virgo mille vacans cogitationibus pergebat plectere sertũ, cum repente me contẽplatur ingredientẽ in hortũ. Surgens igitur humo properauit in occursum meum, oblataq; corona florea, inter mille sermones, mille querelas, mille protestationes, de nõ discedendo ab amore mutuo, ad oscula deuenimus, quorum tanta fuit dulcedo, vt vel sola suffectura fuerint, ad abstergendum ab animis nostris, quicquid tam longo tempore mutuæ absentiæ exhauseramus molestiarum. Inter has aliasque recreationes, quas affectus non impurus sinceris dictare solet amantibus, diem illum ad vmbilicum prope mortuum sepeliuimus, contendente me ab Elisa ne aduentum meum cælaret heram, de cuius

com-

compertũ habebat in se beneuolentia, si quam forte posset ostendere rationem, qua vsi vna proficisceremur ex Insula ad repetendam patriam.

At Peredilla intellecto meo in Insulam aduentu, multa signa singularis in me ostendit beneuolentiæ. Nec tamen vllo modo obtinere ab ea potuimus, vt monstraret nobis aut suggereret viam ac rationem euadendi, nosque in libertatem asserendi, eo quod diceret, se Pontifici marito persuadere nullo modo posse, vt eam dimitteret, quanquam ipsa non improbaret fugam eius. Hoc ipso die sub ortum solis dono ei misi torquem aureum, cum appensa imagine è gemmis preciosis adornata, cuius interuentu spero me obtenturum maiorem eius gratiam & facilitatem: sed vt ipse audiuisti, difficultatem ex difficultate, moram ex mora nectit, quanquam vt verum fatear eam hodie non tam difficilem inuenerim quam superioribus diebus. Facit hæc res mihi spem, fore vt optatum finem assequar antequam hæc septimana penitus expiret. Mulier enim, quæ munera capit, ipsa capitur aut iam capta est, à qua postmodum obtinere queas quicquid volueris, cum sese tibi obligatam fateatur. Ita enim dona fere offundunt glaucoma oculis earum, vt non videant sua pericula, & vinciunt manus, ne se vllo pacto possint defendere, aut tam amabili metallo, quod aurum vocant, obluctari.

CAPVT VNDECIMVM.

PERIOCHE.

GAlactio, vt adipisceretur tempus & occasionem eripiendi è seruitute Elisam, & in Galliam reducendi, monasterium ipsiusque Pontificis ædes incen-

incendit, quibus ardentibus, cum omnes restinguendo operam darent incendio, ipse virginem abducit, conscensoque nauigio, assumto Archombroto vela feliciter faciunt, & ingenti cum lætitia portum Massiliæ ingrediuntur.

GAlactio miris modis delinitus, cum variis casibus, tum eorum narratione, vt ostenderet Principi, non ingrato homini eum præstitisse & hæc & alia beneficia, constituit idem Galactio, gaudio lætitiæque Archombroti Colophonem imponere. Accedebat, quod cum regiæ virgini Gallicanæ, ipse Gallus existens, multis deuinctus esset nominibus, non posset negligere illius salutem, in quam summis curis atque vigiliis optimo iure sibi incumbendum existimabat. In huius enim incolumitate atque salute suas quoque spes, fortunas, salutem inclusam non ignorabat: statuit igitur ea quæ sequebatur nocte, inire rationem aliquam rapiendæ abducendæque Virginis, ita tamen, vt ipsam sacerdotis vxorem celaret suum consilium.

Etsi autem Archombrotus de dexteritate & prudentia Galactionis nullo modo dubitaret: considerata tamen difficultate rei, pene desperabat, qui semper fere fortunam expertus fuerat aduersam, accedente numero militum, qui singulis noctibus circa sacrificorum collegium domumque Pontificis erant in excubiis, quin & Pontificem fratrem esse regis Minoricensis intellexerat. Vnde nihil minus sperare poterat quam consilium Galactionis felicem habiturum euentum. Expectandam igitur iudicabat meliorem occasionem: quæ se citius omnium spe offerre posset: nec periclitandum in re tanti momenti, vbi errare non bis liceret. Noli Illustrissime princeps noli dubitare (inquit Galactio)

quin hæc quæ iam cogito pulcre tibi effecta daturus sim. Tota illa militum excubitorumque statio impedire te non poterit, quo minus abducam virginem. Inueni enim modum, quo omnem industriam, omnes eorum cogitationes alio diuertam, tantumque eis suppeditabo negotiorum, vt occupati grauium periculorum sollicitudine, obseruare eos non possint, qui arce egrediuntur. Tu solum id cura, vt nauigium præsto sit ad portum, cuius nautæ parati sint, vt cum primis noctis tenebris vela faciant. Cætera ego expediam, Elisamque tuam tibi, intra manus sistam.

Audiens hominem tam confidenter loquentem, & ipse audacior factus est Archombrotus, cœpitque aliam concipere spem prosperioris fortunæ, quam qua hactenus vsus fuerat. Totum igitur se permisit Galactionis prudentiæ, vt faceret quicquid expedire videretur, amplexusque virum haud sine affectu & lacrymis, vale illi dixit, qui digressus à principe omni studio se accinxit, vt cogitata quam celerrime perficeret. Hinc Galactio contulit se ad fontem, quo loco Elisa Archombroti præstolabatur aduentum. Quæ quanto exilierit gaudio, viso viro tam strenuo & virtutis expertæ, dici satis non potest. Conspectus huius hominis tam certam virgini fecit spem festinæ liberationis, vt exclamauerit, iam se deinceps non dubitare de fauore Numinis, postquam id sibi misisset sospitatorem suum, qui eam nequaquam deserturus esset, in hac tam graui calamitate, sed omni annixurus studio, vt illam restitueret sponso patriæque.

At Galactio, cui expedire non videbatur, multis inanibusque sermonibus tempus inutiliter terere, omissis cæteris, quæ ad rem parum facere videbantur, per eampse stare dixit quominus sequenti nocte libertati restitueretur. Quanquam autem Elisæ auribus gratior nuncius

cius

eius illabi non posset, quo tamen potissimum modo id esset homo effecturus, non expediebat. Quo virginis sensu animaduerso Galactio; sentio, inquit, domina, te verbis meis ægre fidem adhibere: at ego tibi spondeo & respondeo, me tibi rem istam prope sine difficultate effecturum, modo te dicto audientem inueniam. Tuus is erit labor, vt occluso ostio intra cubiculum te quieta contineas, noctem suauiter peragas, siue dormiendo siue vigilando, perinde enim est. Animaduerti ego sine magno labore peruenire posse ad murum, qui est infra cancellos fenestrarum, qua à monasterii ædificiis prospectus patet in subiectos hortos. Sed & illud quoque obseruaui, muros illos alicubi adeo humiles esse, vt vir non ventricosus aut plumbeus saltu sine noxa se inde demittere possit. Ad illam igitur fenestram velim te in excubiis stare, vbi Pontificem cum omni familia & clientela dormire senseris. Ego enim calcata omni negligentia ad murum illum accedam, qua parte subiicitur clathratis illis fenestris, ibi signum præsentiæ meæ tibi erit linteum album, quo caput meum obuoluam. Tu autem demittes ab fenestra funem iustæ longitudinis, vt terram contingat, ad cuius extremitatem alligabo vestem muliebrem, quam tu illico attrahes, eaque induta præstolaberis donec aperiatur porta. Cum autem ab omni parte ad ignem conclamare audiueris, etiamsi quis te cogere ad suppetias velit, caue pedem loco moueas: ego enim tibi celeriter adero obseruata occasione, cum serui ad restinguendum incendium confertim erupturi sunt ostio, ibi ego perfricta fronte irrumpam: quis enim mihi obstabit? quis impediet? post vna egrediemur per turbam, vtentes confusæ turbæ inter spem metumque trepidantis consternatione. Hinc recto gradu petemus portum, conscensuri nauigium, quod nobis Archombroti præparauit diligentia.

P 2 Habes,

Habes, Domina vniuerſam conſiliorum meorum ſcenam, quam tibi facetus hiſtrio, ita vt dixi, inſtruam, vt lætiſſima ſequatur Cataſtrophe. Vnum addam: nos ſi hanc è manibus ſinamus occaſionem, fruſtra deinceps ſperaturos, vt illa vel commodior vel compar ſe nobis poſthac offerat. Eliſa cum magnopere approbaſſet ſolertiam fidiſſimi hominis, calcata vlteriore mora abiit, vt ſe accingeret, ad exequendum ea, quæ iuſſa fuerat, Galactio vero ſollicite expectabat horam quam ſibi ipſi præſtituerat. Monaſterii in vrbe Senega magna erat amplitudo & capacitas, habitabatque in eo Pontifex potiſſimam anni partem duplici ratione, quod à frequentia & turba hominum eſſet remotius, & amœniſſimus pateret in ſubiectos hortos proſpectus. Tanta autem erat commoditas huius ædificii, vt aptiorem locum Galactio ad exequenda conſilia ſua ne optare quidem potuerit. Igitur nocte concubia, cum omnium ſenſus ſomno ſepultos arbitraretur, ſecreto digreſſus ab hoſpite ſuo, ferensque amictum muliebrem hortum intrauit, rectaque deſtinatam feneſtram petiit. Demiſerat iam virgo funem, quæ agnitum hominem ex albo linteo accedere ſumma cum feſtinatione viderat. Vix alligauerat ad funem veſtes Galactio, cum Eliſa eas pari promtitudine ad ſe attraxiſſet, iiſque induta, occuluit ſe eo loco vbi cæteri dormiebant.

Galactio, qui ingenii ſubtilitate omnes alios vincebat, poſtquam ſecum ratiocinatus eſt indutam iam virginem conueniente habitu, in ſuumque reuerſam eſſe conclaue, ad alteram partem muri digreſſus eſt, vbi intra ipſos muros incluſum erat horreum plenum fœno & ſtramine: ibi beneficio igniarii cum ignem nactus fuiſſet, incenſum linteolum quoddam ſulphuratum ſubiecit ſtramentis: quo facto celeriter ſe recepit eadem vſus via qua venerat.

Vix

Vix discesserat incendiarius, cum correptæ flamma paleæ cum vniuerso horreo clarissime exarserunt: vtque fit, ignis longius se diffundens, mandrisque ac stabulis pecudum ouilibusque illapsus, omnia prope eodem momento corripuit, vt vix pastoribus licuerit abactis extra periculum gregibus seruare vitam. Primi è familia quos fumus & odoris fœditas è somno excitauerat, altum exclamauerunt: horum vociferatione perterriti cęteri, excusso somno, omnes terrore & formidine repleuerunt. Desertis igitur lectis stratisque, cum fenestras aperuissent, viderunt longe lateque dominantem Vulcanum, vt clarum diei meridiem profunda nox imitaretur. Ventus autem vt fere fit, ipsi incendio subortus omnem vim flammæ in habitationem Pontificis impegit.

Ad primum suscitati ignis fulgorem concursum est ad cubiculum seruorum, ne inclusi suffocatique herum frustrarentur precio: deinde vt hauriendæ aquæ restinguendoque incendio cum cæteris operam dare possent. Serui non diu morati, procurrentes omni ope adnixi sunt, vt furentem cohiberent Vulcanum. Milites qui ad portam Monasterii ipsumque Templum stabant in excubiis, desertis suis stationibus, suam cum seruis domesticisque coniungebant operam, vt tanto malo resisterent. Cum autem vis flammæ maior esset quam vt exiguo illo labore sopiri posse videretur; imperauit Pontifex, vt apertis portis maioribus, oppidani conferti admitterentur, multitudine opitulantium furentem Vulcanum oppressurus. Cum dicto omnes patuerunt portæ, irrupitque tanta hominum multitudo, vt velut in momento viris, fœminis puerisque tota monasterii compleretur area. Immiscuit Galactio se turbæ, qua densissimus erat cuneus, ingressusque atrium continuo ad dexteram deflectit, vbi nouerat esse cubiculum Elisæ. Inue-

nit ibi latentem in occulto, cæterum paratam ad agendam personam suam, etsi metueret, nequis superueniens agnitam proderet, omnesque fabulæ conturbaret calculos. Cæterum hic metus inanis erat, cum longe grauiorib. distinerentur vniuersi negotiis, quam vt excuterent seruos & mancipiorum scrutarentur ergastula.

Visam virginem manu apprehendens Galactio, quod felix faustumque sit, inquit, exeamus è monasterio & è seruitute, Elisa: Diis grates persoluemus, quod nos in tam atroci incendio seruauerint incolumes, cum altum nauigauerimus mare.

Fuerant iam aliquantum viæ per ciuitatem emensi, perruptisque obuiantium cuneis recta portam quæ ad mare ducebat, petebant: cum Galactio vocem hominis irati & maledicentis nescio cui à tergo inaudiuit. Conuersus igitur videt aliquam militum manum, qui concitato gradu sequebantur Elisam. Abstulerat furto mulier quædam vas sacrum deauratum, ab ipso altari in templo, nihil verita loci sanctimoniam & sacrilegii turpitudinem, ablatoque eo fuga se subduxerat. Præsidiarii cum eam vndique in oppido quærerent, postremo inciderunt in Galactionem & Elisam, qui celeriore solito incedebant gradu.

Nihil igitur cunctati apprehenderunt Elisam, vt eam recta in carcerem deducerent. At virgo pauens tremensque luctabatur vt effugeret, maluissetque se videre intra manus Archombroti quam horum Cacularum, Quod cum faceret, nihil tamen loquebatur, siue verita, ne se loquela proderet, siue timore omnem auferente vocem. Tandem ita secum concludebat, certo proditam esse technam, seque agnitam rapi ad pœnam, vt secundum leges regionis coniiceretur viua in flammas, quæ ausa fuisset è domo herili aufugere. Ad hunc enim

modum puniebantur mancipia, quæ in calamitatibus publicis fugam arripere non dubitassent. At Galactio non despondit animum: remetiens enim iter suum, cum vidisset captiuam duci virginem, contulit se ad Tribunum militum, monuitque, videret etiam atque etiam, ne contra iura hospitalia peregrinam inclementer tractaret mulierem, quæ de sacrilegio vnquam ne cogitasset quidem. Magnæ leuitatis animi iudicium esse, confestim adhibere fidem stolidis populi rumoribus. Quin istud potius faceret: excuteret omnia mulieris vestimenta, quod si deprehenderet eam ream criminis, non se recusaturum, quin continuo duceretur in carcerem, absque hoc nec recte nec legitime posse. Ad hæc Galactionis verba substiterunt milites, mandanteque præfecto, cœperunt excutere Elisæ vestimenta. Dum autem in hoc toti sunt, accurrens vnus ex eorum numero, vt omitterent hanc mulierem magna voce proclamauit: deprehensam esse ream, quæ se sacrilegio illo contaminauerit.

Præfectus quibus verbis potuit factum excusauit, deprecatus primo virginem, deinde Galactionem: qui non fuerunt difficiles in largienda homini venia, vtique cum tam facile dimitterentur. Hinc periculo & timore pedibus eorum alas subministrante, curriculo ad portum tetenderunt, vbi Archombrotus ex compacto eos præstolabatur, sicque vna ingressi sunt nauigium, maiore lætitia & gaudio, quam à nobis stilo calamoque exprimi possit. Celeriter igitur cum carbasa explicuissent, tam secundis vsi sunt ventis, vt non longe post Portum Alcidonium ad Massiliam intrauerint: quo autem affectu, quanta lætitia, cogitare quam scribere multo arbitramur esse facilius.

Ingredientem hanc nauem portum prima viderat Argenis: & quamuis ignoraret quis ea veheretur, singu-

lari tamen quodam numinis instinctu nouo repleta gaudio, cuius auctor latebat, egressa suo cubiculo, ad Reginam Elisæ matrem cucurrit, eique persuasit, vt vna secum ad mare deambularet: quod factum est, sequentibus prope vniuersis aulæ ministeriis. In littore ergo constiterunt, donec appulsum vi remorum nauigium terram teneret. Primus qui in continentem egressus est fuit Archombrotus: qui cum videret Reginam Socrum sibi prodire obuiam, accelerato gressu, vultuque hilari iuit in occursum eius.

Cumque dicta redditaque salute eam monuisset, adesse Elisam quoque, perrexerunt vna ad mare, vbi Elisa in matris ruens amplexus, mille eam salutauit basiis cæterisque officiis: idem & Argenis est experta, salutante atque amplexante sorore. Solus Poliarchus aberat, qui noui belli denunciatione in eam solam rem incumbebat, non tantum à cura boni publici nactus ocii, vt exciperet aduenientes velut postliminio eos, quos iam vniuersa Gallia ceu perditos deplorauerat.

ARGE-



ARGENIDIS CONTINVATÆ PARTIS TERTIÆ

LIBER QVINTVS.

CAPVT PRIMVM.

PERIOCHE.

Populi Hispalensis seditio & consternatio. Regina Iberorum libere cum rege collocuta, increpat eum, quod conaretur Poliarcho bellum inferre. Malam eo nomine apud Maritum init gratiam, ideoque Castello includitur, ademta exeundi libertate.

Populus, quem multorum capitum bestiam magnus Orator appellauit, & alius πολύτροπον ὅμιλον, nunquam constans est, nisi in inconstantia. Ad minimum rumorem, siue falsus is sit fictusque, siue verus, commouetur; motum concursus, quandoque etiam seditio & tumultus sequitur. Fit &, vt falsa quadam persuasione mentis agitatum vulgus, concepta suspicione sine causa furere

furere incipiat, contemtisque rectæ rationis limitibus, insanum sibi impetum pro lege atque regula constituat. Cum Elisa ad eum, quem in superioribus commemorauimus modum euasisset, ingtessaque nauigium à littore soluisset Iberico: Ambiodorix, plenus iracundia & desperatione parum abfuit, quin sibi ipsi man⁹ afferret, adeo perculerat animum hominis tam generosæ fuga puellæ. Rex qui mouebatur Ambiodorigis questibus, cum ei in omnibus gratificari vellet, misit, qui eam summa industria per vniuersum regnum conquirerent. Sed inanis erat quamuis curiosa peruestigatio, fugitiua nullibi comparente. Communis tamen rumor reginam hac onerabat suspicione, ipsius opera & conniuentia euasisse Elisam. Hinc rex acerbius solito eam intuitus, non dubia alienæ mentis præseferebat signa: an asperitate illa vultus & austero alloquio eam ad confessionem criminis perpellere posset. Interim totus erat in conscribendis copiis militaribus, quas in Galliam duceret, vt cruento fine pertexeret telam quam infeliciter auspicatus fuerat.

At populus iam olim tædio belli captus, videns ab omnibus partibus confluere ad arma milites, noua vectigalia nouasque exactiones ac subsidia pecuniaria metuens, seditionibus grauissimis agitabatur. Primum intra priuatos parietes constitit insania, cum per singulas fere essent familias, qui iustas querelarum se habere existimarent causas: omnium tamen idem erat sermo de nimio Regis in Ambiodorigem fauore & indulgentia. E priuatis ciuium Hispalensium tectis, egressa seditionis materies in publicum, conuenticula hominum in foro ac compitis occupauit, omnium indignantium, arma in Gallos sumi, quæ haud dubiam regno Iberorum essent allatura perniciem. Nemo erat ex omnibus, qui non fœdum dictu, iniustum factu diceret, hominem extraneum

neum tantum fauore & gratia posse apud Regem, in damnum & præiudicium Elisæ, puellæ regiæ, quæ iam ante pernitioso consilio in carcerem coniecta pessimeque habita fuisset, etsi satis constaret, eam destinatam matrimonio Siculorum & Maurorum regis.

Regina, quæ facile animaduertebat, quorsum illa populi consternatio tenderet, intellecto, eandem ciuibus quam sibi esse mentem, in causa duntaxat belli Gallicani & captiuitatis Elisæ; statuit horum se adiungere partibus. Conuocatis igitur ex omni ciuium numero, qui primi inter cæteros erant, iussisque in suo conuenire conclaui, deliberauit cum iis, quidnam optimum factu foret: cumque videret illos timide respondere, & trepide rem agere, orsa loqui, erexit in spem eorum animos: expositis periculis, quæ patrium regnum non esset effugiturum, nisi tam iniusti regis cohiberentur conatus. Accidebat hoc omnino ex sententia ciuibus, qui rebellionis facile primi erant: vnde non iniuria metuebant, si longior mora interueniret, detectis consiliis suis pessime secum actum iri, grauiterque punitis coniurationis sociis, omnem machinationem in fumum ac ventos abituram. Animaduertentes autem, reginam ab suis stare partibus, nihil cunctati, id vnice egerunt, vt partem ciuitatis adhuc sanam contagie seditionis inficerent, pertractis in consiliorum societatem cæteris ciuibus. Ita enim fere comparatum est, vt ii qui semel excusso rectæ rationis gubernaculo furere cæperunt, malint in insania pergere, quam tempestiue ad mētis redire sobrietatem. Ergo si quos nouarū rerum studio admouendū aliquid proptiores videbant, eorum aures quotidianis pulsabant querelis: ferendum non esse, vt homo peregrinus & exul pessumdaret Iberiæ regnum, qui iam ante tantum non euerterat Galliam patriam suam. His clamoribus id effectum est, vt velut remiges ad celeusma

Adnixi

Adnixi torquent spumas & cærula verrunt
Aequora, consurgunt studiis ----

ita vniuersa ciuitas dicto citius arreptis armis illustriora Vrbis loca occupauerit, inprimis famosum illud Palatium, excitatis passim ignibus, & constitutis ad portas, perque celebriora oppidi compita vigilum stationibus. Rex, cui hoc præter opinionem accidebat, expauit ad huius rei nuncium, iussitque, vti è vestigio auctores huius tumultus conquirantur.

Ibi regina, & locum & tempus se nactam rata, ingressa cubiculum mariti qui cum Ambiodorige solo solus sermonem miscebat, locuta audacius, statuit eum officii sui commonefacere. Tu vero, inquit, quam eleganter facias Domine, non video: qui id agis, vt incendium suscites in alieno regno, cum iam tuum ipsius ardeat ab omnibus partibus. Tumultuantur atque seditionibus laborant præcipui tui ciues, mox vniuersum regnum contagione insaniæ infecturi, statumque tuum pessumdaturi, nisi actutum mutatis consiliis actionibusque tuis orienti flammæ aquam affundis. Quid cogitas? an de bello Galliæ inferendo? at nosse debes, regnum illud à principe obtineri, qui nihil metuat, nisi ne fulmine ab ipso Ioue feriatur. Quanquam crediderim, id ipsum quoque irritum fore: cum caput eius, partis tam illustribus victoriis, tot laureis cingatur, cuius arboris eam perhibent naturam, vt à fulminibus & ipsa immunis sit, & alios præstet indemnes. Vidisti, vel potius, fecisti eum victoriosum, tam mari quam terra: cumque tuæ toties ab eo profligatæ sint copiæ, quibus postremo militibus, quibus exercitibus te eum debellaturum speras? vide ne id tibi contingat, quod vel temerariis vel imperitis nautis accidere videmus, qui postquam carinam suam in scopulos impegerunt, non nauim solum amittunt, sed & merces atque omnia armamenta. Aut vehementer

erro,

erro,aut ſuppeditabis ipſi gloriæ amplioris materiem: dum eum de famæ faſtigio deiicere moliris.

Quid tandem facturum Poliarchum exiſtimas, vbi proſtrauerit etiam hunc tuum exercitum,quem aduerſus eum miſſurus es, tanquam pecudes ad certam lanienam? Non audiuiſti *Patientiam ſæpius læſam tandem in furorem conuerti*? ſatis eſt homini virium,ſatis animi, vt non ſit credendum, eum ad ſummam feſtinationem augendæ gloriæ ſuæ aliquid facturum reliqui. Iſtud duntaxat expectat,donec tu exhauſtis theſauris tuis,conſumtis in caſſum viribus, perditis militibus,infirmior fias:ibi tum ipſe nihil cunctabitur, Leonina ferocia inuadere regnum tuum, perfractiſque obijcibus & deſtructis munimentis,tuum ſibi vendicare patrimonium. At quæſo te mi vir, cui bono cogis milites? in quam ſpem inſtruis exercitum? an vt victo Poliarcho Gallorum regnum cum Iberico, alienum cum tuo coniungas? At quid hoc eſt aliud,quam pellem vendere(vt aiunt) vrſo nondum capto? Eodem pol labore efficies ,vt luna deducta cœlo pedeſtri itinere in terra ingrediatur. Saltem immanes illi & editi in tantam altitudinem montes quibus velut perpetuo ſæpimento noſtrum regnum ab Gallis ſecluditur , docere te poterant, naturæ ipſius limites à neutris impune tranſiri poſſe, nec id quenquam tentare debere,niſi quem vitæ & felicitatis ſuæ ſaties cepiſſet. Si qua fides,nunquam futurum eſt, O rex, vt plumis illius Aquilæ tuum exornes ſcutum : aut vt populus iſte, ad quaſuis aduerſitates vincendas natus factus, Ibericum perferat iugum. Ingenium eorum hominum adeo à noſtratibus diuerſum eſt, vt alteri alteros ferre non poſſe videantur:citiuſque ignem aqua miſcebis,quam Gallos & Iberos ſub vnum & idem reduces Imperium.

Quod ſi nihil tale mentem pertentat tuam,nihilque aliud tibi,ô rex,propoſitum eſt, quam Ambiodorigi validas

lidas ferre suppetias: iam deteriore te vti consilio nemo sanus negabit, vt opes copiasque tuas pro illo exponas certo periculo, vnde nihil quicquam ad te tuosque redire possit emolumenti. Cuiusmodi enim est istud: fouere atque alere seditionum flabella in regno vicini Principis? aut opem ferre iis, qui in legitimos insurgunt reges suos? At esto sane: sit Ambiodorix aliqua à Poliarcho affectus iniuria. Quid tum? an ideo armis & aperto bello causa disceptanda erit? Atqui *omnia experiri prius verbis quam armis sapientē decet*. Nonne oportebat, Poliarchum prius missis oratoribus de iure conuenire, atque tuo hoc pacto honori consulere; fortasse is satisfacturus est & tibi & Ambiodorigi? Sed profecto aliter res habet: nulla est Ambiodorix à Poliarcho vnquam affectus iniuria: quin tu sic accipe: illum absentia regis sui abusum, tranquillum ad eum diem regni statum perturbasse, vt si posset, simul ipsum regnum euerteret. At egregia (scilicet) spolia referes, eritque res maximi vsus, si vicinum regem in regno suo quiete & pacifice imperantem, tantis, quantas contrahere potes viribus, bello aggrediaris? Ne lætari quidem potest aut debet animus generosus, vicini principis interitu aut ruina. Sed omittamus sane hæc omnia: ea est supremi numinis in actionibus humanis trutinantis solertia, ea in rependendo, quod alteri feceris, exquisita iustitia, vt haud temere quis inuentus fuerit, qui non eadem intra suos parietes expertus fuerit, quæ inferre conatus sit alienis. Et sane, Talionis nec nomen nec ratio fortuita est, sed optimo iure nititur. Ne autem sim longior, illud saltim te considerare velim, Rex & marite mi, arma te capere pro Ambiodorige, insana agitante consilia, nullo vsu, nulla spe emolumenti, & quæ cum honoris dignitatisque tuæ periculo ac iactura coniuncta sint. Quin igitur ponis arma, nullo bono iure, nullo consilio salubri sumta: quin

præfers

præfers Poliarchi, vicini regis, amicitiam atque fœdus perniciosæ inimicitiæ.

Audiuerat hactenus dissertantem talia vxorem, occultato intra pectoris sui penetralia furore & odio, & insanos affectus vultu vtcunque dissimulans, dans illud sine dubio suauitati orationis & gratiæ, quæ è perorantis coniugis oculis spirabat: cæterum ad extremum caput de Poliarchi amicitia, celare amplius iracundiam non potuit. Igitur cum acerbis vxorem proscidisset conuiciis, facessere eam è conspectu suo iussit. Paruit mulier, vitauitque excandescentiam hominis. At is misso excubitorum suorum præfecto, concludi eam in Castellum quoddam, ibique arcte custodiri iussit. Captiua igitur è regina facta, cum satis diu squalorem carceris tolerasset, inuenit viam, qua Poliarcho clanculum, quam male secum ageretur, nunciaret. Acceperat is iam ante quædam de propenso reginæ animo, ab Elisa sorore, quæ illi non parum debere se palam profitebatur, vnde & ipse vicissim, quæ è re videbantur, illi nunciari iubebat.

Seruabatur autem regina in exiguo conclaui, in summo editæ turris tabulato, quod lumen accipiebat per fenestram satis amplam, vnde prospectus longe lateque patebat in subiacentes campos, quorum amœnitas aliquo modo tolerabiliorem faciebat tædium situmque carceris. Habebat in seruitio suo famulas duas, quarum illi intercedebat nonnihil notitiæ cum præfecto vigilum, qui fuerat domesticus patris puellæ, & huius ope ad officium illud peruenerat. Hæc famula effecit solertia sua, vt regina multo laxius seruaretur & tolerabilius haberetur, quam rex imperauerat. Nam vxor Præfecti victa donis & promissis, non vetuit, quo minus puellæ frater ipsum reginæ cubiculum ingrederetur;

cuius

cuius hæc bona ac fideli vsa est opera, in nuncianda Poliarcho calamitate sua in quam non alia sane incidisset causa, quam quod oratione ad regem habita Gallis fauere visa fuisset enixius.

CAPVT SECVNDVM.

PERIOCHE.

GElanor à Poliarcho mittitur ad Iberorum reginam. Rex cum Ambiodorige in Galliam profecti, Ruscinam oppidum obsidione cingunt. Cuniculi hostium acti irrito conatu. Proditio detegitur de oppido inimicis dedendo. Cauenses deditionem facere volunt.

FOrte sub ipsum Archombroti & Elisæ aduentum, adfuit nuncius à regina Iberorum missus, captiuæ conditionem sane miserabilem exponens, opemque rogans. Adfuit tempestiua Elisa, petentemque auxilium mirifice apud fratrem suis adiuuit suffragiis, cum prolixe reginæ in se deprædicaret beneuolentiã. Victus vtriusq; oratione Poliarchus, constituit apud animum suum, non aspernari supplicis preces, vtique reginæ. Huic rei destinatur Gelanor, qui profectus opem captiuæ ferret, eamque certam faceret de prospero Elisæ in Galliam aduentu. Et hic quidem iter ac mandata capessens viæ se dat. Nondum ad Iberiæ fines peruenerat, cum aliud attulit Gobrias nuncium: non quidem Annibalem ad portas, sed Iberorum regem cum Ambiodorige adesse ad fines regni, & ingentes post se trahere copias.

Ex templo conuocati proceres, consulere in medium iuben-

iubentur: duces vero dare operam, ne quid detrimenti respublica caperet. Rogantur sententiæ: ibi primus Archombrotus conceptis verbis iurauit, non se perfecturum matrimonium suum, antequam nuptialem oliuæ corollam sertumque myrteum luporum illorum sanguine cruentasset, qui Elisam suam tot modis pessime habuissent. Aut igitur moriturum se, aut auulsum ceruice Argantonii caput amicæ oblaturum, quod ipsa sacrificet Amoribus. Præeuntem verba sequitur Poliarchus: hunc cæteri omnes, quotquot Concilio intererant, non magis parsuros suæ quam hostium vitæ: & cum dicto, soluto Senatu dilapsi, quisque pro se nititur, vt quam exercitatissimos cogat milites.

Dum autem cum Poliarcho rege Proceres Galli toti sunt in scribendis legionibus, euocandis veteranis, exercendis tyronibus, habendis diribitoriis, muniendis aduersum hostilem accessum finibus: nunciatur, Iberos iam regni limites ingressos, magnisque itineribus superatis Pyrenæorum montium iugis in decliuia descendisse. Ibi diu variatum est sententiis, quo pacto potissimum bellum esset auspicandum. Quibusdam Iberorum placebat, leuis armaturæ expeditos equites campestribus Galliæ locis immittendos, qui ex improuiso, velut impetuosa tempestas, planã agerent ferrentq; regionem, ferro ac igne miscerent omnia, & sic aliis quidem terrorem incuterent, alios vero ad defectionem à rege suo compellerent. Hoc feliciter succedente, secuturum ipsum regem cum robore legionum, & victoriæ colophonem impositurum. Erant alii, quibus hæc gerendi belli ratio minime probabatur, cum parum expedire dicerent, Gallos leuibus hisce excursionibus irritare: metuendum enim esse, ne omni in vrbes ac oppida conuocata iuuentute & congesto commeatu, exercitui alimoniæ defectum opponerent, oppidaque ac castella opera

manuque munirent, cum in iis inclusis aut vincendum aut moriendum esse intelligerent. Sentiebant alii Gallos contemto tam lento belli genere, e uestigio prælium commissuros, aut loco aliquo importuno superuenturos Iberis, antequam parare se pugnæ possent. Nondum in cicatricem coaluisse, quæ nupera memoria ab hac gente accepta fuissent vulnera. rem fore plenam extremi periculi, velitaria pugna, sparsisque signis cum hoste tam callido & versuto congredi.

Postremo in eam pedibus itum est sententiam, vt vniuerso coacto exercitu totisque legionibus ac magno agmine ingrederentur Iberi, nec præconsumerent excursionibus ac velitariis conflictibus vires. Sic perrexerunt superatis pyrenęi montis iugis Iberorum copiæ, donec seruatis ordinibus peruenerunt ad Ruscinonense oppidum, haud procul ab ea vrbe, quæ posterioribus seculis Perpenniani nomine notior fuit. Sumebant autem sibi Iberorum milites ingentes animos ex absentia Poliarchi, vt magna alacritate omnique calcata mora exostras, sambucas, scalas, cæteraque ad conscendendos muros instrumenta fabricarent admouerentque. Reperti sunt inter eos, qui non ita diu è Gallia domum reuersi, etsi infelicis pugnæ adhuc stigmata facie ac corpore circumferrent, ausi tamen sunt, velut obliti priorum vulnerum, ad ipsas vsque portas oppidi accedere, easque partim arietibus musculisque aggredi, partim dolabris asciisque pulsare, aut vectibus moliri, si qua ratione aditum sibi conficere possent.

At obsessi, etsi non omnino extra periculum essent, minus tamen formidabant, quod muniti loci firmitati multum confiderent. Quod si vel locus vel res manus posceret, valide se defendebant, multa virtutum edentes specimina, ostendebantque, nec vires sibi, nec animum, neque postremo artem deesse ad tuendum oppidum.

pidum. Quamuis autem ſatis arcte obſiderentur Ruſcinonenſes, inuenit tamen Gobriæ ſedulitas viam, qua is ingrederetur oppidum, lætumque ciuibus de Poliarcho cum copiis aduentante afferret nuncium, deque Siciliæ rege in auxilium eorum properante. Hic vir vbi in oppidum venit, facile animaduertit fraudulentos hoſtis conatus, qui non ſatis celare poterat, quam verſutiam agitaret animo. Cum enim ſubterraneis foſſis mœniorum fundamenta ſubruere niterentur Iberi, hac ratione cuniculos eorũ deprehendit, ciuibuſq; detexit. Magnum numerum peluium ænearũ ac tintinnabulorũ hinc inde diſpoſuit, quæ impulſæ fodientiũ ictus redderent, eoſq; accuſarent, quo loco potiſſimũ foderent. Detecta hoſtiũ machinatione, placuit præſidiariis, contrariis cuniculis eorum ſuffoſſiones deſtruere. Succeſſit hæc res obſeſſis ex ſententia, vt priuſquam videri aut audiri poſſent, omnia hoſtilia opera euerterent, diſſiparent, ac ſurſum verſum agerent, redditiſque inutilibus obſidentium inſtrumentis atque toto conatu, trucidatis inſuper nonnullis, in vrbem reuerterentur.

Videns Iberus detecta ſua conſilia, eluſa machinamenta, oppidanos ſe ſumma vi defendere & oppidum per omnia extrema conſeruare conſtituiſſe: alia via eos aggrediendos exiſtimauit, quamuis conſilio non minus inutili conatuque irrito: id autẽ erat, tentare, an præſidiarios auro corrumpere, vtque ſibi dederent oppidum donis muneribus perpellere poſſet. Et erant qui illi ſuggerebant Philippeum illud

Ἀργυρέαις λόγχαισι μάχου, καὶ πάντα κρατήσεις.

Nec fugiebat hominem, plura oppida atque arces auro quam ferro expugnatas. Sic igitur ipſe ſecum: vires tuas contemnunt, artes eludunt, minas rident:

Aurum per medios ire ſatellites,

Et perrumpere amat saxa potentius
Ictu fulmineo--------

Hoc igitur vtemur, gnari quanta fames auri mortalium obsideat animos. Tentatis igitur militum populique ad proditionem animis, repentino percellitur nuncio, aduentare magnis itineribus Poliarchum, & iam non longe cum Gallorum exercitu ab suis abesse copiis. Tempestiue quidem hoc, nec sine exquisito numinis fauore. Parum enim deerat adhuc Ibero regi, quin ad consiliorum suorum summam peruenisset. Quidam enim primo loco inter ciues, cum turpibus desideriis frena laxasset, venalem Argentonio præstare decreuerat operam, victus magnitudine munerum, quæ ab eo offerebantur ita miser lucrum priuatum totius patriæ saluti turpissima ratione præferre non dubitabat. Vt autem pernitiosæ illæ sponsiones quam occultissime inter eos intercederent, delecto ad colloquendum loco secretissimo, iam de proditionis precio aurique summa, ciui illi ab Iberorum rege persoluenda agitabatur. Iam conuenerat inter eos, videbaturque nihil nisi consiliorum effectus desiderari: cum Fortuna, quæ toties Gallorum rebus fauerat, diu dubitauit, probaretne facinus an secus? Non tam facile expediuntur proditiones cæteraque flagitia, quam concipiuntur. Sceleris cogitationem ingens formido comitata est, metuente nundinatore illo, ne detecto proditionis ac conspirationis cum hoste consilio, ipse primus omnium interiret, grauissimasque tanti criminis pro populo pœnas lueret.

Rumpere seras portarum, frangere obiices, amoliri vectes, egredi vrbe, dare hostibus locum aditumque, res tales videbantur, quæ non solum difficilime perfici, sed absque euidentissimo vitæ periculo ne tentari quidem possent. Maior erat omnium rerum harum firmitas, intensior vigilum cura, excubitorum militumque

saga-

sagacitas, quam vt sibi tale quid certo polliceri posset. Inuenire sceleris tanti socios, fidem silentio præstituros, difficile erat: perpellere eosdem, vt excitata seditione populari, concitatoque nocturno tumultu, principibus ciuitatis iugulum præciderent, omnem spem hominis superabat. Notum quippe erat ei, quid tantopere deprædicata Gallorum fides admitteret, quid non: nec inter eos quenquam tam vilis & abiecti fore ingenii, qui in tam fœdi flagitii societatem consensurus esset. Contra vero in omnium vultibus lucere videbat mirum defendendæ patriæ ardorem, cui, si eam in auita libertate conseruare non possent, ne superuicturos quidem, sed gloriosam pugnando in hostem oppetituros mortem.

Oppidum ipsum situ erat inæquali & montoso, extructum ad radices Pyrenæi montis, super rupem satis editam, quæ res faciebat, vt fontibus & commoditate è proximo fluuio aquandi prope destituerentur incolæ. Neque sane in toto oppido erat nisi vnus puteus, medium illius fere obtinens, magna maiorum diligentia & artificio saxo incisus. Non tam promiscuis hic seruiebat populi vsibus, quam belli necessitatibus: qua cogitatione compulsi veteres eum foderant, prouidi fore, vt aliquando ciuitas obsidione pressa, aquatione ab hoste prohiberetur.

Erat in oppido præter ciuium numerum satis magnum, præsidium militum ex iis hominibus, qui Cauares appellantur, estque eorum patria siue natale solum paulo supra Carpentoractenses. Genus hominum hoc ferum est, asperum, bellicosum, vnde non parum amabantur à Poliarcho, qui multum tribuebat eorum in armis vsibus fideique, quarum rerum iam antea perceperat experimenta. Istud saltim in ea gente improbabatur, quod magis dedita esset peregrinis ritibus superstitionibusque,

busque, quam Gallorum natiua simplicitas & candor permittebat.

Certis enim anni diebus, ab omni carnium esu in vniuersum abstinebant, id honori habentes Dianæ, quam eo tempore olim ab Apro immanis magnitudinis percussam sau iatamque asseuerabant, cum eum in festo telo sequeretur. Erant autem tam pertinaciter addicti huic superstitioni, vt non tantum esum carnium eo tempore damnarent, sed & abhorrerent penitus ab omni re, quæ vel minimam carnis particulam contigisset. Ab horum hominum errore causam sibi sumsit proditor ille, exequendi perniciosum suum consilium, nihil dubitans, Cauares, si cadauer in puteo conspexissent, siue ibi extinctum fuisset siue non, quamuis potius pacificandi conditionem admissuros, etiam turpem & perniciosam, quam è puteo illo aquam bibituros. Nec fefellit perfidum opinio, quam conceperat. Nocte enim sequente, obseruata solitudine captam iugulatamque felem in puteum proiecit. Quanquam autem secrete id faceret, cauere tamen non potuit, quin sonus è lapsu animantis in aqua excitatus, ad vicinorum aures perueniret: qui vix expectata posteræ diei luce accurrerunt, vt quid factum fuisset, contemplarentur.

Visa autem rei fœditate, continuo per totum oppidum diuulgata fama, magnam populi consternationem excitauit, indignantibus omnibus, & tam turpis facinoris authorem perquiri adque supplicium dedi clamitantibus. Qui cum non appareret, res minimum quantum aberat à seditione populari, frendentibus vniuersis, tantum maleficium dimitti impunitum. Cauares autem inprimis, cum initio ingenti excanduissent iracundia, deferuescente illa in mœrorem & tædium soluebantur, de se potissimum actum esse dicentes; citius moriendum siti, quam soluendam religionis patriæ consuetudinem,

Inde

Inde cum ad signa concurrissent, proditos venditosque se à ciuibus clamare, minari Gallis, quibus satis nota fuerit eorum à carnibus & cruentatis aquis, siue lomentis potius, abstinentia. Iam nihil restare, quam vt velut pecudes Africanæ aut iumenta Æthiopica siti crudelissima enecarentur.

An non hoc videtur tibi monstro simile, Lector, inter tot milites ne vnum quidem repertum, qui pluris fecerit, seruatæ ciuitatis decus, quam haustum aquæ immundioris? vel qui magis horruerit externum iugum turpemque seruitutem, quam leuem ex superstitione natam labrorum pollutionem? Hi homines, qui omnem religionis suæ proram puppimque in abstinentia carnis collocant, de ventre tamen eiusque farctura pertinacissime disputant: maluntque vitam cum morte mutare, quam pocillum aquæ puræ cum impura. O dementiam! Quidam vero inter eos ferociores eo insaniæ deuenerunt, vt alta voce clamarent, incendendum oppidum, ardentibusque tectis eruptionem validissimam faciendam, & vel euadendum per medios hostilis aciei cuneos, vel si id fortuna neget, armatis honeste occumbendum: quicquid sit, siti interire minime placere. Horum tamen malorum omnium leuissimum visum est iis, agere cum hoste de deditione oppidi: quod consilium cum plerisque placuisset, paulatim acquieuit innata illis ferocia, mitiusque omnia deinceps ab iis acta sunt.

CAPVT TERTIVM.

PERIOCHE.

Gobriæ oratio ad tumultuantes Cauares. Cogunt eum seditiosi vi, vt se dedat. impetrat tridui

 dilatio-

dilationem. Interim euadit, & ad Poliarchum proficiscitur. Rex assumto sibi Archombroto accedit ad oppidum. Eius ingeniosum artificium, quo deprehendit proditorem, supplicioque affecit.

Excusserat tantillæ rei superstitiosa formido iam prope omnem è militum animis vigorem, qui in cæteris ad quemuis impetum & periculum videbantur feroces & intrepidi; deserueratque iam fides corda illorum, qui tam eleganter consulere se conscientiæ suæ arbitrabantur, inclinantibus iis ad Iberorum partes, quibus non adeo irati habebantur, vt superioribus diebus, quorumque non surdis auribus videbantur admissuri colloquium. Et legebantur iam ex omni eorum numero tam fœdæ rei interpretes, qui irent ad Argantonium, vt de conditionibus dedendi oppidi cum eo agerent, quas vt iniquas & ignominiosas paulo ante magno cum contemtu & arrogantia repudiauerant.

Longe autem inferiores numero erant ciues, quam vt tam male sentientibus præsidiariis se opponere, eorumque conatus retundere possent, cum nec eos trucidare, ne oppido expellere promtum foret: quod postremum, si vel maxime ex sententia succederet, videbant tamen fore, vt destitutis præsidiario milite ciuibus, redactisque ad eam imbecillitatem, impossibile esset, tueri ab hostium validis insultibus ciuitatem. Tantum in compitis triuiisque conuenientes, non tam quisq; suam quam vniuersorum lamentabantur conditionem, acerbitatem peregrini iugi abominantes. Hinc reuersi ad milites, eorum nunc accusabant perfidiam ac leuitatem, nunc detestabantur stultitiæ plenam superstitionem. Or[illegible] tamen votum in vno erat Poliarcho, cuius

tam

tam diuturnam lugebant abſentiam, increpitantes ſubinde eum, quod & vitam ſuorum ciuium & oppidi ſalutem huiuſmodi hominum credidiſſet fidei & patrocinio, qui per ſtoliditatem omnia peſſundare niterentur. Eum igitur adeſſe cum ſuſpiriis optabant, vt habita ratione tam fidi oppidi præſidiariorum compeſceret inſolentiam.

Gobriæ autem inprimis acutis ſtimulis pungebatur pectus, cum rem communem in tanto verſari cerneret periculo. Nec enim dubitabat, quin illa aquæ putealis corruptio minime fuiſſet fortuita, ſed ſtudio procurata à nonnullis, qui in hoſtiles partes inclinarent: clamabat igitur aperte Proditionem ſe animaduertere eſſeque qui cum inimicis de oppido dedendo clandeſtinas agitarent conſpirationes. Huic rei vt mature occurreret, primum omnium prohibuit, ne quis de cætero vel ageret vel loqueretur quicquam cum Argantonio, niſi ſe præſente, conſcio atque arbitro colloquii. Hac lata lege, cum conuocaſſet concionem militum, iuſſa quoque in foro conuenire cætera multitudine, conuerſus ad Præſidiarios, indictoque ſilentio, ad hunc modum eos eſt allocutus.

DEVM immortalem, Milites! adeone infirmis veſtra in Regem noſtrum fides nititur fundamentis, vt ſceleratiſſimus ille proditor, eodem labore ac facilitate diſſipare potuerit veſtram animoſitatem, abolere vigorem mentis, infringere fortitudinem, labefactare conſtantiam in toto prope orbe terrarum decantatam, qua corrupit aquas illius putei? Niſi quæ intemperies aut furia ab ſtygiis latebris peruertit veſtros ſenſus, haud equidem ſcio, cur vos perditum ire debeatis. Huc enim, ſi qua fides, Viri fortes delapſi ſumus, vt ſi præter omnem

omnem rationem & necessitatem velimus esse plus iusto obseruantiores nescio quorum rituum ac ceremoniarum, id est, superstitiosi; abiicienda sit ex animis nostris omnis honestatis cura, fides, pietas, virtus: cum videamur, malle à toto mundo appellari ignaui, perfidi, proditores, quam parum scrupulosi. Præsens seculum ridebit nos, futurum mirabitur, hostes ipsi detestabuntur hanc fidei lubricitatem & leuitatem animorum, ridebuntque stoliditatem, qui tam leui de causa à virtute desciuerimus.

Quid porro deinceps sanctum erit, quid securum, quid integrum, quid inuiolabile inter mortales, si vos hæc omnia pessimo ad posteritatem exemplo ignauia vestra sustuleritis? Quis vnquam tam rudis aut imperitus rerum futurus est hostis, qui non possit velitque omnibus modis nocere aduersario, si viderit fraudibus ac corruptelis suis tam elegantes respondere successus? Quorsum vos putatis, Milites, maiores nostros tanta diligentia mœnibus clausisse oppida, vallo ac fossa cinxisse, munimentis nouis firmasse, obstruxisse aditus, imposuisse præsidia, comportasse arma, disposuisse ad defensionem sui in maris machinas: si cum leui mutatione temporum etiam mutandi sunt animi, abiicienda fides? Quid igitur facturi fuissetis, si inusitatus & feruentior aliquis Solis calor vel corrupisset vel exsiccasset putei illius aquas? si qua pars turris illius vicinæ fortuita ruina in eundem puteum collapsa, cum ruderibus, saxis, cæmento, terra oppleuisset? quid enim hic sit differentiæ, equidem non video. O superstitionem

nem perfidia plenam! ô leuitatem animorum! ô cæcitatem noxiam! Nos quidem de libertate, id est, salute huius ciuitatis contemtim & aliene loquimur quasi res sit exigui momenti.

At vos O generosa Gallorum pectora, nonne conueniebat, ad vltimam vsque sanguinis guttam in hostes pugnare? nonne satius, nonne gloriosius fuerat, confectos vulneribus, exsangues, semimortuos, pedibus arreptos ab hoste extra vestra trahi mœnia, quam integros, validos, obesos, ad arbitrium superbi Iberi portis exire, deditities victosque? Vultis vt verum dicam? Nos nos ipsi inuitamus ad possessionem huius loci inimicos: nos eum instruimus, quo pacto nos inposterum vincere debeat: nos libertatem nostram imus perditum, ob concham putealis aquæ: neue delicata nostra labra haustu aquæ non satis puræ proluamus, parū putamus, si omnia iura diuina & humana polluamus. Ne autē cogitetis, milites, aut vobis ipsis persuadeatis, non hoc esse vestrum oppidum, non vestrum domicilium, non patriam. Imo Vestrum est Ruscinonense oppidum, postquam vestræ concreditum est custodiæ. Vestram elegit Poliarchus fidem, cui ipse fideret, de vestra ipsi constabat constantia. Scitis quid sit depositum fallere? Oppidum, quod vobis Rex in manus tradidit, hoc ei vicissim in manus tradite, non Argentonio: principi suo reddite ciues, non hosti. Abiicite igitur, Viri fortes, infelicem istam & noxiam opinionem, furiosum istum & immoderatum impetum, ex defectu rationis & consilii ortum, neque falso necessitatis nomine appellate vel excusate factum tam execrabile.

Sed

Sed esto sane, ite ad Argantonium. at quo vestro bono id fiet? quid si is vos respuat à tractatione pacis? quid si in deditionem recipere nolit? quid si receptis ne vitæ quidem præstare incolumitatem dignetur? Quid si Ambiodorix, cuius estis sequuturi partes & imperium, hic vos in præsidio manere iubeat? quo alio aut limpidiore fonte proluetis curiosa vestra guttura, quam eadem illa puteali?

Non possum mihi ipsi imperare, milites, aut persuadere sensibus, cum video vos violatæ fractæ fidei crimen inter minora delicta computare. Non possum temperare à lacrymis, cum cogito, qua vos affatus fuerit Rex noster oratione, tunc, cum vobis vrbis huius defensionem concredidit. Deum immortalem, Milites: estisne vos tam cito obliti ea omnia? audebitisne tanti Principis contemnere preces, aspernari mandata? Vbi nunc sunt magnificæ illæ promissiones? vbi iactantia plenæ voces? vbi contemtrices hostium minæ? Vbi est vsitata vestræ genti animæ prodigalitas? vbi pectora deuota patriæ? vbi contemtus mortis? Quid vos transuersos rapit? eadem nos tuentur mœnia, iisdem vtimur armis, iisdem viris, omnia sunt integra, nihil vacillat, nihil nutat præter vos. Hæc nisi me animus fallit, breui tempore mutabuntur omnia. Muri isti receptaculum erunt hostium nostrorum: homines præstabunt fidelitatis iuramentum violento Tyranno: arma ista seruient ad exornanda eorum, quæ nobis deuictis erigent hostes, trophæa: ad condecorandos Iberorum triumphos, qui iam olim in nostram iurauerunt

perni-

pernitiem. Quid si forte Poliarchus haud procul hinc absit, accepto iam de proditione vestra tam detestabili nuncio: quid cogitabit ipse? quid dicet vniuersus eius exercitus? Vos accusabit vniuersa prouincia: vos primi eritis, qui fidem falletis Gallorum Regi: vobis acceptum ferent omnes quicquid acceperit in posterum regnum istud detrimenti. Ponite vobis ob oculos huius flagitii turpitudinem, dum licet, dum vestri iuris estis, & conseruate vos vobis ipsis. Defendite vitam ac libertatem eorum, pro quibus arma sumsistis, præstate integrum vestrum honorem & existimationem. Videte ciuium oculos lacrymis manantes, nam corda eorum indignatione & tristitia plena videre non potestis. Intuemini me, me inquam, qui me iam abiiciam prosternamque ad pedes vestros, si permissuri estis, vt ciuibus à vobis exorem veniam, imo potius vobis ipsis errorique vestro. quotquot hic videtis, senes, pueri, matronæ, omnes inquam, puberes, impuberes, nuda vobis, si deliquerunt, offerunt guttura, vt vos in eos potius stricto animaduertatis ferro, quam Iberi. Euge, milites, euge viri fortes, en vobis apertum pectus meum, en præcordia nuda, in hoc recondite mucrones gladiorum vestrorum, vel me machæris vestris illis latis & ponderosis frustillatim concidite. Expellite, si merui, hanc animam, vel etiam si non merui, ne videam duntaxat tam obscænam proditionem. Haurite hunc sanguinem, si forte vobis vel hic liquor vsui esse posit, siquidem alia ratione vestra fides, istud oppidum, hæc mœnia, gloria Poliarchi, fama Gallicani nominis conseruari non potest.

Hæc

Hæc & alia quæ ad rem facere videbantur, Gobrias in medium afferebat, vt erat non contemnenda hominis facundia, si qua ratione stolidos ad sobrietatem posset reuocare militum animos. Vtque experimentum caperet, an verba sua in eorum penetrassent pectora; postquam perorauerat, recto gradu ad puteum contendit, hausitque primus omnium inquinatam aquam, bibitque: post iussit idem facere ciues. paruerunt plerique omnes, etiam qui nulla siti vrgebantur, eo saltem fine, vt exemplo allicerent Cauares. At tantum abfuit, vt hi eos sequerentur, vt ne vnus quidem ex omni eorum numero repertus fuerit, qui Ducem Præfectumque suum imitaretur. Ergo accedens Gobrias singulos, prensauit, obsecrauit, muneribus donisque deliniuit; frustra omnia. Tanta enim erat horum hominum obstinatio, ea superstitionis vis, vt nec minis nec blanditiis vel latum vnguem à proposito atque consuetudine dimoueri possent.

Videns ergo omnem suum laborem esse irritum, coactus simulauit se succumbere tempori & necessitati. Iussis igitur adesse ad prætorium primis Ciuium, Ordinumque ductoribus, cum res longioris moræ esset impatiens, proposita breui deliberatione, iussit eos ipsos concipere leges & certa quædam deditionis capita, quæ ipsi potissimum è re sua futura arbitrarentur: addita hac moderatione, ne offensi istis Iberi, velut iniqua aut noxia sibi adspernandi haberent occasionem. His factis, missisq; ad Argantonium & Ambiodorigem pacis conditionibus, pacti sunt, vt si eas approbarent, triduum largirentur obsessis, quo elapso ipsis tradituri essent oppidum. Nuncius iste mirifice vtriusq; placuit animo, vt iam se dominos ciuitatis Ruscinonensis non dubiæ possessionis arbitrarentur.

Gobrias interea, cui præfectura oppidi à rege commissa

miſſa fuerat, non cunctandum ratus, nihil ad omnem diligentiam ſibi fecit reliqui. Certus enim ad Poliarchum proficiſci, excubitorum numerum è ciuibus duplicauit, vt validiores facti cauerent, ne per ſuam abſentiam, quid tumultus oriretur. Diſcedens igitur ab oppido, cum vix vnius diei itinere progreſſus fuiſſet, offendit Poliarchum. Auditis hic ex Gobria iis, quæ in obſeſſa ciuitate agitabantur conſilia vix ipſe præ admiratione ſatis compos fuit mentis. Rem igitur ſtatim ad Archombrotum detulit, eiuſque ſe oſtendit vſurum conſilio. Sed hic, cum ad tam formidabilem nūcium non minus obſtupuiſſet, quid facto opus foret, nec ipſe expediebat. Obſeſſum ingredi oppidum, vt neceſſarium videbant, ita nequaquam tutum arbitrabantur, ob euidentiſſimum, quod adituri eſſent, vitæ periculum.

At Poliarchi animus, maior omnibus difficultatibus, ſtatuit omnes perrumpere obiices, nec audire tutiora ſuadentes, expedire ratus, ſeipſum vitamque ſuam exponere periculo, quam rerum ante geſtarum gloriam, & Gallici nominis dignitatem, amiſſo tanti momenti oppido. Igitur ſub noctem aſſumto ſibi Poliarchus Archombroto, Gobria, & quibuſdam ex aulæ Proceribus, cum celeribus vſi fuiſſent iumentis, tam promte iter fecerunt, vt ſub ortum diei ad ipſas oppidi portas conſpicerentur.

Nunquam Sol poſt hybernas noctes mane oriens, tantum ſplendoris iubare ſuo infert terris, quantum Poliarchi præſentia miſerorum ciuium animis attulit lætitiæ. Ingreſſus oppidum rex, iuſſis è veſtigio conuenire in Campo Martio tam ciuibus quam militibus, cinctus corona ex vtriſque conſtante, oratione affatus eſt eos, quæ nil niſi regium, graue, plenum auctoritatis & Maieſtatis ſonabat, eſtque tam commode allocutus vtroſque, vt e veſtigio illos quidem ingenti ſpe repleret atque con-

consolatione, hos vero terrore & formidine. Vbi dixisset, quæ visa fuerant, iussit sine mora quendam è seruis in puteum descendere,& extrahere animal,quod hactenus nemo attingere voluerat.Quo facto,adfuere domestici ciuium, noscitabundi, an vel è colore pellis vel aliis notis animaduerti posset,cuiusnam illa feles fuisset. Patentibus quibusdam indiciis, quæsitum est, in quibusnam domibus alerentur similes? Fuerant autem tales visæ in quinque familiis: & quatuor quidem suas adhuc exhibuere viuas:quintæ domus paterfamilias primo negauit,se talem vnquam habuisse. Conuictus calculo vicinorũ de mendacio,respondit, habuisse se, verum eam villico suo dedisse: quod responsum hominem magis suspectum reddidit. Regis familiaribus adhuc cum hoc sermones altercantibus, imperauit Poliarchus, vt domestici eius vocarentur. Et filiola quidem ac ancilla minor, cum felem enectam vix conspicatæ fuissent, & agnouerunt,& tristem animantis casum defleuerunt,quæ se tam bonam in capiendis muribus præstitisset famulam. Deprehensus in aperto crimine,tam perfrictæ frontis fuit veterator iste,vt nihil reueritus,nec sauciatę conscientiæ morsus, nec regis præsentiam, aliis mendaciis palliare scelus conaretur: donec filiolus eius, trium annorum puerulus, interrogatus diceret; vidisse se proximo biduo patrem laboriose persequentem felem, quam vbi nactus fuisset, proripuisse cum ea se ex ædibus, nec eam sibi ab eo tempore visam.

Docet hoc,eos qui res illicitas patraturi sunt, summo studio vitare debere domesticorum præsentiam inprimis liberorum, quibus tenerior ætas nondum indulsit iudicii vsuram. Nam si iis silentium imponas,nitentur in vetitum: si non prohibeas dicere, maius periculum est, ne vltro dicant: & sic nulla ratione tibi consultum erit. Vnde non iniuria de his talibus poëta monet:

ne tu

——— ne tu pueri contempseris annos.

Postremo proditor ille, videns omnia conspirare in suam perniciem, cœlum, terram, vicinos, propriosque liberos, conuictum se de mendacio agnouit, crimen cuius nomine accusabatur, confessus minime est. Fremente autem populo, illumque ad supplicium deposcente, deductus est in carcerem: cumque ad frangendam eius obstinationem tormentis subiiciendus esset, territus atrocitate tortoris, fassus est omnia. Poliarchus illum in crucem sublatum necari iussit, simulque duobus Iberis exploratoribus, qui in vrbe latitantes deprehensi fuerant, gulas laqueo frangi, vt desinerent imposterum nundinari atque licitari ciuitates.

Incredibile memoratu est, quantopere populo placuerit hæc in proditorem animaduersio, quantisque conuiciorum plaustris eundem prosciderint ad supplicium, quod merito subiuit in patria, quam hosti precio vendiderat, & traditurus erat.

At Cauares his omnibus nihil omnino moti, à concepta semel opinione latum pilum non discedebant. Ne autem nihil egisse viderentur, discessuros se vno agmine profitebantur sub noctis silentio ab vrbe, si per Poliarchum liceret: neque dubitare, quin alio loco bonam & fidelem regi sint præstituri operam, etsi id extra Ruscinonem esset, vbi sine aqua viuere impossibile esset. Constituisse enim se firmiter apud animum suum, mori potius, si possint, centies, quam calcata religione patria bibere aquam cadauere inquinatam.

Auditis his Poliarchus totus animo pendebat, cum non inueniret quid faceret. Archombrotus quidem & cum eo non pauci è proceribus, acerbam in obstinatos illos pronunciabant sententiam: puniendos paucos esse, vt exemplo horum territi cæteri imperata facerent. Erant qui ad disciplinam militarẽ Romanorũ rem totam

consolatione, hos vero terrore & formidine. Vbi dixisset, quæ visa fuerant, iussit sine mora quendam è seruis in puteum descendere, & extrahere animal, quod hactenus nemo attingere voluerat. Quo facto, adfuere domestici ciuium, noscitabundi, an vel è colore pellis vel aliis notis animaduerti posset, cuiusnam illa feles fuisset. Patentibus quibusdam indiciis, quæsitum est, in quibusnam domibus alerentur similes? Fuerant autem tales visæ in quinque familiis: & quatuor quidem suas adhuc exhibuere viuas: quintæ domus paterfamilias primo negauit, se talem vnquam habuisse. Conuictus calculo vicinorũ de mendacio, respondit, habuisse se, verum eam villico suo dedisse: quod responsum hominem magis suspectum reddidit. Regis familiaribus adhuc cum hoc sermones altercantibus, imperauit Poliarchus, vt domestici eius vocarentur. Et filiola quidem ac ancilla minor, cum felem enectam vix conspicatæ fuissent, & agnouerunt, & tristem animantis casum defleuerunt, quæ se tam bonam in capiendis muribus præstitisset famulam. Deprehensus in aperto crimine, tam perfrictæ frontis fuit veterator iste, vt nihil reueritus, nec sauciatę conscientiæ morsus, nec regis præsentiam, aliis mendaciis palliare scelus conaretur: donec filiolus eius, trium annorum puerulus, interrogatus diceret; vidisse se proximo biduo patrem laboriose persequentem felem, quam vbi nactus fuisset, proripuisse cum ea se ex ædibus, nec eam sibi ab eo tempore visam.

Docet hoc, eos qui res illicitas patraturi sunt, summo studio vitare debere domesticorum præsentiam inprimis liberorum, quibus tenerior ætas nondum indulsit iudicii vsuram. Nam si iis silentium imponas, nitentur in vetitum: si non prohibeas dicere, maius periculum est, ne vltro dicant: & sic nulla ratione tibi consultum erit. Vnde non iniuria de his talibus poëta monet:

ne tu

——— *ne tu pueri contempſeris annos.*

Poſtremo proditor ille, videns omnia conſpirare in ſuam perniciem, cœlum, terram, vicinos, proprioſque liberos, conuictum ſe de mendacio agnouit, crimen cuius nomine accuſabatur, confeſſus minime eſt. Fremente autem populo, illumque ad ſupplicium depoſcente, deductus eſt in carcerem: cumque ad frangendam eius obſtinationem tormentis ſubiiciendus eſſet, territus atrocitate tortoris, faſſus eſt omnia. Poliarchus illum in crucem ſublatum necari iuſſit, ſimulque duobus Iberis exploratoribus, qui in vrbe latitantes deprehenſi fuerant, gulas laqueo frangi, vt deſinerent impoſterum nundinari atque licitari ciuitates.

Incredibile memoratu eſt, quantopere populo placuerit hæc in proditorem animaduerſio, quantiſque conuiciorum plauſtris eundem proſciderint ad ſupplicium, quod merito ſubiuit in patria, quam hoſti precio vendiderat, & traditurus erat.

At Cauares his omnibus nihil omnino moti, à concepta ſemel opinione latum pilum non diſcedebant. Ne autem nihil egiſſe viderentur, diſceſſuros ſe vno agmine profitebantur ſub noctis ſilentio ab vrbe, ſi per Poliarchum liceret: neque dubitare, quin alio loco bonam & fidelem regi ſint præſtituri operam, etſi id extra Ruſcinonem eſſet, vbi ſine aqua viuere impoſſibile eſſet. Conſtituiſſe enim ſe firmiter apud animum ſuum, mori potius, ſi poſſint, centies, quam calcata religione patria bibere aquam cadauere inquinatam.

Auditis his Poliarchus totus animo pendebat, cum non inueniret quid faceret. Archombrotus quidem & cum eo non pauci è proceribus, acerbam in obſtinatos illos pronunciabant ſententiam: puniendos paucos eſſe, vt exemplo horum territi cæteri imperata facerent. Erant qui ad diſciplinam militarẽ Romanorũ rem totam

reuocabant, decimandos esse præfractos & obedire nescios, ad reliquorum terrorem. Non diffitebatur Poliarchus, ex sua & rei militaris dignitate eos censere, neque se grauare accessurum eorum sententiæ, qui nihil æque odisset, quam crimen istud violatæ fidei. Cæterum tam charam esse sibi vitam militum suorum, vt ad mortem iis irrogandam ægerrime, nec nisi prægnantibus coactus causis, suum mittere posset suffragium. Accedere, quod suppliciis eorum res nihilo futura sit melior. Cum enim non parendi causam prætexant religionem, mortem non alio excepturos animo, quam suaue pietatis suæ præmium. Qui vera se colendi Dei religione imbutos firmiter credant, externa vi aut violentia ab opinione dimoueri non posse. Suppliciis illos tollere velle, frustraneum esse, cum constet, illos inde vires atque incrementa sumere: non secus ac vitem, quæ eo densiores protrudat palmites, quo plures falce putatoria auferantur, vnde nouo vere gemmarum, foliorum, postremo fructuum tanta abundantia. Accedebat, quod illos dimittere & exauctorare nihil erat aliud, quam oppidum destitutum propugnatoribus hosti occupandum, ciues vero manifestæ lanienæ prostituere, quibus hostis ex veteri ingenio nequaquam sit parsurus.

Magni animi, vt omnia, hæc erant in Poliarcho indicia, qui iracundiam, suumque ipsius animum vincere, gloriosissimam existimabat victoriam. Conuocatos igitur milites istud duntaxat recordari iussit, quod Gobriæ polliciti fuerant, ante diem tertium finitum, nihil tentaturos. hoc igitur tempus placidi expectarent, nec præcipiti insania, tantum ciuitati conciliarent detrimenti. Quod si fecissent, se quoque condonaturum illis, facturumque gratiam eorum, quæ in se regnumque suum admisissent.

CAPVT

CAPVT QVARTVM.

PERIOCHE.

Poliarchus egressus Ruscinone oppido, Iberorum hostium copias aggredi statuit partim astu, partim prælio aperto. Hostes, quo pacto acie structa inuadendi. Archombrotus grauiter increpat ignauos milites, pedem ex acie referre volentes.

POliarchus, cum tumultuantes suos sedauisset, statuit hostibus vicissim aliquid negotii creare, quo & ipsi intra sua castra molestiis terroribusque distinerentur. Igitur cum partim sua præsentia, partim orationis viuacitate ciuium in spem erexisset animos, postquam Sol diurna fatigatione fessos in Oceano abluere cœpit equos, assumto sibi Siculorum rege oppido exiuit, non sine manifesto vitæ periculo. Dicto citius coniunxit se cum suo exercitu, qui validis passibus magnoque itinere interea ad oppidum properauerat, vt non nisi quatuor passuum millibus ab hoste abesset. Suis igitur redditus copiis, conuocatis tribunis ordinumque ductoribus, quid illos facere vellet, succincta oratione exponit. Dimissos ab sese, primam noctis partem quieti somnoque tradi iubet, circa medium eiusdem surgere, corpora curare, vnius diei cibaria milites assumere imperat. His peractis, expectare signum profectionis struendæque aciei. Et illi quidem dormiebant; nequaquam autem Poliarchus & Archombrotus, qui misso cum sufficiente fossorum numero Galactione, iubebant, vt campum mille passus à castris hostilibus distantem, fossa valloque munirent, quo se exercitus recipere posset: q[illegible]d is qui-

 [illegible]lem

dem fecit cum minimo tumultu fremituque, hora ab Poliarcho constituta.

Cum enim satis quieti indulsissent & refectioni corporum, iamque nihil expectarent, quam vt conclamarentur vasa; Poliarchus detractos lectosque ab cohortibus promtissimos quosque inter dumeta vepresque in insidiis collocat, alios in syluis, qua mons velut pendulus in decliue vergebat, occulit; vt aditus illic cum cura custodirent. Ipse inter leuis armaturæ equites ima montis insederat, qua is in valles non nimis depressas paulatim subsidit, equestri pugnæ non incommodam fabricans planitiem. Robur autem Legionum Archombroto duci generosissimo attribuit, vt quicquid superesset exercitus, intra munimenta fossasque ductaret, ibique prælii summam expectaret. Cumque non longa verum efficaci omnes ad virtutem cohortatus fuisset oratione, vocatos Bocchum & Arsidam, inter equites facile primos, triginta iuuenes corpore agiles, manu promtos, animo imperterritos, è proximis turmis sibi legere iubet, quibus ad inimica castra accedens tentaret, an hostem extra castrorum munimenta elicere posset, inque insidias protrahere. Ne autem armorum splendor & nitidior ducum habitus proderet consilium, iussit eos abiecto cultiori habitu vulgare sagum militare sumere, vt frumentandi gratia excurrisse viderentur: nec fere quisquam erat, qui non pabuli aliquid equo impositum ante se ferebat, vt fabulæ sua constaret fides. Insistere eos iubebat angustos minusque tritos tramites, qui tamen ad oppidum ducebant, ab ea montis parte, quæ libera erat & à custodia hostium vacua: & vt verbo dicam, tota scena ita structa erat, vt frumentatores ad amussim referrent, qui tentarent oppidum ingredi.

Albescente iam in diem Aurora, non longe aberant ab extremis hostium castris, ab altera campi parte. Excubitores

bitores igitur in ſpeculis conſtituti, cum eos conſpicati fuiſſent, dederunt ſignum, primo excitato fumo, deinde ſublato clamore. At Regii nihil territi incitato ad celeritatem greſſu nihilo ſecius pergebant: erant enim extra teli ictum, nec neceſſaria videbatur aut vtilis eorum fuga. Extemplo quidam equites, vigilum excitati clamoribus, cum ſemiſopiti arma & equos arripuiſſent, frumentatoribus his ſuperuenere, ruſticos arbitrati, qui frumentum alicunde ſurripuiſſent, aut paſtores pecudes peruestigantes. At Galli, conſpecta Iberorum temere irruentium paucitate, conſtituerunt eos pro dignitate excipere. Cum itaque fugam ſimulaſſent, hoſteſque longius à ſuis prolexiſſent, conuerſi ſubito acriter cum iis conſerebant manus. Erant autem cum Bo[illegible] & Arſida lectiſſimi equites, flos iuuentutis Gallicæ, quos Poliarchus ex omni copia ſelegerat, futuros prima inſtrumenta victoriæ. Primo concurſu ſuperiores facti Poliarchiani, præcipiti fuga caſtra petere aduerſarios coëgerunt, cum aperta porta prætoria circa decem hominum millia facta phalange caſtris exeunt, vt equites redire in prælium compellerent, quibus pedites laturi auxilium venerant. Duo enim aut tres ex equitum illorum, qui cum pabulatorib. manus cōſeruerant numero, fuga intra caſtra delati, omnia tumultu & confuſione repleuerant, vtique cum deformia & lata oſtenderent vulnera, vnde omnis exercitus efferatus in vindictam ruebat. Etſi autem duces tribunique prohibere eos eruptione, & ſub ſignis continere omni ſtudio conarentur; fruſtra tamen id fuit, conſternatis militibus, atque temere, vt cuique vel ira, vel contemtus hoſtium, vel vindictæ cupiditas ſuggerebat, procurrentibus, ſine capite ſine ordinibus.

Interim ad Argantonium affertur nuncius, Poliarchum cum copiis haud longe ab ſuis caſtris conſediſſe,

exercitumque eius bono munitoque loco in procinctu ſtare. Statim animaduertit ſenior, procurſum iſtum pabulatorum ex compoſito inſtitutum ab hoſtibus, cum præſertim conſideraret, pugnauiſſe fictitios illos frumentatores longe acrius, quam paſtores præliari par erat: & ipſorum vulnerum amplitudo ac ſpecies peregrina loquebatur, non gladiolis aut ſpiculis ruſticorum facta fuiſſe. Confeſtim igitur ad Ambiodorigem mittit, eumque aſſumere iubet quinque millia expeditiſſimorum equitum voluntariorum, cumque iis eruptionem in hoſtes facere. Adfuere equites, pleni minarum, in fruſta ſe conciſuros ſceleratos illos pabulatores, qui talia auſi fuiſſent, Argantonius his imperauit, vt per totum montem diſcurrerent, ſaltus ac vepreta excuterent, ſi quo loco Galli laterent in inſidiis. His verbis inſtructos rex Iberus ab ſe dimittit, ipſe in caſtra & ad ſtationes excubitorum reuerſus, mittit ab omni parte exploratores, qui hoſtium conatus detegerent, iuſſis centurionibus in ſuo quemque curare loco, & cauere ne ab inſidiis hoſtium opprimerentur.

At Poliarchi pectus hactenus miræ ſollicitudines ſuſpenſum habuerant, ne legiones tardius ſequerentur: cum repente lætus ad eum affertur nuncius, adeſſe cum ſignis exercitum. Ibi mutata cura in audaciam, ſuos bono animo eſſe iuſſit: adſunt noſtri, inquit, ô Commilitones, ſumite cor, capite arma, ite in hoſtem, aggreſſi prælium

Durate, & vosmet rebus ſeruate ſecundis.

Speculatores, quos in edito collocauerat ipſe, nunciabant interim, Boechum & Arſidam ſimulata fuga, abiectiſque impedimentis oneribuſque, egregie ludere ſuam perſonam. Mox afferebant, eos accelerare curſum, Iberoſque laxatis habenis plenoque impetu eos ſubſequi. Rem ex ſententia ſuccedere lætatus Poliarchus, ab ſum-

ab summa rupe, vti conuenerat, signum dat Gobriæ & Archombroto. Gobrias cum vicinum pontem deiecisset, imperat ciuibus militibusque præsidiariis, vt correptis armis se sequerentur, faciendam eruptionem. Hos cum eduxisset, constitit ab vno castrorum hostilium latere, dum interea Archombrotus, qui nihil nisi signum pugnæ expectabat, egressus munitionibus cum robore Legionum, hostem adoriretur. Quo facto tanta in Iberos itum est vi, vt in omnibus castris munitionibusque eorum trepidaretur, paulumque aberat, quin ii qui sub vallo constiterant, in fugam converterentur.

Argantouius, qui de numero hostium primi agminis (nondum enim de Archombroti relatum erat exercitu) cognouerat, audaciam atque impetum Gallorum satis mirari non poterat, nihil tamen dubitabat, quin frumentatoribus istis, qui initium pugnæ fecerant, auxilia, & ea quidem firma, submissa fuissent; aut certe Poliarchum confisum fortunæ in se indulgentia & animi magnitudine, ausum fuisse cum tam paucis militibus de victoria secum contendere. Videns autem Archombrotum cum valido adesse exercitu, mutata sententia consilioque, opposuit aduentanti Maurorum Legionem, qui sponte ex Africa militaturi venerant. Hi congressi prælio cum Siculorum cohortibus, sustinebant earum impetum, ne tam cito per castrorum portas irruere possent. Ab alia parte aliquot Gallorum signa, cum Numidis, quos in armis exercuerat à pueritia rex Maritus Hyanisbæ, cum Iberorum vallum conscendissent, metu ac trepidatione omnia in castris implebant, fluctuabantque iam etiam ii qui in acie constiterant animis, cum viderent, ex oppido globos igneos iactari in eam castrorum partem, vbi seruabantur commeatus & impedimenta. Gobrias enim, assumtis ciuibus Cauari-

busque, magno animo ex oppido eruperat, vt mandatum ei fuerat à Poliarcho.

At Argantonio nec animus nec ſcientia rei militatis deerat, quin ſubinde pugnantibus noua ſubmitteret auxilia, potiſſimum vbi laborabatur. Sed & ipſe aliquando depoſitis inſignibus regiis & paludamento imperatorio, gregarii militis habitum ſumens, immiſcebat ſe præliantibus, vbi id vſus & neceſſitas exigere videbatur. Multum momenti habuit hæc regis promtitudo & periculorum contemtus apud exercitum. Iberi enim, conſpicati regem iam affecta ætate tam fortiter præliantem, partim exemplo partim verecundia adducti, tanto impetu ſe Gallis ſuperfudere, vt inſtar torrentis omnia præ ſe agerent propellerentque, trucidato promptiſſimo quoque ex Archombroti exercitu, vt iam parum abeſſet, quin Siculi Gallique pedem referrent. Quos cum languidius repugnantes videret Rex Mauritanus; quid eſt, inquit, ô vilia capita? fugietisne vos primi, nebulonum & transfugarum lucraturi nomen? an metus mortis vos in mulieres transformauit? annon ſaltem oſtenderis vos viros eſſe (non enim dicam Gallos) qua quidem appellatione vos indignos oſtenditis. At non ego, neque mei, qui me ſequuntur, vobis ſimiles erimus, qui tantum abeſt, vt de fuga cogitemus, vt contra conſtitutum nobis ſit, ingenti precio hoſti vendere vel ipſam ſpem, quam de victoria à nobis reportanda inſolenter concepit. Quis enim dubitat, victoriam in noſtra manu eſſe? quis, inquam, niſi qui neſcit Poliarchum iam viciſſe equitatu, Gobriam cepiſſe impedimenta, & manipulum hominum adhuc circa regem Iberum pugnantium obſtare, vel potius moram nectere, ne iam ſtatim plena perfectaque potiamur victoria,

CAPVT

CAPVT QVINTVM

PERIOCHE.

AMbiodorix cum cohortibus suis præcipitatur in insidias à Poliarcho positas. Vincitur prælio & capitur. Poliarchus potitus victoria, ignoscit Ambiodorigi, eique in gratiam recepto vitam largitur atque libertatem.

TAlia cum prædicaret Archombrotus, non vanus erat vates, neque sine ratione sibi suisque pollicebatur victoriam & felicem consiliorum Poliarchi exitum. Equites enim Ambiodorigis, pabulatores illos proiectæ audaciæ cum cupidius persequerentur, venerunt vsque ad collem quendam, qui latentes in subiecta valle in insidiis regios exquisite tegebat. Ne autem quemquā è fugientibus elabi sinerent, Ambiodorigiani in multas turmas minores diuisi, sparsim eos insequebantur atque peruestigabant, ita vt nullos deinceps seruarent ordines. Quædam eorum manus ad ipsum collem properant, eum occupaturi, dum cæteri per valles suarum rerum satagunt. Vix in summū collem euaserant, cum audito ingenti strepitu & hinnitu equorum, obstupefacti gressum sistunt, adeo perculsi metu, vt verbum proferre non possent. Steterunt igitur immoti, donec subinde maior equorum armorumque tumultus auribus eorum illapsus formidinem eorum auxit. Auditu certius secutum est oculorum arbitrium, re ipsa iam apparente ampliore, quam ipsi crediderant, vnde omnium in fuga animi pedesque. Dum adhunc modum fluctuant, incerti quo se verterent, Poliarchus iussis simul omnibus canere tubicinibus, signumque pugnæ dare, stupore & formi-

formidine, vt fit in periculo ſubitaneo & inſperato, eos magis implet, hæſitanteſque magna vi adortus, pugnare cogit. Facto pugnæ initio Galactio, cum peditibus, qui in inſidiis latuerant, quos per inuia & ſalebroſa montis teſqua raptabat, hoſti ab altera parte ingruit. Cincti ab omni parte Ambiodorigiani, cum neceſſitate potius quam voluntate pugnarent, non aliud cogitabant, quam quo pacto Gallorum furori cedentes fuga elaberentur. Sed cum velut indagine clauſi in orbem pugnarent, regiis omnes vias ſollicite obſeruantibus, pauci omnino ex iis euadendi ſpem habebant. Galli enim omnia circum pedem montis & vicinas valles occupauerant: & ab ſuperiore parte telis tragulisque ſine intermiſſione petebantur. Aut igitur moriendum aut perrumpendum per hoſtium cuneos videntes Ambiodorigis equites, tandem pleni deſperatione mediam Poliarchi aciem concitatis equis, gladios manibus vibrantes, ingenti impetu incurrunt, viam ferro & vi facturi. Sed id fruſtra fuit. Hic enim tam inſanus hoſtium deſperatorum incurſus & viuus pugnandi ardor mirum in modum auxit gloriam victoriæ Poliarchi: quod inde patuit, cum viris fortibus, non cum mulieribus Aſiaticis eum depugnaſſe. Fuit enim hic poſtremus conflictus acerrimus, illis quidem vi perrumpere, deſperata ſalute, nitentibus: his vero arma atque corpora pari ardore erupturis opponentibus. Periere ex Ambiodorigis militibus plures mutuis oppreſſionibus armisque ſociorum, quam ab ipſis regiis trucidati fuerant.

Duo millia prope ex omni numero hoſtium euaſerunt, qui cum fugitiui in caſtra veniſſent, omnia trepidatione & terrore repleuerunt, adeo, vt totus exercitus formidine correptus animum abiiceret. Pugnabatur interim ſtrenue ab Gobria & Archombroto diuerſis locis, durante conflictu ad vſq; veſperam. Cum enim magna

gna Iberorum esset multitudo, multum temporis insumendum erat Gallis in illis mactandis iugulandisque.

Enituit hoc in prælio cumprimis virtus Archombroti, qui cum miram in supplendis ordinibus ostendisset rei militaris peritiam, non tamen minus erat manu promtus, discurrensque per omnem aciem, vel Argantonium vel Ambiodorigem quærebat, vt vel alterius vel vtriusque cruore infestam imbueret ac satiaret lanceam. Et de Ambiodorige quidem frustra erat spes eius. Is enim cum fuga elabi conatus iam in eo esset vt euaderet, à gregario milite infesto gladio occurrente sistitur. Ambiodorix indignat⁹, dum militem confodere sibique viam aperire molitur, commodum superuenit Poliarchus hominemque arreptum ceruice, humi prosternit, nullo illato alio vulnere. Cumque se dedisset victoris arbitrio, repositus in equum, captiuus iam iure belli, duabus equitum centuriis custodiendus traditur, donec finito prælio de ipso constitueretur.

Posttremo Archombrotus, cum procul vidisset Argantonium in conferto agmine pugnantem, suosque cohortantem, lætatus illustre sibi pugnæ genus offerri, incitato calcaribus equo, currens per sanguine ac tabo madentem campum, calcatisque mortuorum cadaueribus, in ipsum Iberorũ cuneũ irruit, prostratis deiectisque qui obstabant, ingenti robore omnibus, militibus, armis, equis. Argantonius conspicatus hunc tanto ardore in se venientem, quanquam ætate prouectior, hosti tamen tergum vertere noluit, sed imperterrito animo ei occurrens, alte sublatum gladiũ in eius caput vibrauit.

At rex Siculus occupato illi prior incurrens, infestam lanceam tam valide thoraci eius ferreo impegit, vt deiecturus omnino eum fuerit, nisi hastile confractum dissiliisset. Expertus hominis impetum rex Iberus, nescio quæ verba ad ipsum profert. Archombrotus, non confabu-

fabulandi sed feriendi tempus esse dicens, illi porro instat. Indignatus Argantonius, prægrandem gladium summa vi eleuans, scutum aduersarii tam valido ictu ferit, vt id in frusta comminueretur, vulnerata insuper Archombroti manu. Sensit & Archombrotus vim aduersarii, qui illo tam violento ictu adeo impulsus fuit, vt nutaret, nec longe abesset, quin euersus ephippio ab equo prouolueretur.

Cum autem se collegisset, apprehensam vtraque manu machæram tam insano ictu in galeam hostis deiicit, vt toto corpore pronus inque collum equi sui inclinatus, Archombrotum ad accedendum propius inuitaret, qui excussa omni mora, impulsum dextera seniorem, equo præcipitem humi sternit, vbi oppressus armorum pondere & altitudine lapsus concussus, purpuream vomuit animam.

Vix auditum fuerat in castris Iberorum, Poliarchum præsto esse, cum simul cædes Argantonii, captiuitas Ambiodorigis, incendium impedimentorum, fuga exercitus, male repugnantibus adhuc Iberis nunciata, penitus eorum deiecit animos. Gallorum enim rex, cum inter spissos præliantium comparuisset cuneos, vel ipsam Fortunam coegit, lapsantem hactenus & ambiguis errantem passibus, penitus in suas transire partes. Quicquid enim ex omni pugnatorum supererat numero, abiectis armis, victos se professi, victoris implorabant misericordiam, ipsa experientia se didicisse affirmantes, fatale esse, Iberos à Gallis vinci. Poliarchus, etsi iure dicere posset, veni, vidi, vici; tanta tamen in hac tam illustri victoria vsus est animi moderatione, vt reuerenter habita Fortuna, gaudium lætitiamque intra decori cancellos contineret: nec enim soli sibi omnem secundi prælii laudem arrogabat, sed concessa magna illius gloriæ parte Archombroto, magna solertiæ & virtuti ducum tribuno-

rumque,

rumque, quos vocatos, in corona militum laudibus affecit, donatiuis ornauit: Cauares insuper increpuisse solum contentus, quod eorum culpa in summum adducta fuisset ciuitas periculum: etiam Ambiodorigi raro exemplo delictorum gratiam facere constituit. Vocatum igitur ad se, primo vita, deinde libertate se eum donare dixit. Cumque virum verbis corripuisset, quod res illicitas affectare hactenus ausus fuisset, quodque vi potius & armis quam iure experiri secum maluisset: promittentem erroris correctionem in verba sua adegit, facturum inposterum officium, bonamque ac fidelem regi deinceps in patria præstiturum operam, honoribus insuper donisque magnificis auxit. Et talia quidem facientem Poliarchum, non deerant, qui modum limitesque humanitatis supergressum incusarent; vtique postquam insuper hominem in Liguriam abire permisit, vbi affectus suos, coniugem, liberos, potissimamque thesaurorum suorum partem velut in tuto deposuerat.

CAPVT SEXTVM.

PERIOCHE.

Poliarchus profligatis hostibus solutaque obsidione potitus victoria, Ruscinonem ingreditur; grates persoluit superis facta supplicatione ad templa. Gelanor ex Iberia reuersus, narrat quid sibi in illo itinere acciderit. Reginam Iberiæ populus Hispalensis indigno carcere eximit, quæ sui iuris facta, Gobriam magnifice excipit, pollicetur que, venturam se ad inuisendum Poliarchum Regem.

Interea

INterea dum Poliarchus rex victricia arma triumphabundus per Galliam circumfert, factorum eius magnitudo & gloria nominis per omnes populos atque gentes disseminatur,

A Sole exoriente supra Mæoti paludem.

Et hactenus quidem obiectum victoriarum eius fuerat Iberia: deinceps eadem materiem præbuit illustrandi thronum eius pacis artibus, vti in sequentibus patebit.

Fusis hostibus, aliis occisis, aliis captis, quamprimum Poliarchus prædam militi concessit: nihil antiquius religione aut placandis habuit Numinis aris. Ingressus ergo Ruscinonense oppidum, cum sacra fecisset dîs Galliæ tutelaribus, supplicationes ad omnia templa indixit, quibus cælitibus redderentur pro concessa victoria gratiæ. Extemplo valuæ aditusque templorum corollis floreisque sertis, aræ vero verbenis cinctæ visæ sunt, interiora cum ipsis adytis spoliis hostium trophæorum in morem ornata, illustrem nec incruentam sunt locuta victoriam: postremo facto suffitu, cum rite adoleuissent, omnia mira fragrantia renidebant. In compitis triuiisque ciuitatis excitati ignes publicam testabantur lætitiam: vt & pueri puellæque passim choreas agitantes & lætum pæana cantantes.

Huic hilaritati commodum interuenit Gelanor, vsus sub hoc ipsum tempus incredibili fortunæ indulgentia. Digressus enim ab vrbe Hispali, quo ipsum Poliarchus ablegauerat, eo ipso die, quo Galli in Iberos secundo facto prælio feliciter depugnauerant, ad Ruscinonensis oppidi portas opportunus adfuit. Auxit Poliarchi gaudium mirum quantum huius viri aduentus, vtique postquã recitauit quanta prosperitate vsus fuerit per totum illud suæ absentiæ tempus. Nec minus ipse delibutus gaudio ob rem bene à Poliarcho gestam, vbi conuenissent

ſent cum Rege & Archombroto præcipua militiæ aulæque capita, hunc in modum eos adorauit.

Scire debes, ô rex, voſque viri Principes, vos in omnibus regnis Prouinciiſque tanti fieri, vt ſola nominis veſtri recordatio formidini ſit pleriſque populis, quos non dubito ſponte ſub leges imperiumque veſtrum venturos, ſi vos velitis. Quod ad Iberorum reginam attinet, fuerat illa quidem incluſa caſtro firmiſſimo, paulo antequam rex maritus cum copiis egrederetur regno. Cæterum captiuitas eius diuturna non fuit. Principes enim ciuitatis, cum parum probarent expeditionem Argantonii aduerſus Poliarchum & Siculos, illo vix cum copiis digreſſo, excitata ſeditione, populum ad arma vocauerunt. Hinc perfracto carcere, eductam reginam libertati reſtituerunt: cui & gubernacula reipublicæ communi conſenſu crediderunt: vt eodem prope momento & captiua, & libera, & abſoluta Iberiæ Domina fuerit. Nec leuis populum mouit ratio, cum prudentiam mulieris & incredibile publici boni ſtudium aperte & multis indiciis animaduertiſſent.

Cum primum de aduentu meo intellexit, poſtquam à vobis me miſſum audiuit, nihil omnino intermiſit, quod ad comiter & opipare habendum Legatum tanti regis facere poterat. Hiſpalim Vrbem nobis ingreſſis, tota aula regia obuiam proceſſit, exceptoſque multis honoribus ad diuerſorium, quod nobis aſſignatum fuerat, deduxit: vbi cum non niſi diem vnum quieti & refectioni corporum dediſſem, poſtera luce ſignificaui conuenturum me reginam. Expectauit illa acceſſum meum regio plane cultu, quo magnificentior vix cogitari poteſt, vt oſtenderet, tantum ſe ab Iberiæ populis in honore & precio haberi, quantum à marito contemneretur. Gaudebat reſtitutam ſe libertati, non tam ſuo nomine, quam vt poſſet vobis gratiam referre pro be-

neficiis,

neficiis, quæ à vobis expectabat, dum adhuc captiua attineretur: gnara, Principem non debere vllam prætermittere occasionem, ostentandi gloriam & magnificentiam suam exteris, vt eos in admirationem rapiat, populum vero in subiectione & obseruantia contineat. Videmus reges non semper coronas suas capite sustinere, sceptra ferre manibus, regale gestare pallium. Quid enim attinet, ad hunc ornatum modum semper considere in Throno regio, & ad nutum seruitiumque habere proceres regni? Cum autem officia exercet regia, aut ea tractat, quæ Diadematis regnique sui honorem tangunt atque amplitudinem, ibi recte faciet, si omnia conquirat, quæ ipsum Magnum, Gloriosum, Formidabilem, Potentem sine pari ostendant. Obseruauerat hoc Iberorum regina, circa quam omnia ad exquisitum & vere regium splendorem erant composita, accedente comitate, qua nos prolixe & dapsiliter habebat, vt ne ipsi quidem optare plura potuerimus.

Cum ei debitam exhibuissem reuerentiam, ipsa vicissim me honoribus donisque regiis cumulauit. Nihil autem adeo in toto Iberiæ regno nobis admiratione dignius visum fuit, ipsa mulieris oratione. Non multa faciebat verba, sed talia omnia, quæ regiam Maiestatem sapiebant. Primum agebat vobis gratias, pro insigni beneuolentia, qua in eam captiuam largiter vsi fuissetis.

Addebat his, nihil sibi vnquam per omnem vitam suauius accidisse, seque in eam potissimum spem viuere, vt vobis vicissim grata præstaret officia. Prædicabat actiones vestras omnes non immortalitate duntaxat, sed & diuinitate dignas, negabatque satis se scire, magisne deberet inuidere fortunæ vestræ, an potius exosculari virtutes, admirari egregia merita, prædicare beneficia. Aiebat se non eo nomine beatam, quod regina esset, sed quod tu, ô Rex, ei etiam ignotus, animi tui ostendisses magni-

magnitudinem,cum in medio cursu felicitatis tuæ non abieceris memoriam calamitatum eius, inque summa illa,qua vtebaris,libertate, recordatus fueris captiuitatis illius.

Quod supererat diei,venatione ferarum consumtum est,in contiguis Regiæ amœnissimis nemoribus, in quibus potissimæ consistebant delitiæ aulæ Ibericæ. Noctis plurimum datum est choreis & saltationi, sine qua peregrinis debitum honorem imperfectum esse vulgo æstimant. Conuiuiorum epulorumque publicorum frequentia modum prope excedebat, si excedere modum est,facere omnia, quæ regina potest ad ostendendam summam animi sui lætitiam. Videns illi in integrum restitutæ omnia cedere ex animi sententia, superuacaneam operam meam in Iberia esse existimaui; accedens igitur eam,petii,vt bona cum illius pace mihi domum reuerti liceret. Contra illa multis verbis asseuerabat,neminem exterum vnquam in regnum eis venisse, cuius æquè delectata fuerit præsentia;neminem vnquam ab regia sua digressum, cuius discessum molestius tulerit. Dolere se cum primis,quod me non pro dignitate exquisitioribus potuisset colere honoribus. Petebat interim à me pauculorum dierum moram: quod incredibili desiderio teneretur videndi hominis, cui tot beneficiorum nomine esset obligata. Vnde facilis esset coniectura, quantopere discruciaretur animo, cum sibi carendum esset adspectu nobilissimi Poliarchi. Cuius rationes & negotia,cum non ferrent,vt ipse, quemadmodum superiori tempore fecerat,in Iberiam veniret: se non passuram labori itineris,sed vltro ad ipsum profecturam in Galliæ regnum.

Conabar ego mulierem, si possem, ab hac sententia deducere,allatis quibusdam in medium de difficultate itineris: sed omnia pericula omnes difficultates con-

temnebat fœmina generosi spiritus, vt frustia me esse intelligens, postremo suaserim, vteretur saltem in hoc negotio consilio procerum ordinumque regni vel aulæ. Promisit se facturam: cumque videret eos ægrius consentire in profectionem, tam commode eis locuta est, vt persuaserit, se iter id cum totius Iberiæ emolumento facturam. Reducturam enim se in gratiam Maritum suum cum Poliarcho rege, & euersuram pestiferos Ambiodorigis conatus, qui cæcus cupiditate alienarum rerum auderet sperare, alienis sumtibus & armis se occupaturum regnum. Has quidem illa profectionis suæ in Galliam Consiliariis suis proponebat rationes: cæterum præcipuam itineris causam intra pectus suum occultabat, quæ erat, vt satiaretur tuo, ô Poliarche rex, adspectu.

Certa igitur inuisere te, dedit se in viam, cui ego me socium adiunxi, vsque ad oppidum Rhodopen, situm in littore Maris vicini haud procul Gerundia, estque id oppidum præcipui inter ciuitates Gothalanicas nominis. Ibi constitit regina, vt intelligeret, quis fuisset finis expeditionis Ibericæ in Galliam, & quid ageretur circa maritum eius: vt edocta de his, maiore facilitate & securitate porro ad te proficisci posset.

Ad hæc verba imis penetralibus pectoris sui motus est Poliarchus, vt vix sibi temperaret, quin madentibus lachrymarum imbre luminibus publice testatum faceret affectum, vtiq; postquam intellexit, quantum laboris & periculi amore sui suscepisset regina potentissima, dolebatque non parum ac miserabatur vicem eius, cuius auribus paulo post tam tristis cæsi ad internecionem exercitus & trucidati mariti esset allapsurus nuncius. Archombrotus asperior minus afficiebatur, qui iure cæsum pronunciabat Argantonium, etsi publicus hostis non fuisset: vel eo duntaxat nomine, quod tam crudeli-

ter

ter habitam Elisam tot modis excruciasset. Non est hoc, inquit, tempus lacrymandi, Poliarche frater: quin tu mulieribus relinquis ploratus istos gemitusque, mollis animi indices, & hoc agis. Caret Iberia rege, cæso Argantonio: destituitur præsidio armatorum, tot interemtis captisque hoc prælio militibus: effudit omnes in hanc expeditionem vires opesque. Istud igitur regnum cum Gallia tua vti coniungas, tibique subiicias labora: quod si nactus fueris, patebit tibi libera & compendiosa in Mauritaniam via, nec vllus per omnem Europam futurus est Princeps, qui non tuam reuereatur auctoritatem & potentiam. At mitiora agitabat intra animum suum Poliarchus consilia, cuius ad clementiam & æquitatem omnes tendebant cogitationes: cumque regis Siculi suasiones ad ambitionem & vim vergerent, animus contra Poliarchi condolebat etiam hosti victo prostratoque, cuius non affectauerat regnum, sed victoriam cum gloria coniunctam.

Cum igitur receptui cani iussisset, maximamque copiarum partem dimisisset, rogauit Archombrotum, vt ipse cum turmis equitum selectioribus maneret apud Ruscinonem oppidum, tantisper donec ipse profectus cum Iberiæ regina collocutus fuisset.

CAPVT SEPTIMVM.

Perioche.

Poliarchus proficiscitur in Iberiam, vt inuiseret Reginam, quæ in occursum eius progressa fuerat. Regina petit pacem marito suo, veniamque. Victum hunc acie cæsumque narrat Poliarchus. Quo nuncio perculsa regina, multis cum lacry-

mis planctibusque deflet miseram interemti necem.

Citius omnium opinione Rhodopen peruenit Poliarchus, cum celeribus vsus fuisset iumentis. Nec regina quicquam magis mirata est, obstupefacta nobilissimi iuuenis virtutibus, cuius non satis deprædicare poterat diligentiam & bonitatem. Non satis assequebatur animo quid hoc esset: videre regem hostem eundemque benefactorem suum intra hostile regnum; qui cum armata manu Iberiam inuasisset, & illius reginam tanto studio conseruatam vellet. His cogitationibus dum se totam impendit, nescia, quid primum quid postremum diceret: nunciatur, adesse Poliarchum, Gallorum regem. Et intrabat ipse iam non facta mora longiore, in conclaue reginæ: quæ stupefacta, cum aliquando in illius hæsisset defixa vultu oculisque: postremo vix verba inueniens, cum admirationis magnitudine prope elinguis facta fuisset; Potuine ego vnquam, ait, potuine ego de te, Domine, vel suspicari fore, vt tu, regum illustrissime, tantum laboris in te susciperes ad inuisendam me, quæ tibi hostis loco sum, si vsitatas Iberorum Gallorumque spectes inimicitias; amica vero & debitrix pro tot effusæ in me beneuolentiæ signis? Itane parum tibi videtur, asseruisse me liberali manu è vinculis Piratarum nisi me etiam è carceris squalore, in quem me parum consideratus mariti rigor compegerat, vendicatam pulcræ restitueres libertati? Si qua fides, Rex, per me non sterit, quin sentires è vestigio, te non ingratæ mulieri præstitisse beneficium: sed magnitudo nominis felicitatisq; tuę omnem referẽdę tibi gratiæ ademit mihi occasionem. Caue credas, Domine, mea culpa factum fuisse, vt Elisa soror tua tam inclementer habita fuerit in meo regno. Per me enim si stetisset, effecissem, vt dicere posset,

ſet, nullam vnquam virginem maiore comitate & exquiſitioribus cultam fuiſſe honoribus. Per ſydera iura, perque hoc deuotum tibi caput, nunquam me conſenſiſſe in bellum illud, quo maritus meus in iuſtiſſima ratione veſtram oppugnatum iuit Galliam. Quin potius, cum meas oppoſuiſſem rationes male ſanis eius conſiliis,& diſſuaſiſſem damnoſam illam pro fugitiuo Ambiodorige expeditionem, mota cum primis ciuium perpetuis querelis lamentiſque,qui indigniſſimis modis ferebant hominem exterum tantum poſſe per Iberiam, quam ſine dubio iret perditum ; id fuit conſiliorum meorum præmium,vt priuata libertate, ex regina captiua fierem,quod nec ipſe ignoras. Adeo non diffiteor, quod iam libera ſum, quod in regio ſolio conſtituta, quod tibi referre poſſum grates, quod te honoribus poſſum dignisque excolere obſequiis : id tuo potiſſimum me debere bono Genio,cuius beneficio illa omnia ſum adepta; non autem Fortunæ meæ, quam ſemper difficilem & moroſam in me experta ſum, & quæ non diſcedet ab iſto ingenio, donec Iberia Gallos habitura eſt inimicos.

Excepit Poliarchus reginæ dicta, oppoſita oratione tam blanda,tam docta & ſuaui,vt neſciret ipſa, mirareturne in Iuuene plus animi magnitudinem, an vero linguæ dulcedinem eloquentiamque. Et vt verbo dicam, nihil hic vtrimque ad ſummam Vrbanitatem, comitatem,beneuolentiam omiſſum eſt. Cum finitum fuiſſet prandium, deduxit regina hoſpitem in iunctos Regiæ hortos,vbi habitis,vt fit,mutuis colloquiis, plurimum temporis datum eſt ſcaphæ, in qua ipſa à Piratis capta, à Poliarcho liberata fuerat. Cæteri ſermones fere erant de captiuitate Eliſæ,de ratione illius liberatæ, de fortitudine militum,de copiis Iberi regis. Ibi regina capta ſuauitate ſermonis & amœnitate morum, ſimulque qui

ex oculis Poliarchi ſpirabat, miro vigore, nactam ſe credens tempus & occaſionem faciendi id, quod tam diu animo agitauerat; decubuit in genua ante Iuuenem, amplexaque eius poplites vtroque brachio, inhæſit ei pertinaciter, donec Poliarchus, qui in ſtuporem raptus fuerat inuſitata illæ reginæ humilitate, conſpicatus facti indignitatem, eam ſubleuauit, negans eam decori rationem conuenientem habere, quæ regina cum eſſet, in ſuo regno ad hunc modum coleret hominem peregrinum, qui in magna felicitatis ſuæ parte poneret, quod tam nobilis & potentis Dominæ frueretur beneuolentia. Surgeret igitur, nec ſe tam humilem oſtenderet abiectamque, erga eum, qui tale nihil ſit promeritus, quique multis nominibus ipſi deuinctus eſſet ob egregia in Eliſam ſororem ſuam merita. Non audiuit ſuadentem talia Poliarchum regina, ſed in eodem hæſit veſtigio, cumque deoſculata fuiſſet manum Iuuenis: ne mireris, inquit, obſecro, regum eminentiſſime, me tibi eundem habere honorem, quem ſtatuis altaribuſque Diuûm alias exhibere conſueui. Si enim animi tui propenſio & æquitas id me facere prohibet, multo magis cogit regni mei ſalus, & tot Iberarum gentium à te dependens incolumitas, quarum lacrymis negare hoc officium non queo.

Imperti, quæſo te, tam immanis erroris marito meo veniam; fac ei delicti gratiã, qui excantatus Ambiodorigis faſcino arma in te mouit. Vtinam digneris diſcere ex me, quibus ille cauſis ad hoc bellum impulſus fuerit; ſcio te potius ad ignoſcendum procliuem fore, quam ad exigendam vindictam. Quicquid autem ſit, ſi nulla alia errori eius irrogetur multa, id ſatis ſupplicii erit, quod tuam irritauit iracundiam, quod populi innocentiam ad lachrymas & iuſtos clamores adegit, quod me miſeram maximis affecit doloribus, quæ ſimul omnia, vt ſpero, ta-

ro,talia ſunt,vt lenitâ tuâ excandeſcentiâ,ad veniam gratiamque delictorum tam mitem poſſint prouocare animum. Ita ſemper videas ſub pedibus tuis tuos proſtratos hoſtes;ita ſemper triumphet manus tua de omnibus, qui auſi fuerint inſano impetu tuis ſe opponere armis viribuſque. Faxint ſuperi, vt flexo ad miſericordiam & indulgentiam mitiſſimo tuo pectore, in gratiam te cum marito meo poſſim reducere, firmamque conciliare pacem inter vtrumque regnum populumque. Quod ſi obtinuero, in cœlum iſſe mihi videbor.

Agnouit facile ex his verbis Poliarchus, nondum accepiſſe reginam de ſucceſſu prælii ad Ruſcinonem, multo minus de cæde mariti regis, quanquam non omnino fugiebant iſta populum. Diu igitur cum ſecum cogitabundus deliberaſſet, non inueniebat quid diceret, redactus ad omnium conſiliorum anguſtiam illis reginæ verbis & commiſeratione digna ignorantia.

Poſtremo, cum ingenue faſſus eſſet, non inuenire ſe verba, quibus orationi mulieris pro dignitate reſponderet, ſubleuatam à terra reginam commodis ſolatus eſt verbis, negans ſe impedimento fore, quo minus pax conſtrueretur, redactis ad concordiam & fœdus vtriſque populis, Gallis Iberiſque, interque ipſam & Poliarchum.

Contremuit ad vltima verba regina, præſagiente neſcio quid infortunii animo eius: & iam pallore, iterum rubore ſuffuſa genas, eccur inter me & ſe dicit fore pacem, non inter maritum meum & Poliarchum? ait. Querenti de marito, reſpondit rex Gallus: ſe ideo locutum, quod malus ipſius Genius & acerba fortuna eum priuauerit vita, antequam ipſe ſuppetias ei ferre potuerit. Nullum vnquam tonitru tam efficax fuit ad perterrefaciendas ceruas capreaſque in Syluis, quam illa Poliarchi verba, ad proſternendas omnes mulieris tam corporis

quam animi vires, quæ destituta calore natiuo, instar mortuæ aut syderatæ inter brachia Poliarchi collapsa est. At iuuenis vocatis extemplo famulis eam in lectulum deportari iussit. Iacuit ibi aliquandiu mediam inter vitam ac mortem calcans semitam: cum autem recepto spiritu nonnihil se collegisset: facto initio à planctibus, gemitibus, lamentisque, diu verba, quibus doloris magnitudinem testaretur, non inuenit.

Postremo vix imperans singultientibus faucibus: ecquid tandem de me facturi sunt superi, inquit, postquam me tot mactauere infortuniis? Mirum, nisi fata me eo fine nasci voluerunt, vt exemplar essem infelicissimæ mulieris, quæ vnquam in terris fuit. Tandem me plane afflixisti, Fortuna, tandem me penitus pessundedisti, postquam me eo orbasti, qui vitæ meæ fuit charissimus. At vos, ô infelices oculi mei, postquam eum non amplius visuri estis, quo nihil iucundius offerri vobis potuit: suppeditate mihi mare lachrymarum, vt in eo facto naufragio peream, sequutura eum, qui meam cum sua perdidit rapuitque vitam. O Cœlites! suntne hi ictus fulminum vestrorum! Et ego quidem præuideram hanc tempestatem; longe tamen illa sæuius immaniusque decubuit in meum caput, quam credideram. Non defuit Argantonio animus ad omnia magnus, ad pericula intrepidus; sed Fortuna Poliarchi, quæ nunquam hostes eius non deiecit, valentior fuit.

Ergo mortuus est charissimus meus Argantonius, & quidem mortuus est Poliarchi hostis. Itane operæ precium erat, mancipare me carceri, vt me non prohibente in apertam rueres perniciem: an vero, ne te pereuntem vltro sequi possem? Captiuam fecisti me, vt tute captiuus mortis fieres sine me? Tibi quidem, ô Poliarche, nouas subinde fortunæ indulgentia pangit laurus ad exornandas corollis tuas victorias: mihi vero Proserpina

tot ferales Cypressos plantat in tumulo regis Iberorum. Non igitur posthac videbo desiderium oculorum meorum? Irane ab regno suo profectus est, illud posthac non visurus amplius? ô Fata indementia! ô Numen superum!

Aut mihi redde meum, vel me quoque conde sepulcro:

Nec enim libet tantæ esse superstitem iacturæ. Quorsum mihi posthac vita, quæ nihil futura est quam luctuosa pallidæ mortis imago? Si quid calamitosarum vota possent, optarem iam me ex hominum sublatam consortio, postquam dimidia mei parte spoliata, æternam adepta sum lugendi materiem. O crudelia Fata, & bis crudelia, quæ viuere volentes mori cogitis, & mortem optantes mori non sinitis! Quanta ista mea fuisset felicitas, si mors mihi contigisset, antequam eam tam sollicite vocaui? non deflerem iam iacturam omnium grauissimam, & quæ reparari nullo possit æuo. Nunc mihi tristitia obiecta est, iam oblatus dolor, cuius finis futurus alius non est, nisi idem qui & vitæ meæ.

Vbi te nunc esse dicam charissime animo meo Argantoni? quo superstite me omnia tenere, omnia possidere credidi: ablato raptoque, omnia quæ habui, & quæ alii vitæ oblectamenta appellant, penitus amisisse. Sola mihi præsentia tua fuit causa viuendi, vt absentia in perpetuos fletus deliquescendi. Postquam enim hic sol meus tam grauem Eclipsin passus est, extinctus, lumine cassus, lugubribus æternisque obductus nubibus: causam non habere me existimo, alterius illius magni Solis vegetabile & clarum lumen adspiciendi,

CAPVT

quam animi vires, quæ destituta calore natiuo, instar mortuæ aut syderatæ inter brachia Poliarchi collapsa est. At iuuenis vocatis extemplo famulis eam in lectulum deportari iussit. Iacuit ibi aliquandiu mediam inter vitam ac mortem calcans semitam: cum autem recepto spiritu nonnihil se collegisset: facto initio à planctibus, gemitibus, lamentisque, diu verba, quibus doloris magnitudinem testaretur, non inuenit.

Postremo vix imperans singultientibus faucibus: ecquid tandem de me facturi sunt superi, inquit, postquam me tot mactauere infortuniis? Mirum, nisi fata me eo fine nasci voluerunt, vt exemplar essem infelicissimæ mulieris, quæ vnquam in terris fuit. Tandem me plane afflixisti, Fortuna, tandem me penitus pessundedisti, postquam me eo orbasti, qui vitæ meæ fuit charissimus. At vos, ô infelices oculi mei, postquam eum non amplius visuri estis, quo nihil iucundius offerri vobis potuit: suppeditate mihi mare lachrymarum, vt in eo facto naufragio peream, sequutura eum, qui meam cum sua perdidit rapuitque vitam. O Cœlites! suntne hi ictus fulminum vestrorum! Et ego quidem præuideram hanc tempestatem; longe tamen illa sæuius immaniusque decubuit in meum caput, quam credideram. Non defuit Argantonio animus ad omnia magnus, ad pericula intrepidus; sed Fortuna Poliarchi, quæ nunquam hostes eius non deiecit, valentior fuit.

Ergo mortuus est charissimus meus Argantonius, & quidem mortuus est Poliarchi hostis. Itane operæ precium erat, mancipare me carceri, vt me non prohibente in apertam rueres perniciem: an vero, ne te pereuntem vltro sequi possem? Captiuam fecisti me, vt tute captiuus mortis fieres sine me? Tibi quidem, ô Poliarche, nouas subinde fortunæ indulgentia pangit laurus ad exornandas corollis tuas victorias: mihi vero Proserpina

tot

tot ferales Cypressos plantat in tumulo regis Iberorum. Non igitur posthac videbo desiderium oculorum meorum? Irane ab regno suo profectus est, illud posthac non visurus amplius? ô Fata indementia! ô Numen superum!

Aut mihi redde meum, vel me quoque conde sepulcro:

Nec enim libet tantæ esse superstitem iacturæ. Quorsum mihi posthac vita, quæ nihil futura est quam luctuosa pallidæ mortis imago? Si quid calamitosarum vota possent, optarem iam me ex hominum sublatam consortio, postquam dimidia mei parte spoliata, æternam adepta sum lugendi materiem. O crudelia Fata, & bis crudelia, quæ viuere volentes mori cogitis, & mortem optantes mori non finitis! Quanta ista mea fuisset felicitas, si mors mihi contigisset, antequam eam tam sollicite vocaui? non deflerem iam iacturam omnium grauissimam, & quæ reparari nullo possit æuo. Nunc mihi tristitia obiecta est, iam oblatus dolor, cuius finis futurus alius non est, nisi idem qui & vitæ meæ.

Vbi te nunc esse dicam charissime animo meo Argantoni? quo superstite me omnia tenere, omnia possidere credidi: ablato raptoque, omnia quæ habui, & quæ alii vitæ oblectamenta appellant, penitus amisisse. Sola mihi præsentia tua fuit causa viuendi, vt absentia in perpetuos fletus deliquescendi. Postquam enim hic sol meus tam grauem Eclipsin passus est, extinctus, lumine cassus, lugubribus æternisque obductus nubibus: causam non habere me existimo, alterius illius magni Solis vegetabile & clarum lumen adspiciendi.

CAPVT OCTAVVM.

Perioche.

Poliarchus consolatione erigit abiectum mærore Iberorum reginæ animum. Narrat quo pacto Argentonius in acie pugnans casus fuerit: nec non de capto Ambiodortge, eodemque iterum dimisso.

Tacuerat hactenus Poliarchus, sinens reginam tam verbosis lamentis suo satisfacere dolori: non inscius, illos non tempestiue consolari calamitosos, qui eos flere & plangere damna sua prohibent. Aiunt enim oppressum dolorem intra pectus incrementum sumere à mutis suspiriis; contra mergi atque suffocari in vdis lacrymis. Neque profecto putandum est, animi imbecillis & delicati indicium esse, lugere mortem eorum, quos in vita charos habueris. Satisfacit sibi ipsi aliquo modo natura, dum exonerat se hoc pacto curis & tristitia, quam videtur cum ipsis effundere lacrymis.

Et huius rei causa noluerat hactenus Poliarchus interrumpere questus & lamenta reginæ, quæ non sine graui causa deflebat tristem mariti interitum, importunum se fore ratus, si illam plorare & queri prohiberet, quam sciret aliquod doloris leuamen inde percepturam. Cum autem illam interquiescere, & pollice ocellos tergere animaduertit, satis indultum acerbitati fatorum ratus, colligentem iam se mulierem, & recipientem errantes nunciique atrocitate dissipatos spiritus ita affatus est.

Scio ego, Domina, illum, qui tuas sit damnaturus lacrymas, aut ignorare oportere causas, aut simul damnare iustiſ-

re iustissimas dolendi rationes, quas homo mortalis in toto hoc vniuerso habere possit. Et alii quidem affectus suos habent limites, intra quos nisi se contineant, fieri non potest, quin in iustam cadant reprehensionem. At amor tunc plurimum laudis mereri videtur, cum plurimum extra constitutas violentior vagatur orbitas.

Habet tamen illa ipsa quoque extremitas suam moderationem, quam obseruet necesse est, si vitio penitus carere velit. Video te, Domina, ad eas redactam calamitates, vt quicquid dixero, minus sit futurum doloris tui magnitudine, & parum efficax ad mitigandam tantam animi acerbitatem. Videntur tamen doloris planctusque tui initia longe esse violentiora & immaniora, quam vt diu durare possint, cum vulgo feratur, nihil nimium fore diuturnum. Ipsum tempus, quod omnibus rebus suum imponit finẽ, moderabitur hosce tam intolerabiles animi tui cruciatus. Videor nimis tarda polliceri: successus tamen certus est, si tuipsa id facias, quod & potes & debes.

Non istud peto, vt obliuione sepelias charissimi mariti tui memoriam, quem tibi fata non temere iunxerunt vitæ socium. Ne sinat hoc exquisitus ille tuus in illum amor, mihi nullo modo incompertus: neque vero te adeo inopem consilii scio, vt hoc consolationis genus ad mentem sis admissura. Istud duntaxat desidero, vt planctus iste tuus rectæ innitatur rationi, maritumq; ita lugeas, vt amasti, id est cum ratione, potiusque tibi ante oculos ponas, te lugere defunctum, quam eum, quo per mortem intempestiuam æternum sis caritura. Etiam tibi atque etiam considerandum opinor, posse fieri, vt abrepta nimia doloris indulgentia aliquid committas, cuius recordatione postea erubescas, cum excusso affectuum imperio, proprii es futura arbitrii. Ostende cum aliis virtutibus visitatam tuam constantiam in hoc tam

graui infortunio, quod si feceris, triumphabis gloriose de ipsa maligna fortuna. Nam

Ridet in aduersis facti mens conscia recti.

Ipsa recordatio tam Generosi Principis, etsi digna est, quæ ad posteritatem propagetur; parum tamen conuenire videtur, vt quod seruiuit illustrandæ illius gloriæ, id faciat ad geminandos tuos dolores. Nisi enim modum ponas acerbitati luctus tui, nemo posthac vel solum Argantonii nomen pronunciabit, quin vereatur ne tibi ægre faciat, cum sciant omnes quam immoderate quam grauiter feras illius interitum. Totus mundus loquetur de incomparabili eius viri virtute atque fortitudine, cuius tot extant illustria documenta. Inerrat adhuc in oculis auribusque hominum eius incredibilis clementia, affabilitas, dexteritas, suauitas & comitas erga summos infimosque, prudentia insuper & vsus rerum mirabilis, cum cæteris dotibus, quæ reges supra reliquos mortales euehunt.

Hi omnes te præsente de eo non audebunt loqui, metu deterriti, ne totidem acerbæ mortis infigant pectori tuo aculeos, quot loquuntur verba. Considera mihi iam, quam eleganti fructu præclare factorum virtutumque sis priuatura defunctum; te vero ipsam suaui recordatione, si ita perrexeris, fatum eius intempestiuis accusare lacrymis. Nemo appellabit eum nomine, nemo ipsius finget aut proponet imaginem, qui non refricet simul vulnus animi tui, qui non simul laniet cor & viscera tua.

Videris mihi nihil hactenus proposuisse tibi sensibusque tuis, quam funestam & lamentabilem istam iacturam: quasi oblita fueris omnis felicitatis cuius ipso viuo particeps facta fuisti. Nisi mihi nota esset sapientia tua, dicerem te istud agere, vt videri posses tibi ipsi delicias facere in tam funesta illius morte. Videris, inquam, adspirare

adſpirare ad inhumanam illam gloriam,qua cupis haberi & æſtimari calamitoſiſſima mulierum ſub hoc Sole. Percuſſit te,regina,aſpera fortuna,læſit, afflixit; an ideo permittes,vt de te conſtantiaque tua deiecta,triumphet diuarum ſuperbiſſima?

At mortuus eſt Rex Iberorum,maritus tuus. At fuerat idem mortalis homo, & ea iam ætate, vt tibi diuturniorem eius conſuetudinem nec optare iure, nec ſperare ſapienter poteras. Quicquid is vixit temporis,in ſummo faſtigio, in ſumma gloria tranſegit: vnde te potius ſolari debet, quod talem habere contigerit vitæ ſocium, quam affligere, quod nunc illi contingat ſuperuiuere. Ipſa Fama tanta in eum vſa eſt indulgentia, vt ingenti clangore ebuccinauerit per vniuerſam Europam virtutes eius, nec contenta hoc, etiam apud exteros reges principeſque formidabilem reddiderit ipſius potentiam.Ego pol,vt de me profitear, Domina,auſim dicere, cum primum eum Hiſpali vidi, vno ſolo nomine infelicem iudicaui,quod ſe Gallorum profiteretur hoſtem.In cæteris nec credidi vnquam, glorioſiorem aut fortunatiorem principem ſub ſole viuere. Nihil autem adeo delibat aut imminuit gloriam eius, quam quod in acie cecidit, cum ſibi hominis iniuſti partes defendendas ſine ratione ſumſiſſet.Sed,donec hac mortali veſcimur aura, nemo eſt ab omni parte beatus. Etiam nos ipſi reges homines ſumus, à quibus humani nihil alienum, nec vllus fere eſt in tanto principum numero, qui non aliquando ab errore aliquo tranſuerſus abripiatur. Oppone iam huic infelicitati glorioſum mortis genus. Mortuus eſt Rex, pugnans in medio ſuorum militum,arma manibus geſtans. Cæſus eſt in acie, à magno rege,poſtquam ingenti precio aduerſariis victoriam vendidit, trucidatis multis hoſtium, vltus ſe de inimicis antequam ipſe occumberet,ſtratus inter hoſtium aceruum.

Hæc

Hæc locutus Poliarchus conticuit. Inerat autem verbis eius tanta Maiestas cum suauitate coniuncta, vt vel hinc eum regem esse coniectura assequi potuerint ii, qui hominem antea non nouerant. Igitur eo orationi suæ finem imponente, cessauit & regina à luctu & lamentis, mutatoque sermonis genere, rogauit Iuuenem, vt narraret, quo pacto interemtus fuisset rex Maritus, & quid de Ambiodorige factum fuisset, post commissum à Gallis secundum prælium.

Poliarchus qui id solum negocii sibi credebat dari, vt reginæ omnibus modis complaceret, orsus narrationem, tanta sermonis suauitate cum grauitate mixta vniuersam percensuit rei gestæ seriem, vt vix tale quidpiam auditum vnquam fuisse credatur: vtque magis tranquillum redderet animum reginæ, & Argantonii honoraret memoriam, adiunxit: si tam felix esse potuisset, vt tempestiue, & antequam eum Archombrotus aggressus fuisset, interuenisset, sine omni dubio prohibiturum fuisse, ne infestis armis congrederentur. Quod quidem sibi factu facile, cum Argantonio causa pugnandi nulla fuerit, sublata iam omni prosperi successus in isto tam funesto bello spe.

Capto enim Ambiodorige, non fuisse, cur rex Iberius pergeret infestis vti armis, cum in eum duntaxat finem expeditionem istam susceperit, vt miseratus infelicem Ambiodorigis conditionem, in principatum hominem restitueret.

Facta mentione Ambiodorigis, regina, interrumpens ipsius filum orationis, percunctatur Poliarchum; ecquidnam de proditore illo fecisset, postquam eum Fortuna in manus eius tradidisset? Cui quæsito Poliarchus ad hunc modum satisfecit. Cum insidiæ nostræ, quas in syluis dumetisque collocaueramus, ex animi nostri sententia successissent, cumque turbatis hostium ordinibus

ipsi

ipsi potius de fuga circumspicerent, quam in nostros pugnarent: militibus meis creuit animus & audacia, vt magna alacritate perculsis instarent, ac fugientes persequerentur. Neque eos aut lassitudo, aut pondus armorum, aut æstus diei, aut numerus hostium cohibere poterant, vt vel pugnarent remissius, aut spem victoriæ prope certam è manibus dimitterent. Videbantur hinc inde tota agmina, abiectis armis signisque palantium, & se insequentibus vltro dedentium. Stabant, imo vix pedibus insistebant, trementibus omnibus membris, fluente sudore per corpus, pallore deformante faciem. Sic factum est, vt quindecim signa maiora in nostrorum peruenerint potestatem: captis mille quingentis tam equitibus quam peditibus. Præda fuit ingens, equi permulti, quæ omnia cessere militibus Gallis in præmium laboris & promtitudinis.

Dignum autem maxime spectaculum, & variantis fortunę euidens præ cæteris testimonium exhibuit Ambiodorix. Non multum temporis effluxerat, cum imaginarius ille Galliarum rex, cinctus Diademate per ipsius vanitatis manus, sedens in solio iniustitiæ, triumphauerat per patriam suam, postea per Iberiam. Incesserat superbo gressu per exercitum, inter applaudentium sibi & gratulantium militum cohortes, pro vero se gerens legitimoque Galliæ rege. At tunc visebatur captiuus, ligatis fune manibus, deiecta, in terram facie, mutus & elinguis, insidens strigoso & pariter calamitoso equo. Hoc schemate ductus est ante me, vt velut in Triumpho duceretur, adspectante toto exercitu, qui prope vniuersus concurrerat, vt satiarent oculos tam luculento spectaculo, & insultarent superbissimo mortalium.

Interim dum ego reuersus in prælium reliquias pugnæ persequor, traditus est Ambiodorix captiuus manipulo

nipulo

nipulo militum fidiſſimorum, vt cuſtodiretur attentius. Eramus iam vniuerſi in eo, vt cum Triumpho Ruſcinonem oppidum ingrederemur, cum me is ſupplex obſecrauit, ne ſe cum cæteris dedititiis & bello captis mancipiis cogerem anteire currum meum triumphalem, daremque hoc generi ac natalibus eius, vt liber nec vinctus incederet. Largitus ſum id homini, iuſſique, vt inter me & Archombrotum ingrederetur medius, equo inſidens ſplendide exornato, non vt captiuus, & ſane vt verum fatear, non habebam eum, vt captiuum, ſed vt ſocium & amicum, dummodo is me ſuum legitimum agnoſceret regem dominumque. Verum longe altioris erat ſpiritus, animique præfractioris, quam vt errorem vllum agnoſceret. Et quamuis me non rogauerit quicquam, viuere tamen eum atque liberum eſſe iuſſi, poſtquam oſtendit mihi, magno ſe deſiderio teneri, redeundi in Liguriam, vbi vxorem liberosq; reliquerat. Sic igitur ille dimiſſus, è regno meo abiuit.

CAPVT NONVM.

PERIOCHE.

Seditio in Vrbe Hiſpalenſi orta, prudentia Poliarchi ſedatur. Conuentus Ordinum regni apud Rhodopen vrbem. Reginæ Iberorum traduntur Gubernacula totius regni: quæ ſe ſuasque prouincias Poliarchi commendat patrocinio. Is mittit Galactionem ad ciuitatem Maſſilienſem. Regis Balearicarum Inſularum aduentus in Iberiam. Gelanor captus amore Iberorum reginæ.

Collo-

COlloquentibus inter se ad hunc modum Poliarcho & Regina vidua, adest cursor, litteras exhibẽs reginæ à præfecto ciuium Hispalensium. Nunciabatur his literis mors regis Argantonii, cæsus exercitus, Ambiodorix captus, inprimis autem, quosdam regni Iberici proceres qui è prælio effugissent, Hispalim venisse, ibi nouos motus excitare scissis in diuersas partes ciuibus. Horum conatui, nisi maturè obuiam eatur, grande esse periculum, ne grauior domi hostis intraque ipsa regni viscera oriatur, quam foris sit Poliarchus.

Auxit huius nuncii atrocitas mirum in modum tristitiam reginæ, quæ sic quidem dolori vix ægre repugnabat. Ipsa tamen rei necessitas & Poliarchi præsentia animum eius in aliquam spem erigebant, ne succumberet, sed malo illi salutem quæreret. Ostensis igitur Poliarcho litteris, non solum periculum domesticum exponit Iuueni, sed & quanti fieret apud Iberos ipsius nomen & potentia. Nullum vnquam periculum statum mentis in hoc Principe perturbauit. Solatus igitur reginam, quicquam eam metuere prohibet, additque, Populos eius propediem eum, quem vt hostem metuerent, intra regnum visuros, amicum sociumque. Suadet insuper Reginæ, vt properet ipsa Hispalim proficisci, ibique conuentum Ordinum indicere. Se interea vocaturum partem copiarum suarum è castris ad Ruscinonem, & reginæ in Comitiis illis præsto futurum. Dum hæc agitantur consilia, nouæ veniunt ab Hispali litteræ, quibus regina enixe rogabatur, properaret ad vrbem accedere, quod verendum esset, si diutius cunctaretur, factionem seditiosorum acquisitis viribus totum reipublicæ statum euersuram. Nectebat regina muliebriter moras, nunc hoc nunc illud causata, expectare se Oratores, quos ciues ad se missuri essent, nec tam celeriter posse proficisci.

Interea Poliarchus nomine ac auctoritate reginæ assumptis sibi præcipuis Procerum Iberorum, qui quidem tum aderant, & quos auctoritate apud Hispalenses valere non ignorabat, proficiscitur, celeriterque confecto itinere, vrbem ingreditur. Cumque omnes seditiosorum conatus magna cum cura peruestigasset, vocat eos ad se, quasi de aliis rebus cum illis acturus. Conuersus autem ad tumultus causas, tanta orationis vi iis persuadet, vt ad officiũ redire vellent, vt capita factiosorum, intellecto fraudes suas patere nominatis coniurationis sociis, ad genua Poliarchi procumberent, delictorum rogantes veniam, quam ita eis reginæ nomine largitus est, si in posterum bonorum virorum essent facturi officium.

Cum autem didicisset, Hyanisbam Mauritaniæ reginam nauigare Massiliam versus, profectus celeriter ab Vrbe Hispali, Rhodopen ad reginam venit, quæ ipsius præstolabatur aduentum, vt Comitiorum faceret initium. In his Ordines regni annitente potissimum Poliarcho, absolutam supremamque eam totius regni Iberiæ salutauere Dominam, sub cuius patrocinio Iberorum natio desideraret viuere, certa, illam, vt successura esset regi marito in regno, ita quoque hæredem fore virtutum eius, cumprimis affabilitatis & humanitatis, quæ summa fuisset in illo rege. Acceptis regina gubernaculis regni & se & ordines, omnesque adeo prouincias suas patrocinio Poliarchi commendauit, postquam quanta in se extarent illius merita, vniuersis commemorasset.

Ad nomen Poliarchi totus ille procerum Iberorum Senatus surrexit, & flexis genibus honorem habuit nobilissimo regum, conuersisque repente in eum oculis, non sine stupore hominem intuebantur, qui hactenus nulli mortalium, quis esset, indicium fecerat. Nactus

Poliar-

Poliarchus locum & tempus commodum, grauem ad eos exorsus est orationem, vt doceret eos de iustitia & æquitate causæ suæ, deque sua innocentia. Ostendebat simul quam iniustis fuisset ab Ambiodorige appetitus armis, qui optimum Iberorum regem Argantonium miris technis fallaciisque circumuentum impulisset, vt copias regnumque suum grauissimo exposuerit periculo, eo quidem euentu, vt rex cæsus in acie, vitaque spoliatus immanes credulitatis errorisque dederit pœnas. Se quidem nihil magis in votis habuisse, quam vt potuerit optimo principi seruare vitam, neque omissurum vel isto tempore, si posset sua morte illius redimere vitam & salutem. Malam autem Argantonii Fortunam id prohibuisse, vt non prius de conflictu inter ipsum & Archombrotum audire potuerit, quam illum victum cæsumque acceperit. Cuius quidem viri interitum, quam grauiter molesteque ferat, incredibile memoratu esse: iamque in eo se versari vt ostendat, quando regem conseruare incolumem fata non permiserunt, duntaxat populum Iberorum in eius regno conseruaret, paratum eorum incolumitatem solenni iuramento pacisci, vt moris esset, quando in noua fœdera coeunt reges & respublicæ.

Magna fuerat hactenus per omne nomen Ibericum Poliarchi gloria: accedente ergo iam tam apposita & Maiestate plena oratione, omnium erecti sunt ad spem Ordinum animi, detersaque tristitia ac squalore, quam ex morte regis & aduerso prælio hauserant, ingens apud omnes orta est lætitia, vt multi eo se demum die natos dicerent. Vna erat omnium per vrbem fabula, vnus rumor, eadem colloquiorum in compitis materia, de cingenda regio Diademate regina, deque magnitudine potentiæ & virtutum Poliarchi: vnde profligato dolore & mœstitia in hilaritatem & lætitiam soluebantur o-

mnium mentes. Sed & populus futuram animo concipiebat atque ominabatur felicitatem, sub imperio tam cordatæ reginæ, quæ tanta sapientia nouum fœdus inter vtramque nationem conciliasset, accedente Poliarchi Patrocinio, qui ipse præsens in Iberiam infensam sibi venire dignatus fuisset.

Dum hæc ita fiunt, Poliarchus, alias animo voluens curas, mittit Galactionem Massiliam, vt aduentantem cum classe vsitatis honoribus exciperet Maurorum reginam, simulque, vt salutaret amicam, cuius sibi iam ante in Mauritania conciliauerat amorem, quam in comitatu reginæ fore non dubitabat. Gratissima fuere hæc regis mandata Galactioni, nec quicquam suauius accidere poterat homini Amatori, quam occursus & salutatio amatæ. Addebat alas pedibus, vel potius velis remisque Galactionis Amor, vt paucorum dierum itinere Massiliam aduolaret, circa id ipsum tempus, cum Hyanisbæ naues in portum appulsæ anchoras de proris iactarent.

Aduentus regis Balearicarum Insularum fecit, ne Poliarchus solus rex peregrinus esset in Iberia. Is enim audita morte generi, regis Iberi, calcata omni mora, celeriter se in viam dederat: & erat quidem Iberorum regina filia eius, quam ætate teneram, moribus comptam, eloquio facundam, facie elegantem, paucis annis ante Argantonio desponderat. Huius regis præsentia, magno populos Iberiæ mactauit gaudio, videbaturque ostracismo damnasse & proscripsisse omnem tristitiam luctumque, donec fuit in illo regno. Excepit regina patrem quibus poterat maximis honoribus, coluitque regem obsequiis, qui omni ope annixus fuit, vt solaretur atque erigeret abiectum tristitia filiæ animum.

Nihil autem plus lætitiæ attulit optimo seni, quam videre

videre filiam in illo aduersitatum cumulo nequaquam muliebriter se gerentem, sed firmam constantemque aduersus tam acres iniquæ fortunæ insultus; accedente Poliarchi præsentia, cuius patrē optime aliquando de se meritum recordabatur. Ergo renouato cū filio fœdere, satis testari nō poterat, quam gratum sibi fuisset, inuenire eum in filiæ regno, vt ostēderet animi sui sensa, & quā grauiter molesteque tulisset, quod Elisa soror Poliarchi, dissimulato genere & natalibus suis, ipsa sibi in causa fuisset, quod tam rigide & inclementer habita fuisset. Cæterum paratum se, ad satisfaciendum, cum ipsi Poliarcho tum sorori eius Elisæ, & ad abolēdam illius offensæ memoriam, quibuscunque posset honoribus & officiis.

Gaudebat tacite Poliarchus, lætabaturque apud animum suum, cum videret pœnitere omnes, atque errori rogare veniam, quotquot sororem ipsius vllo modo læserant aut tractauerant acerbius. Soli tamen Iberorum reginæ, magna cum ipsius gloria & celebritate acceptum ferēdum esse dicebat, quod soror viueret valeretque. Sensit Regina Vrbanitatem Iuuenis, qui tam commoda conuersatione profligabat quicquid erat tristitiæ aut luctus in cubiculo mulieris, accedente oratione supra modum suaui: vnde ipsa, cum adhuc esset iuuencula, dum innoxios in vultu Iuuenis se figere putat oculos,

Vulnus alit venis & cæco carpitur igni,

concipitque nescia furtiui Amoris in imis præcordiis non leues scintillas: etsi operta esset totum corpus pullo lugubrique vestimento.

At Gelanor vicissim & ipse reginæ, quamuis in luctu constitutæ, amore captus, cum ad tam sublimes & generosos amplexus adspirare non auderet, sub verecundiæ & formidinis cineribus occultabat cupidineas flammas. At Poliarchus, cum tale aliquid in vultu & verbis Gelanoris iam ante obseruasset, conabatur hominis ad spem

erigere mentem, cum diceret altos generoſoſque ſpiritus nihil vile vel abiectum ſapere aut deſiderare. Fatebatur Poliarcho Gelanor affectus ſuos, aiebatque, ſe ne primis quidem fulgurum ictibus, quæ ex mulieris oculis emicuiſſent, vel ſuſtinendis vel declinandis parem fuiſſe. Nam, inquiebat,

Vt vidi, vt perii, vt me malus abſtulit ignis.

Neque tamen videbatur dolere ad plagam, ſed amabat; cum ipſum vulnus, tum multo magis illam, quæ id inflixerat, dum eam continuo & attentius quidem intuetur. Sicut olim pueri, cum inpingentes ad lapidem, accepto dolore, vindictæ cupiditate idem percutiant ſaxum, ſcilicet vt denuo lædantur: ita Gelanor non contentus, amoris illices reginæ contemplatum fuiſſe oculos, ſpectaſſe illecebroſam faciem, eandem ſubinde conſiderabat, perſuaſurus ſcilicet oculis ipſe ſuis, errauiſſe eos in arbitranda illa tam exquiſita forma. Erant tamen, ſi verum fateri volumus, obtutus illius innoxii, cum cruda iuuentus & velut immatura nondum ei deſcripſiſſet amoris proprietates: & quia nondum penitus ſoluta erat maritali regina vinculo, nondum factis regi exequiis; vnde omnis ſpes eius lapſa retro ferebatur.

Vnde cum damnaret iam ipſe ſua deſideria, volens excutere inſuetum iſtud iugum, longe grauius quam pro opinione id experiebatur, quoque magis nitebatur extrahere è corde ſuo ſagittam, quam amor è ſua depromtam pharetra pectori ipſius iniecerat, tanto altius illa in vulnus deſcendebat. Et ſic quidem ille malum iſtud nutriebat, cum non ſatis ſentiret; vel potius, ſi ſentiebat, non quærebat idoneum remedium. Rurſum cum eum non lateret amoris remedium, tot occurrebant difficultates, inprimis ex impari amantis & amatæ conditione, vt abiecta omni potiundi ſpe optaret, poſſe ſe etiam abiicere earum rerum cogitationes.

Alebat interim iuuabatque hominis desideria Poliarchus, non vt eum frustraretur, sed vt honestos illos calores excitaret, si posset, & ad optatum finem perduceret. Cohortatus igitur eum, vt bono esset animo, abiectoque vili illo & inutili metu, optima quæque sibi polliceretur, suasit, vt ad breue tempus occultaret affectus suos, neu tam cito sineret erumpere flammam amoris sui. Quod enim de generis ac potentiæ inæqualitate obiiciebat Gelanor, id sua se discussurum pollicebatur auctoritate Poliarchus, vt regina de ea ne cogitaret quidem. Est enim, aiebat, mulier illa velut exemplar omnium virtutum, quibus velut ipse Sol radiis suis coruscat, vt sciam, illam non secuturam partes aut iudicium fallacis Fortunæ, quæ velut malæ fidei ancilla, nata esse videtur, vt semper obstrepat virtuti. Quamuis enim corrupto hoc æuo nostro de hominibus ex sola fortuna iudicium fieri soleat: tamen virtuti sua constant apud bonos præmia, quæ longe sublimiori, quam venalis illa diua ingreditur passu.

Quod si ad virtutem Amor quoque accedat, omnia expeditiora esse necesse est. Coniuncta enim pulchritudine indissolubili vinculo cum bonitate & honestate, iam extra omnem est controuersiam, non oculos saltim nostros, sed & penitioris animi affectus rapi cogique ad amandum tam desiderabile obiectum. Quæ duo si nobis iunctim occurrant, lubens meritoque submittit se illis libertas voluntatis nostræ, præfertque suaues illas catenas etiam cum aliqua seruitute coniunctas cuiuscunque tandem conditionis prærogatiuæ. Et hanc ob causam Cupido pingitur fascia obligatus faciem, qua se occulit celatque, ne agnoscatur: vel potius, vt nos erudiat, non solere securiosis considerare luminibus externas illas opes & vitæ genus in iis, quos suis vult sauciare sagittis, sed se vel inuenire vel facere æquales, quos per-

cutit,suscitato in illis amore reciproco. Abiicit igitur puer iste omnem fortunæ differentiã,ostenditque,se imperare lubricæ illæ diuæ,eosque, quos sibi mancipauit, cogere,*vt non vestem sed festis farctum ament*.Aspice mihi omnes in vniuersum aras, nullum ex omnibus diuis inuenies, qui singulari quodam artificum priuilegio ita perpetim nudus fingatur pingaturque quam idem iste Amor. Quid aliud igitur loquuntur eius statuæ, quam eos,qui hoc modo affectuum suorum volunt satisfacere penitissimis desideriis,optime conuenire nudos, sine pompa, splendore,opibus. Estque Amoris affectus tam nobilis & alti spiritus, vt generosas duntaxat quærat mentes,& diuitiarum contemptrices,quas subleges suas redigat.In vilibus corporibus potius dicendus est appetitus ille desiderium quoddam conforme appetitui brutorum,quam verus Amor.

Postremo, præterquam quod sola Virtus vera est Nobilitas,quę illos ad sublimiores grad⁹ euehere potest, qui illam amant coluntque, & sine qua non generis splendor, non parentum equestres fumi quicquam valent, sed viles abiectique sunt: vel eo solo nomine de teipso nihil humile & contemtum iudicare debes, quod vna nutriti educatique sumus. Hoc igitur à me accipe: cum te elegerim, quo cum partirer curas meas,cui intimas crederem animi mei cogitationes, me non defuturum tibi,nec acquieturum, donec te ad summum quoque fortunæ gradum euexerim. Reges nihil possunt minus dare,quam quod proxime infra coronas sit.

Et hæc quidem tibi iam sufficiant, Gelanor, quibus persuasus vrgeas propositum amoresque tuos, firmissima concepta spe, effecturum me, vt magno tuo cum emolumento speratis bonis deliciisque perfruare.

CAPVT

CAPVT DECIMVM.

PERIOCHE.

Reciprocus reginæ Iberorum amor in Gelanorem. Cuius affectus quo pacto mulieri innotuerit, narratur. Concinit carmen coram amasia. Scribit Gelanor ad Reginam, vsus ministerio Poliarchi. Hæc assentitur petitioni Gelanoris.

AD hunc quidem modum gemino fungebatur Poliarchus officio: nam hîc quidem lapsantem ac prope desperantem ob imparem amorem erigebat Gelanoris animum: illic vero suscitabat cogitationes à Gelanoris desideriis non discrepantes in pectore reginæ viduæ. Erat hæc matrona prope cæca & muta ad alias occupationes omnes: in solo autem hærebat Poliarcho; hunc in oculis, in corde, in sermonibus ferebat: ab hoc solo pendebat; cum vno perpetim versabatur rege Gallorum Inscripserat enim imaginem faciei virtutúq; eius tam efficaciter in sensus ac ima sui pectoris penetralia, vt si vel is longissime abesset, eum tamen velut præsentem intueretur. Et, vt compendium verborum faciam, amabat eum. Nec tamen quisquam putet, in erudito & culto illius animo alium quam honestum illum amorem inuenisse domicilium, qui non Venere, sed Virtute genitrice natus est. Ita amabat eum, vt simul coleret & revereretur. Adstruxit hæc res Poliarcho dominium plenum in reginam, vt non secus illius imperaret affectibus cogitationibusque quam suis ipsius.

Die quodam, cum in vicino Regiæ nemore deambularent, deque rebus non magni momenti colloquerentur, ausa est regina consilium capere, quo pacto Poliar-

cho

cho animi sui sensa exponeret: certa non amplius occulere pugnantem & exitum sibi molientem ignem, quocunq; tandem pacto id fieret, siue colloquio amatorio, quod in laudes Iuuenis desineret: siue oculorum lubrico motu, qui sunt velut muti oratores & interpretes desideriorum animi. Cum igitur sibi viam fecisset, emollito Iuuenis pectore, & ad miserationem suspiriis ac gemitibus quibusdam subacto, qui è corde ipsius penitissimo erumpebant, subiunxit quædam verba.

Sustinuisse se in suo pectore satis longum certamen, pugnante cum Amore recta Ratione, cuius potissimum ipsa subiret imperium. Et illum quidem censuisse, recte facturam, si suos Poliarcho proderet affectus: hanc vero omnibus modis dissuasisse. Tandem in illo duello succumbente Ratione vel potius Verecundia, victoriam penes Amorem stetisse. Quæ res, si ipsi vitio vertenda foret, orare se Poliarchum per merita beneficiaque, quibus ipse eam sibi deuinxisset, vt ipse prius, quanta esset illius affectus potentia, experiretur, quam se hoc nomine accusaret. Hunc enim sibi quidem cor arcte ligasse, linguam autem soluisse, vt quæ vellet quæque sentiret, dicere posset. Orare se igitur per gloriam nominis eius, vt & ipse vicissim suas ipsi aperiret cogitationes, si se dignam iudicaret.

Poliarcho non erat quærendum, quid responderet, sed magna promptitudine, non esse ei magnopere laborandum, ait, de acquirenda sua amicitia, quam ei optimo iure deberet, deuinctus tot modis atque rationibus, vt vel minima cogitatio, quæ diuersum suaderet, suo ipsius iudicio non solũ reprehendenda, sed & quouis supplicio digna foret. Superuacaneum & inutile esse, huius rei veritatem multis adstruere verbis: cum tot singularis beneuolentiæ atque obseruantiæ signa, quæ ipsa hactenus in Poliarchum edidisset, satis clare id loquerentur, cum

quibus

quibus ne conferenda quidem sint sua in reginam officia. Quin & hoc addebat, nisi Fatis sigillatim sibi propiciis placuisset, iungere Poliarcho vitæ sociam Siculorum regis filiam: non aliam se quæsiturum sub hoc sole fuisse quam Iberorum reginam. Non tamen propterea vel in hoc capite se neglecturum eam, sed daturum operam, vt ipsa iungeretur alteri cuipiam, cuius amplexus ipsi reginæ non minus sint allaturi commodi quam solatii.

Quin tu igitur, Domine, permittis mihi, reponit regina, nisi molestum est, vt tua illa beneuolentia, qua te mihi tam prolixe fauere ostendis, ad mea complenda vtar desideria? quod ita te facturum credam, si abiecta tam celeri ex his locis proficiscendi cupiditate, aliquandiu in meo regno commoreris, ne me tam celeriter abs te derelictam conqueri possim. Cum enim tam efflictim te deperceam, Poliarche; cumque omnes honores, quos tibi ad hunc diem exhibui, nihil facere existimem ad magnitudinem virtutum & tuorum in me meritorum: non commissurum te opinor, vt tantis cruciatibus vellices cor eorum, quibus omnis in sola tui contemplatione est recreatio. Victus his verbis Poliarchus, daturum se hoc reginæ precibus dixit, mansurumque apud illam adhuc paucos dies, quos ipse suffecturos arbitrabatur, ad detegendum cæcum illum & occultum ignem, quem Gelanor in ipsis venis alebat. Huic enim vnica cura erat, vt reginæ assiduus versaretur ante oculos, ita suadente Poliarcho, & è re eius fore existimante, si prius illam oculorum suorum vicissim feriret fulmine, antequam verbis profiteretur morbum.

Interea plusculi dies labebantur, quibus nihil aliud agebat nouellus iste amator, quam vt placeret amasiæ, & bonam reginæ quibuscunque modis demereretur gratiam. Visus est sibi postremo egregiam rei bene gerendæ

rendæ nactus occasionem, cum regina surgens à prandio hypæthram ingrederetur cum Poliarcho, qui assiduus lateri eius hærebat comes, eiusdem coloris cum ipsius amictu, vestem indutus. Ibi inuenit citharam, super mensam positam, quam arbitratus est fidelem fore curarum suarum interpretem. Sicut enim indiuiduus Poliarcho per omnem vitam fuerat socius, & velut alter Achates: ita nunquam ei defuerat luculentæ occasiones apprehendendi omnes artes & scientias, quibus honesta pro se vteretur exercitatione, & fauorem matronarum sibi conciliaret atque puellarum. Istud igitur instrumẽtum Musicum cũ sumsisset in manus, pertentatis digitorum acumine fidibus, in tam amicam diffidentes reduxit concordiam, vt incredibilem percussæ redderent symphoniam. nec contentus, harmonico eas increpuisse pulsu, vocis suauitatem adiunxit chordarum sono, hoc carmen concinens.

CAPVT VNDECIMVM.

PERIOCHE.

CArmen quod ad Citharæ sonum in gratiam reginæ Iberorum cecinit Gelanor.

I.

QVid mihi vexatis fallacia somnia mentem?
Quid curis vacuis sollicitare iuuat?
Fallor, an ambiguam miseri spem ludit imago,
Quæ mihi sydereum spondet inepta Polum?
Sum minor; & fateor: nam spes collapsa retrorsum,
Adspirare humiles ad bona tanta vetat.

Nam

II.

Nam veluti vitreo dedit olim nomina Ponto
Icarus, ex alto, Sole calente, ruens:
Sic vos ô animi sublimia sensa, volatu
Sydera quæ petitis, certa ruina manet.
Vincula cerarum SOL hic, quem cerno, resoluet,
Et vos in liquidas præcipitabit aquas.

III.

Me miserum! quam celsa peto! quam grandia spero!
Cur ad adorandas stultus anhelo Deas?
Quas nemo, nisi qui frontem Diademate cingat,
Quique ferat manibus sceptra, tenere potest.
Regna mihi fortuna negat, sors cæca Coronam:
Hei mihi! quam fragili stant mea vota loco!

IV.

At melius fuerat submisso vertice, Magnæ
Mascula Reginæ Thura adolere manu,
Illius vt caderet votiuas victima ad aras,
Quæ Venus & Iuno quæq; Minerua mihi est.
Sufficiat seruire tibi, satis ampla reportas,
Si colis obsequiis seruitiisque Deam.

V.

Ergo abjce hoc studium quod nititur impare sorte
Odit inæquales iungere cautus amor.
Tuq; tuas extingue faces Puer improbe, nec me
Expectare iube, quod mihi Fata negant.
Risus ero sociis, & fabula salsa puellis,
Ni desiderio sit pudor atq; modus.

Tanta autem inerat his versibus ad citharæ sonum decantatis harmonicum suauitas, vt omnes qui aderant in Gelanorem velut alterum quendam Arionem aut Orphea oculos conuerterent, non minus quam ipse in reginam. Cæterum hi longe erant debiliores, quam vt radiantem regiorum luminum fulgorem satis valide excipere, aut eorum ictus commode ferre possent. Sicut enim accensa candela, cum in tenebricoso constituta est loco, satis clare lucere videtur: Sole autem exoriente supra terram exigui est vsus, & vix apparet: vtque minor ignis à maiore & valentiore admoto facile obscuratur, exhauritur, consumitur: ita claritas oculorum Gelanoris nullo negocio sopiebatur & eclipsin patiebatur, victa & exhausta efficaci illo sole, qui ex reginæ oculis micabat. Videbatur autem fortuna mire fauere homini, quæ cum tam prope ad desideratum obiectum stitisset. Vnde contigit, vt cum deliquium animi pateretur, collapsus, vt fit, ad ipsos reginæ pedes concideret: quasi illum Amor vellet offerre victimam aut sacrificium vicariæ illi Veneri, ad cuius aras iamdudum is diuæ illi fidelitatis præstitisset iuramentum.

Et Gelanor quidem, quem animus, è corpore iuuenis in matronam migrans, liquerat, immobilis & sine sensu iacebat: hunc famuli sublatum, inque proximum cubiculum deportatũ, in grabato temere collocauerunt. At regina cum valedixisset comitibus suis, sola se in conclaue suum recepit.

—— Varium & mutabile semper
Fœmina——

ait ille non sine ratione. Patuit hoc in Iberorum regina. Habuerat ea Poliarchi effigiem in animo, sensu, cogitationibus, nec vnquam è pectore dimissura videbatur iuuenis vultum: at nunc migrare eo iusso, successit Gelanoris imago, increpantis citharam & suauiter accinentis:

tis:hanc illa paulatim considerare, deinde admirari cæpit. Cumque non sine causa suis ipsa crederet oculis, ita iudicabat etiam ex iis quæ viderat, de corde & affectu Gelanoris: & vt erat à compassionibus & miseratione minime eius alienus animus; conspicata, quanto & quam vehemente ferretur in se adolescens amore, consensit tandem & ipsa quoque in illius amorem mutuum.

Et hic quidem primus actus erat Erotopægnii illius: qui cum satis valida futurorum iecisset fundamenta, factum est, vt Epitasis fabulæ validius in adolescentis amorem pertraheret mulieris animum, cuius ipsa iam non satis compos, experiebatur, Amorem obsequium rationis paulatim excussisse, iniectis voluntati eius compedibus vinculisque. Quoties Gelanoris succurrebat memoria, sentiebat se non leuiter affici, & primo quidem fauebat ei: deinde admirabatur hominis suauissimos mores & naturæ indolisque bonitatem: vnde postremo eum non indignum amore iudicabat, in quem cæleste Numen omnia summa contulisset. His cum indulgeret prolixius cogitationibus, superueniente somno in eburno lecto composuit membra ipso ebore candidiora.

Et iam quidem reginæ somnus,

Vera quies rerum, placidissimus ille deorum,
Sopita niueos in lecto extenderat artus,

cum Morpheus, mille artifex insomniorum, dulci pictura omnia illi ante oculos repræsentauit, quæ vigilans viderat atq; cogitauerat. Sic imaginatio ipsa dormiētis, Gelanoris obiecta facie adiuuabat amoris partes. Correpta igitur hoc morbo, cuius tanto difficilior est cura, quanto operosior cognitio, vix satis ipsa sibi credebat, ita occulta ægritudine carpebatur languens pectus mulieris, & quæ non tempestiue obstiterat principiis, iam

ipsa mora inualescente malo, non inueniebat remedium. Frustra conantur fossores iactis aggeribus obstruere flumini, qui perfractis riparum limitibus iam se in vicinos infudit campos. Nihil ages, si voles alas praecidere auiculæ quæ iam è manibus euolauit. Talis est Amor.

Nam leuis est & habet geminas, quibus euolet alas,
Difficile est illis imposuisse modum.

Vix excusso somno leuauerat artus regina, cum Amor semota ab oculis suis tænia, se totum, qualis est, ipsi sistit ante vultum, claris professus verbis, se illam captiuam factam sub suum missurum iugum.

Et cum dicto videbat, frustra se dissimulare internas animi passiones, ipsa facie occultum pectoris hospitem prodente. Gelanore enim præsente, modo pallore inusitato deformabat roseas genas & corallina labra; modo insueto nimioque rubore suffundebat faciem. Nec cætera membra immunia erant ab his mutationibus. Aliquando glacie frigidius horrebat vniuersum corpus atque intremiscebat: aliquando de intenso cordis conquerebatur calore, quod iam non par videretur sustinendo tanto ardori.

At Gelanor impositus grabato, cum post pauxillum moræ celeriter collectis spiritibus vitalibus ad se rediisset, omnibus ostendit, eclipsin, quam passus fuerat, non fuisse diuturnam, neque, vt loquitur Astrologorum natio, ad multa puncta se extendisse. Surgens igitur, cum non minueretur morbus, qui illi tam graue delinquentis animi symptoma attulerat, in id vnice incumbebat curæ, vt frequenter ante reginæ versaretur faciem, incredibili illius pulchritudine satiaturus caligantes ad id lumen oculos suos: quam quo curiosius intuebatur, eo magis admirabatur diuinam speciem. Victus aliquando amoris impatientia, accedens propius ad illam, ductis

imo

imo pectore suspiriis, illius se implorare, opem & misericordiam significauit. Intellexit doctissima mulier, quid vellent muta illa verba, vnde magis confirmata est animo de amore in se Gelanoris. Sustinuit aliquandiu hunc assultum:

Sed cum ita pugnaret tanquam quæ vincere nollet,
Victa est non ægre proditione sua.

Iterante n. Gelanore suspiria, & ipsa imis præcordiis ingemuit, velut Echo, quæ ex cōposito acceptas creditasq; reddit voces. Volebat generosa mulier suppetias ferre pereunti amatori, sed nobilis illa & castarum mentib. insita verecundia, negabat misero tot votis exoptatum remedium.

Interim ipsa quoque idem subibat seruitium, iisdem mancipata legibus, quanquam putaret se obnoxium habere iuuenem. Gemino igitur fungebatur officio, & alterius sibi deuinciens animum, & ipsa vicissim eidem deuincta, velut ianitrix & custos carceris alienæ animæ, eademque captiua & coërcita vinculis. Ridere iam libet, illam quæ hactenus liberas voluntates suo mancipauerat obsequio, & prope desperabundos coëgerat Dîs Manibus infernales sacrificare hostias; illam inquam, conuersa rerum facie, vltro, submissis Veneri ceruicibus, ad aram Amoris accedere, immolaturam niueas ei Puero victimas.

Obseruauerat hæc non perfunctorio studio Poliarchus, cui symptomata, velut Machaoni cuidam aut Podalirio, prodebant exquisitis indiciis morbum. Vocatum igitur ad se Gelanorem monuit, suspiria illa fuisse instar arietis, quo obiectum assultui suo vallum siue murum rupisset, vt iam liber in arcem obsessam pateret aditus. Superesse, vt vsus interpretibus litteris, quæ erubescere nescirent, confitentem reum ageret, suaque desideria epistolæ fidei committeret, quam ipse esset exhibitu-

rus. Non visus est abhorrere à pennæ officio ipse Veneris puer, qui & ipse opertus plumis, his ad sua vtitur ministeria. Cæterum is, qui scriptas reginæ exhibebat litteras, tantæ erat existimationis, vt negare ei quicquam nefarium iudicaret elegantissima mulierum. Quid enim non faceret in gratiam Poliarchi Iberorum regina?

Accepit hæc epistolam è manu illius, tremens, & nescio quid sperans simul suspicansque, quasi non dubitaret, lecturam se inde non litteras, sed morbi sui nouas accessiones & incrementa mali: præsagiens iam animo, auditurã se suspiria, quæ vel Penelopes possent abripere mentem.

Iam linum soluerat, iam curiosa oculorum acie scribentis nomen quæsiuerat, cum occurrens repente Gelanoris nomen, eburneam reginæ faciem minii rubedine perspersit, & facta mutatione florum, pro argenteo liliorum candore purpureas rosas genis verecundantis inseuit.

Quot verba legebat, tot se audire incantamenta arbitrabatur: quot syllabas, tot edicta; quot literas, tot rescripta magni principis Amoris. Ergo quasi loqui prohibita fuisset illa epistola, tacita intuebatur Poliarchum, ipso silentio se victam expugnatamque professa. Fuerat quidem antea rex Gallorum frequens in mentione Gelanoris, sed velut incidenter, & aliud agens: at vero hoc ipso tempore, tam elegantem nactus occasionem, citra dissimulationem in laudes iuuenis digressus, nihil omittebat, quod ad commendationem virtutum ac meritorum eius facere videbatur.

Dictauerat iam ante Amor reginæ, quid ipsa facere deberet. Cum enim Poliarchus ei redderet litteras, animaduertit, illam vna quidem manu accipere epistolam, altera vero sustinere strophiolum, vdum madensque

que lacrymis, quas pugnantibus etiam palpebris effundebat, & linteolo ſiccabat. Rubeſcebant oculi eius plus ſolito, & in prominulis ac velut inflatis pupulis apparebant quædam ſubrubicundæ maculæ, nonnihil protuberantes, cuiuſmodi animaduertuntur in clariſſima iſta Solis orbita, cum infra hemiſphærium noſtrum ſe occulere dormiturus geſtit olim cum ſudum eſt. Porro is erat epiſtolæ finis, plenus officii & ſubiectionis, vt cætera quoque pro ſui animi ſententia interpretaretur, inque iis penitus acquieſceret regina.

Cum igitur Gelanor primus faſſus fuiſſet, cum ſuſpiriis tum ſcriptis litteris, amoris ſui magnitudinem; regina id pro ſe interpretata, idem ſibi licere exiſtimauit, faſſaque eſt, non minorem ſuum in illum eſſe affectum. Hæc autem verba tanta protulit ſuauitate, quaſi ex ipſius Amoris ore excepiſſet, melle, ſeſamo & papauere conſperſa. Vix enim loqui orſa ad Poliarchum ſe conuertens; *tune igitur es, Domine, tu ipſe*, inquit, *conciliator ſuaſorque huius criminis, cuius iam rea peragor? At ego minus dubitabam, quam ſolem iſtum lucere claro meridie, quin te habitura eſſem propugnatorem defenſoremque meum, contra quoſcunque meos aduerſarios, ſi quæ tam ſanctis promiſſis tuis eſt adhibenda fides. Sed iam video te cum complice iſto tuo coniuraſſe ad euertendam penitus libertatem meam. At quæſo te, Domine, cogitate, quam glorioſum hoc vobis ſit futurum, ſi coniuncta opera communibusque viribus expugnaueritis me, & quidem ſolam viduamque, quæ præter calidas has lacrymas arma alia non habet.*

Egregiam vero laudem ſpolia ampla refertis,
Tu Sociusq; tuus magnum & memorabile nomen,
Vna dolo diuûm ſi fœmina victa duorum eſt.

V 2 *Si enim*

Si enim me defendero, vos fortiores estis: si pugnauero, imbecillior sum, quam vt vos vincere possim. Quid igitur mihi restat denique? quid vero aliud, quam vt me vestræ dedam gratiæ vestroque arbitrio, multum confisa in vtriusque magno & plane regio animo, quos scio infinitis cumulatos virtutibus ad cæterorum mortalium exemplum, sed sine exemplo. Vos igitur optimo iure eligo, velut patronos meos curarumque interpretes, quos persuasissima sum, nec cogitaturos quicquam, quod vel honori meo vel regni saluti vlla ratione detrimentum gignere possit.

Quis enim vobis homo mortalis opponere se, vel quis duntaxat contradicere audeat? vobis inquam, qui nihil vnquam cogitastis, quod non efficeretis? Quod si vos è re mea futurum nouum illud fœdus iudicatis, quid vestræ opponam voluntati? Accipite me igitur in vestri patrocinii tutelam, postquam animo meo sedet, vestræ me consecrare obedientiæ. Vis scire, ô Amor, quid in me effeceris? vt omnem mihi vitam insuauem iudicatura sim sine te. Amare & viuere deinceps idem apud me erunt. Hoc, inquam, effecisti, proterve puer, vt affectus meos ad hunc diem liberos, nullique mortalium mancipes, tuo suasu in seruitutem addixerim nobilissimo adolescenti. Multo plus ego ei debeo, quam vt quicquam eius nutibus aut voluntati negare possim.

Quin istud insuper video, quicquid coner, quicquid moliar, vt vobis resistam, me nihil effecturam,

sed

ſed veſtris neceſſario obedituram obſequiis, iſtudque inſuper ludibrii loco audituram:

----- Placido ne etiam pugnabis Amori?
Hoc cinerem aut manes credis curare ſepultos?

Pulla hæc, quam intuemini, veſtis, ipſiusque mei doloris ac luctus magnitudo non ſinit me vel de Hymenæi feſto cogitare: quanquam negare non poſsim, vim fatorum multo eſſe potentiorem, quam vt euitare eam aut eluctari quiſquam poſsit. Profligat enim Sol auctoritatis veſtræ furcillatque omnes triſtitiæ tenebras, quocunque ſe conuerterint humanitatis veſtræ radii. Faxint ſuperi, vt poſtquam ex vtraque parte tam luculenta extant reciproci amoris teſtimonia, & meæ in Gelanorem beneuolentiæ, & illius in me affectus, vt id ſolum vtrique ſuperſit laboris, vt ſcribat in corde ſuo litteras atque characteres, quos amor ſuppeditat, nullo vnquam tempore delendos aut cancellandos.

CAPVT DVODECIMVM.

PERIOCHE.

GElanor inuiſit reginam, eiusque ſe iungit lateri in actu quodam ſolemni. Recitatur Lex Iberorum, qua intra decimum quintum diem à morte maritorum iubentur denuo nubere viduæ, aut perpetuam deinceps ſeruare viduitatem. Quibus ceremoniis vidua Iberica ad ſecunda vota tranſire ſoleant.

Vix discesserat à regina Poliarchus, cum ea se solam & sine suarum actionum arbitro conspicata, acceptas denuo perlegit litteras, sed maiore affectu & curiositate. Nec contenta, denuo ea explicata epistola

expleri mentem nequit ardescitque tuendo.

Pulchre autem conueniebant inter se supplices ac demissæ amantis voces, quas ille litteris mandauerat, cum affectu, quem ipsa intra suum pectus conceperat, vt inde iucundissima quædam auribus legentis illaberetur harmonia: qua dum ipsa delectatur, nō animaduertit, magis magisque abripi se constringique ad amplectendum maiore quam antea scriptorem beneuolentia. Vt verbo dicam, tantæ erat epistolium illud efficaciæ, vt cor ipsum lecturientis auferret, & id Gelanori donaret, quem regina iam Suum appellare incipiebat, quia ipse eam suam scripserat. Et hic fuit reciproci amoris in reciproca possessione effectus.

Redierat iam profligata noctis caligine sua diei serenitas, cum nihil prius antiquiusque habuit Gelanor, quam inuisere reginam, vt videret quid litteræ suæ effecissent. Defecere verba loqui volentem amatorem, vt soli oculi, suspiria, & mutatio coloris in facie, internarum cogitationum indicium fecerint.

Ter conatus erat lingua trepidante profari
Ter Dominæ grauitas cum Maiestate ligauit
Verba viri———

Oblitus igitur penitus facundiæ suæ, omne officium, quod linguæ delegauerat, oculis committere coactus est. Diu igitur tantæ pulchritudinis obiectum intuitus, cum admiratione propè extra se raptus, statuæ taciturnitatem induisset: Regina prior soluto vinculo linguæ, cum habitum iuuenis actionesque perpendisset; Quid causæ foret, sciscitata est, quod ipse semper tristior esset

solito,

solito, quoties ad illam accessisset? Prouocatus velut ad duellum aut monomachiam Gelanor hac voce, sumta loquendi tunc demum audacia: satis superque sibi caussarum esse, respondit, cur mæstitia suum consumeret intra semet animum, quoties consideraret, quanta temeritate ausus fuisset amare illam, quam instar Diuæ alicuius adorare seruitiisque colere deberet. Dixisset plura, rupto semel verecundiæ sepimento, nisi interueniens colloquio Rex Balearicus, filum istius intersecuisset, seducta paulum filia, quacum de rebus ad Rempublicam pertinentibus sermonem miscebat.

Interea accidit, vt cuiusdam Principis Iberici, cui nomen erat Thrasimundo, vxor pareret filiam, volebantque consuetudines patriæ, vt regina infantem lauaret è proximo mari, adhibitis è virorum principum numero, qui ipsi placuissent, ad actus illius solemnitatem. Ingens erat concursus hominum ad littus, spectare cupientium elegantes illas & raras Ceremonias. Aderant & duo reges, Balearicus & Gallus. Gelanor autẽ effecerat, vt ipse præsto esset in illo actu reginæ, in partẽ cũ ea venturus, illius gloriæ. Dum infantẽ abluit in vndis marinis regina, Amor & ipse puer, lauabat cor eius in illis aquis, in quibus Aphrodite è spuma nata viuendi sumsit primordia. Respectabat igitur subinde natantib. in lachrymarum confluge oculis Gelanorem, qui nunquam maiore dexteritate vsus est, quam in præstandis vsitatis reginæ seruitiis, cui se de industria quam proximum iunxerat.

Palmas arbores prope consitas id habere ingenium afferunt, vt altera suos ad alterius extendat ramos, donec se inuicem contingant: id optimo iure de duob. his amantibus dicere possis. Ipsum enim Ibericæ reginæ cor extensis ad rigorem vsque viuacibus fibris, in Gelanorem se inclinabat, qui non longe ab amica aberat. Indi-

cium erat occultæ illius prothymiæ, quod Regina, cum à mari discessum fuisset, voluerit sibi adesse porro quoque Gelanorem, vt cum illo misceret sermones, cum quo iam ante miscuerat affectus suos. Non acquieuit solum Iuuenis in imperio mulieris sed & singularem cæli fauorem interpretatus est, dixitque iam se demum vberes languoris sui percipere fructus, & cum fænore quidem ac vsura.

Non fugiebat eum, speciem quandam consolationis esse in amantibus, si solitudo iis indulgeatur, vt securi ab arbitrio interpellantium, totos se tradere possint considerationi obiecti desiderabilis: sibi tamen id persuadere non poterat; quin ita demum acquiescere animum suum intelligebat, si dominæ ac imperatricis suæ præsentia assidue frueretur. Effacinatus igitur mellitissimis reginæ sermonibus, syderato aut fulmine afflato similis erat, nec inueniebat quid reponeret, quid loqueretur, quid primum quid vltimum comminisceretur.

Interea Leges patriæ, inimicæ luctui immoderato, amputata omni mora longiori, iubebant reginam spreta viduitate ad secundas animum adiicere nuptias. Ordines enim regni, adeuntes Balearicum regem, patrem reginæ orabant, vt de eo filiam commonefaceret. Annuit rex eorum petitioni, assumtisque præcipuis regni ordinibus ad filiam se confert. Ibi prolixum orsus sermonem, de dignitate & sanctitate Legum, quas optimus quisque rex semper teuereri fuisset solitus, gnarus bonum principem dissimilimum esse illi, qui putabat reges solere leges dare non accipere, ne se quidem dubitare aiebat, quin ipsa quoque non supra sed infra leges patrias esse se meminisset. Igitur Ibericæ nationis legibus non nisi quindecim dies indulgeri luctui viduarum, ab eo die, quo mariti earum viuere desiissent, quo tempore liceret illis viuere solitariis, & luctui lamentisque vacare.

Et

Et primis quidem octo diebus fas esse, vt corpus defuncti terræ mandarent, adhibitis solennibus ritibus, vtque eo tempore suis mariti tumulum vnaquæque madefaceret lacrymis. Quod supererat temporis, deliberationi dabatur, vt eligeret ipsa, velletne ad secunda transire vota, an vero æterna viduitate mariti honorare memoriam. Vt autem liberum erat mulieribus, vtrum vellent eligere: ita deliberandi tempus prorogare aut supergredi integrum non erat.

Porro ingens viduitati honos erat inter hos populos. Siue enim quis illas in iudicio conueniret, siue illæ litem alicui mouissent, alium iudicem non cogebantur admittere præter ipsum regem. Vnde fiebat, vt vbicunque esset rex, ibi quoque liber ad eum viduis pateret aditus, etiam ante plerosque principes proceresque regni; in ipsis etiam Templis, conuentibus publicis, cæterisque solemnitatibus locus honoratior præ cæteris tribuebatur viduis. Quod si cuius facultates tenuiores essent, quã vt inde cõmode viuere posset, illi ex ærario publico tantũ numerabatur æris, quantum ad honestam sufficere putabatur alimoniam. Ipsis vicissim incumbebat, magna prudentia & sagacitate cauere, ne per omnem vitam vllius se criminis aut leuitatis alligarent, quod minima, quam de se præbuissent, suspicio, eas temerati voti reas constituere posset. Quod si cum viro quopiam, quicunque is tandem fuisset, solæ ac in secreto colloqui deprehensæ fuissent: iam constitutũ erat, vt in effosso sepulcro siue specu subterranea depositę, iniecta terra viuę sepelirentur. Nec vnquam auditum est, quenquam è iudicibus tam miserando supplicii genere commotum indoluisse.

Quibus vero secundæ post priorum virorum obitum placuissent nuptiæ, eæ tenebantur ijsdem legibus profiteri apud Magistratus, nupturas se denuo, idque ante

decur.

decursum quindecim dierum. Et hoc posterius cum optarent parentes, præferrentque filiarum suarum nuptias æternæ viduitati, scilicet probe scientes, quam lubrica esset & ad vitium præceps viduarum abstinentia; cohortabantur eas vltro, ad secunda vota descendere, quod satius esset, pulcram suscipere prolem, quam extrema in singulos dies ac fortuitos errores expectare supplicia. Igitur cum decimus quintus dies expirasset, ad vestibulum Templi conuenire eas fas erat, nomenque suum profiteri apud sacerdotes. Conuocabat hic Parentes agnatosque ac necessarios, sponsosque quibus illæ nupturæ erant; post, acceptam pateram Veneris, eamque recenti lacte impletam, in manus dabat nupturienti: quæ cum dimidiam partem lactis bibisset, quod residuum erat, præbebat futuro marito, qui illud non grauate exhauriebat. Quo facto, etsi id parum esset ex propinquorum sententia, paranymphus incipiebat Hymnum nuptialem, bonumque super nubentes ad vota vocabat Hymenæum. Inde conueniebat mulier in manum mariti, qui eam eductam Templo comitabatur domum eius. Erant ad ipsas portas suspensæ vestes nouis nuptis conuenientes: has induebat nouella vxor, exutis prius & conscissis feralibus, quibus prioris mortem luxisset.

CAPVT DECIMVMTERTIVM.

PERIOCHE.

Rex Balearicus suadet filiæ suæ multis argumentis, vt secundas viduitati præferat nuptias. Certiorem hæc facit Gelanorem de suo in eum affectu. Exhibet ei pateram Veneris, assumitque iuuenem sibi maritum.

Rara

RAra erat Iberorum reginæ pulchritudo: nunquam tamen visa est elegantior, quam eo ipso tempore, pullo & lugubri habitu ipso formosissimæ mulieris speciem commendante. Huius vegetam viuamque iuuentutem conspicatus pater rex, constituit omnino, nouum filiæ maritum; sibi vero generum quærere, qui dignus esset Diadema regni Iberici capite sustinere. Ingens erat Principum per vniuersum regnum numerus, qui omnes validis nobilissimæ mulieris succensæ flammis, eius per patrem regem aucupabantur gratiam. Hi miris modis pro se quisque satagebāt, si forte noua ratione se dignum tanto bono ostendere, sociisque certaminis tam illustre Brabeion præripere posset.

Ipse senior, qui nepotes ex filia fouere sinu gestiebat, multis verbis suadebat, vt contemta viduitate, ex omni principum numero virum sibi eligeret, quem ipsa dignum iudicaret, vt in illius iret amplexus.

At regina ne oculos quidem in iuuenum procantium cuneum circumtulit, cum negaret se quicquam ibi amore dignum inuenire, præter Gelanorem. Non facientibus autem instandi finem cum patre rege tum iuuentutis Ibericæ principibus: professa est ipsa claris verbis, cōstituisse omnino se nubere, seq; ipsam ac regnum suum in manus tradere marito, quem omnes dignum iudicaturi essent tanta felicitate. Interim quis ille futurus esset, non aperiebat. Hac taciturnitate etiam decimū quintū diē consumsit, quo legib. cogebatur illius, quem sibi virum delegisset, edere nomen. Liberrimum autem erat ei, & viduæ & reginæ, quemcunque vellet sibi designare votis sponsum, nulliusque hominis per vniuersum regnum tanta erat auctoritas, qui vel cogere vel mutare voluntatem eius posset; quanquam non deerant, qui pro se votis suspiriisque niterentur, omnem moram grauiter & impatienter ferentes. Sed

Hoc

Hoc Ithacus velit, & magno mercentur Atridæ.

Iamque dies aderat, quo tot Iberorum millibus dubitationis eximere debebat ſcrupulum, & ſuis quoque deſideriis imponere terminum: ibi vocari ad ſe iubet Gelanorem, cum Coſmetæ illam pecterent, precioſioribusque ornarent veſtimentis, non tamen ſupra lugentis fortunam captumque. Commodum, ac velut ex compoſito ſuperuenerat Poliarchus, ſcilicet vt Gelanorem mulieris commendaret affectibus. Ibi conuerſo ad Gelanorem ſermone: Et quem alium mihi eligam, Iuuenum generoſiſſime, quam eum, in quem iam dudum Voluntas animusque meus conſpirauerunt? Niſi forte tu neuis, anime mi, cum ſecurum te eſſe iubeam, ſi cum Poliarcho iſto volueris comparere in eo loco, ad quem tot nobiliſſimi ex Iberorum iuuentute ſummis deſideriis hactenus adſpirauerunt, quaſi præiudicio quodam meos ſibi mancipaturi amores. Repende iſtud, quicquid eſt officii, amori meo, quo te hactenus non vſitato more proſecuta ſum: neu committe, vt per te ſtet, quo minus in illo loco compareas, quo tua te bona Fortuna vocat, & vbi ad ſummam omnium votorum tuorum, quotquot ne concipere quidem, vnquam potuiſti, peruenias.

Non reſpondit ad hæc verba ipſe Gelanor, ſed vſus eſt interprete atque Oratore Poliarcho. Quamuis enim hoc ipſum erat, quod omnibus ille optauerat deſideriis, nunquam tamen credere potuit, tam celeriter ſe voti ſui futurum compotem. Nimio igitur obſtupefactus gaudio, aut non inuenit verba, aut occupata lætitia mente oblitus eſt reginæ agere gratias. Hoc enim velut ab ipſo Apollinis tripode profecto Oraculo, tot repente circumfuſus eſt gaudiis & velut obrutus, vt iam ad ſummum felicitatis ſe conſcendiſſe faſtigium arbitraretur, conditionem ſuam ne cum Iouis Tonantis quidem fulmino

mine mutaturus. Hinc rursum, quasi ignoraret, ad quod perfectæ felicitatis culmen se fortuna euexisset: miram reginæ bonitatem & incomparabilem humanitatem admirabatur. Tandem fugato stupore, decumbens ante eam in genua, vtramque mulieris manum deosculatus est, quarum in se suosque affectus lubens agnoscebat imperium.

Ne igitur reginæ satagenti circa ornatum suum vlterius in mora esset, digressus ab ea, Poliarcho comite in exteriora Regiæ se recepit. Hinc in suum se cum contulisset diuersorium, elegantiores expediuit vestes, quibus ornatus cultior prodiit et in publicum: semper futuram in animo oculisque ferens gloriam & regiam sublimitatem. Et quemadmodum Dux militum, cum præsente Imperatore suo lustrat Legionem, in eam totus incumbit operam, ne quid ad summam perfectioné suis desit militibus: ita amator hic, omnes suos gestus, nutus, motus, postremo affectus examinabat, ne forte aliquid esset minus amabile, aut quo regina sponsa vllo pacto offendi posset, quod quidem si admitteret, iam se Crimen Læsæ Maiestatis ipso facto incurrisse peierabat. Et corpus quidem ita comebat ornabatque, vt placeret populo vniuersisque spectatoribus: Vota vero sua, desideria, omnesque interiores animi agitationes ita componebat, vt in sola Iberorum regina acquiescerent, eique soli probarentur.

Venerat iam fatalis illa & toties ab amantibus optata hora; cum ingens tubicinum & tympanistarum numerus per totam ciuitatem omnium ad futuram solennitatem erigebat vocabatque mentes, erantq; non vnius generis magnæ apud summos infimosque lætitiæ signa. Regalis Palatii parietes variis peristromatis operis Babylonici obtecti, picturarum colorumque varietate spectantium perstringebant oculos, portæ vero Regiæ

& su-

& superliminaria myrteis laureisq; ornatæ sertis, Hymenæi festum loquebantur. Ipsos vero Reges, Principes, illustres Matronas puellasque magnificentissimo apparatu incedentes videre, miraculo simile erat. Perstrepebat vniuersa aula hymnis, cantionibusque in honorem Iunonis Zygiæ, Veneris, Amorum: Vocatur Hymenæus, millies cantabatur:

Hymen ô Hymenæe Hymen adsis.

Omnia plena erant votis, carminibus fescenninis, lætis acclamationibus.

Est in media ciuitate Templum peruetus, Iunoni Reginæ sacrum quod ipsa antiquitas, (testante annosa hedera, quæ ambitiosa luxuria per aspera parietum, omnesque fenestrarum fornices serpens, ipsas lucis admissuras flauis obumbrat corymbis) venerabile facit. Attollit hoc collis modicæ quidem altitudinis, ita tamen, vt circiter triginta gradibus ad id ascendendum sit, donec perueniatur ad vestibulum & aream, quæ satis lato spatio extenditur ante ipsum templi ingressum. Huc frequenter itum est. Præter reges quicquid erat virorum illustrium, matronæ virginesque ad huius ceremoniæ solennitatem vocatum fuerat. Iuuentus sponte confluxerat, cæterique, quibus res non est peregrina Amor.

Inuitauerat regina, annitente potissimum Poliarcho, etiam Archombrotum, misso Ruscinonem oratore, qui vix duabus horis ante celebritatem huius actus aduenerat. Tres igitur reges cum conuenissent, suus cuique pro dignitate assignatus est considendi locus. Ibi sacerdotes, cum in medio constituissent altare mobile, inauratum, obtulerunt super id victimas, & adoleuerunt incensa. Demurmuratis vsitatis precibus, & peracta re diuina, summus pontifex cyathum aureum lacte plenum porrigit Regi Balearicarum Insularum, reginæ

Patri.

Patri. Acceptum eum ſenex filiæ tradit, iubetque, vt obſeruata conſuetudine patria ſibi quem vellet eligeret maritum. Regina accepit pateram, fecitque vota, inuocatis cupidinibus mille, mille amoribus, deliciis omnique Venereo exercitu.

Adſtabat calamitoſus procorum chorus, exiliente vnoquoque ad ſingula reginæ verba, & ad ſingulos motus, quos ipſa corpore edebat, arridente. Stulti, qui omnes ſibi neſcio qua vana ſpe promittere audebant, quod non niſi vni contingere poterat. Sed ita eſt amor, nec ſi aliter ſit, amor vere ſit. Poſtquam finiuit ſolemnes preces, conuertit ſe in orbem, ita vt ipſos intueretur reges: moxque directis in circumſtantium coronam oculis, ſimulabat ſe quærere, quem maritum appellaret. Ibi ingens formido corripuit Gelanorem, vt omnibus tremeret membris. Verebatur enim, ne mobilis muliercula & in amore parum conſtans, in tanta Illuſtriſſimorum iuuenum corona, alium quempiam tacitis ſibi deſignaſſet oculis, cuius faſcinata pulcritudine, priores Gelanoris ſui animo excuſſiſſet amores. Sed Panicus hic erat terror. Cum enim prope ad Poliarchum veniſſet, iuxta quem ſtabat Gelanor: omnium dubitationem & ſomnia celeriter diſcuſſit. Poculum enim cum ipſa delibaſſet, porrexit ei, ridente ac hilari facie, vt tot excantamenta oculis ſuis combiberit Gelanor, quam guttas lactis ore hauſit.

Ad hunc modum Gelanor iſte, frater Poliarchi collactaneus, fidus eius in periculis Achates, itinerum laborumque ſocius, Iberiæ rex factus & ab vniuerſis conſalutatus fuit: qui & Reginam ſponſam ſuam è templo honorifice in Palatium reduxit, poſtquam Sacerdotes oblatis ſacrificiis & peracta de more diuina re, gratias ſuperis egiſſent. Tantum autem aberat, vt nouos hos quamuis immenſos honores quiſquam Gelanori inuideret,

deret, vt plerique Ordinum maiorum gentium inter Iberos vltro accederet ad Poliarchum, laudibus eum ad cœlum vehentes, quod Iberiæ regem dedisset ad suarum virtutum exemplar imbutum institutumque. Post conuersi ad Reginam, agebant ei gratias, quod maturo iudicio nobilissimum mortalium & maximæ spei iuuenem maritum sibi elegisset. Riuales autem Gelanoris aut vere acquiescebant, aut spem fronte duntaxat serenabant, contenti, quod homini extraneo ea contigisset felicitas. Neque enim æquo animo laturi videbantur, si vnus aliquis, quibus par natalium splendor, eædem opes atque dignitates in regno patrio contigerant, cæteris prælatus fuisset. Electo autem homine peregrino, facilius ferebant, sublatam inter eos æmulationem. Certatim igitur accurrentes, cum dexteram nouelli regis deosculati fuissent, gratulabantur prosperitati eius, nec grauate fidelitatis præstabant iuramentum.

ARGE-



ARGENIDIS CONTINVATÆ

PARTIS TERTIÆ

LIBER SEXTVS.

CAPVT PRIMVM.

PERIOCHE.

DEletis Iberorum ad radices Pyrenæi montis copiis, lætus de victoria Poliarchi nuncius Massiliam perfertur. Regina Mauritaniæ Hyanisba & Rex Tunetanus, sunt in eadem illa vrbe. Elisa viso rege Tunetano Barbaro, à quo tam male habita fuerat, magna in eum excandescit iracundia: postremo tamen persuasa, delictorum ei facit gratiam.

VIcto cæsoque Argantonio, profligatisque aut interemtis vel captis Iberorum ad Ruscinonem oppidum copiis, Poliarchus & Archombrotus imperarunt Gobriæ, vt celeriter profectus Massiliam, totum oppi-

 dum

dum læto victoriæ bearet nuncio. Profectus hic nihil ad summam celeritatem reliqui fecit, donec Massiliam peruenit: minor tamen ad eius aduentum populi concursus fuit, nec satis amplis exceptus est honoribus, quod causa aduentus eius parum liqueret: nullus enim præcesserat secundi prælii & rei bene gestæ nuncius. Cum autem quid factum fuisset narrasset, incredibile memoratu est, quanto gaudio vniuersa fuerit delibuta ciuitas, nemine sibi ipsi satisfaciente in testificanda animi sui lætitia.

Vereor etiam, vt fidem inuenturus sim, si exposuero, quo pacto fuerint affecti plerique omnes Massiliæ viuentes, qui ad eum diem inter spem & metum suspensis animis ambigui pependerant, gnari, quam incertus sit bellorum exitus. Audito autem, cæsis hostibus vicisse Poliarchum, abiecta omni formidine, publice epulabantur nullumque genus omittebant hilaritatis. Profecto in expeditionem tam formidabilis belli Poliarcho, quanquam viri qui in ciuitate erant, neque palatium desererent siue Regiam, neque forum aut commercia: matronæ tamen & minor ætas, quibus plus ocii erat, minus laborum, à Templis non discedebant, sed amplexæ statuas à summo mane ad noctis primordia conceptis verbis vota nuncupabant.

Suspensa ad hunc modum ciuitas primo nuncium accepit, sed valde obscurum dubiumque. Duo milites Lemannenses reuertentes domum è prælio, cum per Carpentoractensem agrum iter fecissent, dixerant aliquid de cæsis hostilibus copiis. Parum his est adhibitum fidei, cum verba eorum auribus acciperentur, non item animis. Res enim tam rara, tam desiderabilis, tam difficilis factu temere credi non debet, saltim à prudentioribus. Nota erat Argantonii potentia, notum robur militare, noti Iberorum astus, quos citra sanguinem vincere

non

non erat. Sed & ipsa celeritas nuncii tam tempestiui fidem minuebat, cum autumarent omnes, rem tanti momenti ita cito confici minime posse.

Paulo post scripserat ad Timandram reginam præfectus Narbonensis oppidi, quid ipse è duobus illi Lemannensibus intellexisset. Erat ei, qui epistolam illam ferebat, per medium transeundum forum. Populus, qui tale aliquid olfecerat, concurrebat cum impetu, scilicet vt sisterent tabellarium, cogerentque edisserere, quid noui ab Aquitania? quod cum non successisset, multo maior confluebat multitudo, ad portas præcipuæ Arcis, vt cursori necesse fuerit, vi aperire sibi viam, & per densos obstantium perrumpere cuneos. Reginæ, cum apertis litteris de victoria accepissent, supra modum lætabantur, quasi rem ita habere, vti perscripta fuerat, minime dubitarent. Aliæ gaudebant quidem, sed subdubitanter. Erant qui omnem verbis præfecti negarent fidem.

Vbi autem rumor in vrbem perlatus est, adesse ipsum Gobriam: ibi demum maior concursus populi pene elisit hominem, quod crederent, certi quid ab eo se accepturos. Quosdam nimia discendi cupiditas longius prouexerat, vt ad tertium lapidem extra vrbem progressi ei fuerint obuiam.

Ingressus Vrbem Gobrias inter confusam istam multitudinem pressantium se inuicem atque elidentium, recta aulam petiit: Sciscitantibus obuiis partim ex ipso partim ex comitib. eius subinde, nec sine molestia, satin saluæ? Victi tandē importunitate percūctantiū, dixerūt: Exercitū hostiū fusum, ducibus partim cæsis, partim captis, Legiones Gallorum saluas & incolumes, Poliarchum & Archombrotum egregia potitos victoria: vnde dicto citius fama per omnem ciuitatem sparsa est cum

dum læto victoriæ bearet nuncio. Profectus hic nihil ad summam celeritatem reliqui fecit, donec Massiliam peruenit: minor tamen ad eius aduentum populi concursus fuit, nec satis amplis exceptus est honoribus, quod causa aduentus eius parum liqueret: nullus enim præcesserat secundi prælii & rei bene gestæ nuncius. Cum autem quid factum fuisset narrasset, incredibile memoratu est, quanto gaudio vniuersa fuerit delibuta ciuitas, nemine sibi ipsi satisfaciente in testificanda animi sui lætitia.

Vereor etiam, vt fidem inuenturus sim, si exposuero, quo pacto fuerint affecti plerique omnes Massiliæ viuentes, qui ad eum diem inter spem & metum suspensis animis ambigui pependerant, gnari, quam incertus sit bellorum exitus. Audito autem, cæsis hostibus vicisse Poliarchum, abiecta omni formidine, publice epulabantur nullumque genus omittebant hilaritatis. Profecto in expeditionem tam formidabilis belli Poliarcho, quanquam viri qui in ciuitate erant, neque palatium desererent siue Regiam, neque forum aut commercia: matronæ tamen & minor ætas, quibus plus ocii erat, minus laborum, à Templis non discedebant, sed amplexæ statuas à summo mane ad noctis primordia conceptis verbis vota nuncupabant.

Suspensa ad hunc modum ciuitas primo nuncium accepit, sed valde obscurum dubiumque. Duo milites Lemannenses reuertentes domum è prælio, cum per Carpentoractensem agrum iter fecissent, dixerant aliquid de cæsis hostilibus copiis. Parum his est adhibitum fidei, cum verba eorum auribus acciperentur, non item animis. Res enim tam rara, tam desiderabilis, tam difficilis factu temere credi non debet, saltim à prudentioribus. Nota erat Arganonii potentia, notum robur militare, noti Iberorum astus, quos citra sanguinem vincere non

non erat. Sed & ipsa celeritas nuncii tam tempestiui fidem minuebat, cum autumarent omnes, rem tanti momenti ita cito confici minime posse.

Paulo post scripserat ad Timandram reginam præfectus Narbonensis oppidi, quid ipse è duobus illi Lemannensibus intellexisset. Erat ei, qui epistolam illam ferebat, per medium transeundum forum. Populus, qui tale aliquid olfecerat, concurrebat cum impetu, scilicet vt sisterent tabellarium, cogerentque edisserere, quid noui ab Aquitania? quod cum non successisset, multo maior confluebat multitudo, ad portas præcipuæ Arcis, vt cursori necesse fuerit, vi aperire sibi viam, & per densos obstantium perrumpere cuneos. Reginæ, cum apertis litteris de victoria accepissent, supra modum lætabantur, quasi rem ita habere, vti perscripta fuerat, minime dubitarent. Aliæ gaudebant quidem, sed subdubitanter. Erant qui omnem verbis præfecti negarent fidem.

Vbi autem rumor in vrbem perlatus est, adesse ipsum Gobriam: ibi demum maior concursus populi pene elisit hominem, quod crederent, certi quid ab eo se accepturos. Quosdam nimia discendi cupiditas longius prouexerat, vt ad tertium lapidem extra vrbem progressi ei fuerint obuiam.

Ingressus Vrbem Gobrias inter confusam istam multitudinem pressantium se inuicem atque elidentium, recta aulam petiit: Sciscitantibus obuiis partim ex ipso partim ex comitib. eius subinde, nec sine molestia, satin saluæ? Victi tandē importunitate percūctantiū, dixerūt: Exercitū hostiū fusum, ducibus partim cæsis, partim captis, Legiones Gallorum saluas & incolumes, Poliarchum & Archombrotum egregia potitos victoria: vnde dicto citius fama per omnem ciuitatem sparsa est ... cum

quisque quæ audiuerat, vicino amicoque suo, non sine additione, vt fit, narraret.

Peruaserat iam popularia obstacula, inque Palatium penetrauerat Gobrias, Reginis aduentum eius anxie expectantibus, cum ad conspectum hominis concurrentes mulieres eum velut corona cinxerunt: & Timandra quidem, viueret valeretne sibi filius? quærebat: Argenis de sponso percunctabatur: Elisa importunior etiam amoris vehementia, omnium primo de Archombroto sponso suo respondere eum volebat. Expediuit Gobrias, quas habebat, litteras, vt eæ perlegerentur audientibus mulieribus: sic æqualiter satisfactum est omnibus. Lecta epistola, cætera quoque de acie hostili, de obsessione oppidi, de tentata & punita proditione, de insidiis, de prælio, de fuga Iberorum deque victoria Gallorum plenius persecutus est, applaudentibus homini non sola aula, sed & Senatu regio, omnibusque qui conuenerant, ad satiandum nuncii iucunditate animum. Animaduersum est præ cunctis & supra modum lætitia exultasse Elisam, quæ non dissimulabat muliebri quadam impotentia, desiderare se videre mortuum illum, qui se captiuam tam immaniter in regno suo tractauerat, cui iam Rex Siculus, sponsus suus tam illustre mortis persoluisset stipendium. Gratulabatur interim & applaudebat reginæ Iberorum, quæ tam rigido mariti & male sano dominatu exempta fuisset, trucidato Sponsi sui manibus Tyranno.

Paulo antequam gratissimus nuncius istius victoriæ Massiliam perlatus fuisset, appulerat in portum Mauritaniæ regina comitata rege Tunetano. Iniquo animo ferebat Hyanisba, tanto tempore nihil de Poliarcho ad se afferri & Archombroto. Audiuerat aliquid, subobscure de copiis militaribus, quas rex Iberus magno numero conscripserat, vt cum iis se in Galliam infunderet. Pendens

dens igitur animi, impatienter ferebat quicquid intercedebat moræ, adeo, vt desiderio audiendi, quid de Elisa & Argenide fieret, infesto mari se crediderit, & secundis vsa ventis magna celeritate Massiliam appulerit. Obuiam huic factus fuerat rex Tunetanus, rediturus domum, postquam persecutus fuerat naues aliquot Piratarum, qui facta excursione in regnum eius, propinqua littori loca spoliauerant, captis abductisque multis in seruitutem Numidis. Hos adortus Tunetanus, cum duas eorum triremes cepisset, suosque omnes recepisset, lætus conuersis velis in regnum redibat.

Cum autem procul agnouisset arma regni Mauritaniæ sociam classem sibi offerri lætatus, demitti antennas iussit, ipse scapham actuariam ingressus, ad triremem Prætoriam properauit. In hanc postquam receptus est, salutata regina, quæ esset ratio illius itineris intellexit. Nauigaturum se vna professus est rex, vt satisfaceret Elisæ de iniuriis, quibus eam in regno suo affectam nouerat, quanquam iam præmiserat Oratores suos, qui ad reginam, quam tunc non nouisset, se excusarent.

Iam intrauerant portum, iam iactauerant anchoras, inque terram egressi fuerant: cum Elisa viso rege Tunetano, memor eorum quæ ab ipso indignissimis modis perpessa fuerat, excanduit adeo, vt mutato colore faciei, parũ abfuerit quin intra brachia matris suæ licta animo, concideret. Ingentis enim periculi recordatio, è quo vix magno labore euaserat, adhuc veteri formidine implebat puellæ pectus. Successit metui indignatio, succensa bile orta, vnde admodum perturbata animo, ne sensus quidem suos in potestate habebat. Sanguis insuper ad conspectum tortoris sui, è venis & exterioribus corporis partibus ad cor, principium suum, metu refluens, nitentem virginis faciem roseo colore destituerat, vt buxo pallidior appareret: contra generosus ille

humor, memor originis suæ, ad vindictam properans, conuerso itinere, extantia roboraturus iræ exercendæ organa, natiuum simul ruborem genis reddiderat, sed cum fœnore, & abundantius solito.

Sensit Rex Numida commotam ad conspectum suum virginem mutasse vultum. Igitur postquam Timandram & Argenidem salutauisset, adiens Elisam, formato ad hilaritatem oris habitu, miramque præ se ferens comitatem vti sibi ignosceret, rogauit, vsus verbis à rei & supplicis conditione non alienis: qua quidem ratione, cum se infra regem demisisset, tactum misericordia puellæ pectus viri precibus statim patuit, vt exuta vindictæ, etsi non iniusta cupiditate, iracundiam in comitatem humanitatemque conuerterit, gnara amorem inter omnia crimina siue delicta facilimā & accipere & dare veniam.

Perstrepebant omnia gaudio & lætitia, cum commodum hilaria agitantibus interuenit Galactio. Erat in omnium ore Poliarchus, qui ingentis animi iuuenis non fuisset veritus ingredi regnum Iberorum, gentis ab antiquo Gallis inimicæ. Ibi Timandra conuersa ad Galactionem, subridens: magis mihi placet, inquit, quod is parta insigni victoria, vt rex Iberiam ingressus est, quam cum olim naufragus gregarii militis habitu id intrauit. Vnde non dubito, quin regina illum cum affectu, nec minoribus honoribus exceperit, quam antea maritus eius rex, cum se tribunum militum profiteretur. Elisa non satis poterat Fatorum mirari ductum: cumque recitasset, quid Poliarcho fratri priore itinere in Iberia contigisset, subiungebat his, male facturam matrem Timandram, si non optime speraret de reginæ Ibericæ in Poliarchum beneuolentia, quam ipsa tantam fore dicebat, vt ne Argantonii quidem mors, qui eo prælio ceciderat, illam videretur imminuere posse atque delibare. Nec enim ita regem illum de coniuge laudatissima, quam nimis

mis inclementer & rudirer habuerit, meritam, vt iacturam illius magna defleret animi tristitia, aut in damno poneret. His filiæ verbis acquieuit Timandra.

CAPVT SECVNDVM.

PERIOCHE.

Galactio, amica sua in comitatu Hianisbæ reginæ Maurorum non inuenta, tristitia afficitur. Audito autem illam substitisse in Pulcinia Insula eo proficiscitur. Narrat successum itineris sui Oraculo Genethlionio. Fons apud quem consulebatur Oraculum. Galactionis ingens periculum, qui parum abfuit quin à Piratis interciperetur. Matrimonium inter Galactionem & Menadelam.

ET cæteri quidem omnes præclare secum agi existimabant; Galactioni minime satisfiebat. Sicut enim tener agnus in amænissimo prato discurrens, amissa matre, velut immemor herbarum cythisum fastidit, flores contemnit, pabulum calcat non gustat, donec redditus illi, à qua vitam accepit, ad summam desideriorum suorum se peruenisse arbitratur: ita Galactioni nullum in aula deerat oblectamenti genus, solam illam desiderabat, quæ omnem naturæ superare elegantiam homini videbatur, postquam totum illius venereo vadimonio sibi obnoxium reddidisset animum. Cum igitur diu per ambitiosam virginum illustrium coronam circumtulisset oculos, non visa ea quam vnice & efflictim deperibat, demisso capite mœrebat. Non poterant omnes illæ Veneres, ad quarum elegantiam nulla fieri posse accessio videbatur, vel in admirationem duntaxat illius rapere animum, quem sibi iam dudum vna illa totum mancipauerat, præter quam ille nihil admiratione dignum iudicabat.

Non latuerunt Hyanisbam affectus eius & commotiones animi: igitur seductum paulum à turba Galactionem monuit doctissima mulier: substitisse Menadelam, quam adeo curiosis requireret oculis, in Pulcinia Insula, sic exigentibus negotiis suis. Neque se potuisse id mulieri negare, petenti, vt illic sibi subsistere liceret, donec regina in Gallia commoraretur. Vix putem tanta celeritate fulmen è Tonantis manu missum terras petere, quam cito impatiens moræ amator se à Massilia proripuerit, Insulam petiturus. In tanta igitur festinatione, cum ne sibi ipsi quidem satisfaceret, citissime eo peruenit, vbi latere sciebat thesaurum, quem tantis effodere nitebatur ardoribus. At Menadela, quæ nihil minus visuram se sperabat quam Galactionem, obstupuit ad tam repentinam hominis præsentiam: sed paulo post prisci amoris memor, bona fide expotuit illi, quæ videbantur facere ad ostendendas affectiones animi sui.

Altera ex parte Galactio lætus se in portu desiderato nauigare, narrationem pertexuit eorum quæ sibi in tam lõgo & laborioso itinere obuenerant. Vindicata in libertatem Elisa, inquit, postquam felicibus vsi ventis Massiliam cum Archombroto peruenimus, nihil mihi antiquius fuit, quam summa diligentia id quod cœperam iter continuare. Primum oppidum quod me excepit, Temonsium appellatur, tribus ab Archimandropoli distans milliaribus, vbi erat templum Genethlionis. Huc me contuli, vt consulerem Oraculum. Excepit me Hierophantes omni humanitate, nihil omittens quod ad me comiter habendum facere videretur.

Est ante ipsum templum fons salientis aquæ, cuius ad testificandam singularem Numinis præsentiam mirus est effectus, quem alibi frustra quæsiueris. Quicumque ad eum locum accedunt, vt præstito diuinitati illi fide-

litatis

litatis iuramento, quæ ibi adoratur, ab oraculo futurarum rerum adipiſcantur notitiam, neceſſe habent, vt ſe tribus vicibus in illo fonte abluant, cumque è labro exeunt loti, ſpeculum commendatæ claritatis aquæ imponere. Id ſpeculũ Sibylla antiſtitio illius loci fungens, tantiſper ſuſpenſum tenet filo coccineo ſerico, donec aquarum ille ſequatur effectus. Cum enim rupto filo coccinei coloris, ſpeculum ſubſidens in imas aquas deſcendit, obſcænum interpretantur augurium : quod ſi vero aqua excuſſum ſpeculum extra labrum fontis proiiciat, ſignum auſpicatiſſimum erat, omnia ex animi ſententia ſucceſſura illi, qui oraculi fidem percunctabatur.

Miſerat iam Hierophantes, qui vocarent Sibyllam, quæ perſpecta mea obedientia & ſtudio, facilem ſe præbuit meis deſideriis, venitque abſque mora ad eum, vbi expectabatur, locum. Videns autem, obtuliſſe me iam in altari parum concinno victimas meas, abſque ſuo conſenſu, ſuccenſuit mihi mulier, oſtenditque alieni à me animi ſigna. Ego prouolutus ad vetulæ genua, cum prolixe de meo in eam teſtatus fuiſſem affectu, obſecraui eam, per teſſeram amicitiæ quæ inter nos iam coaluerat, vt in hoc negocio, quod nec magnum nec laborioſum eſſet, ſuam mihi non negaret operam. At ego ſurdæ narrabam fabulam, effuſis in ventos ſupplicationibus meis. Abiit enim, obuerſoque mihi tergo, non eſſe ſibi ocium dixit, vt meo vacaret ſpeculo. Animaduerti ex aniculæ diſceſſu, fore, vt ipſa temporis mora diſcuteret hanc moroſitatem, meque votorum meorum poſtremo redderet participem: tunc quidem nox & priuata negocia nos ſeparabant. Ego igitur poſtero mane profectus ſum, cum aliud quidem nihil effeciſſem, quam vt publicum à ſacerdote diligentiæ meæ peterem teſtimonium, obtuliſſe me rite ſacrificia, quod autem Genethlionis

nis non potuissem consulere oraculum, per me non stetisse.

Eo qui sequebatur die, iuxta Samarobrinam iter feci, vbi parum abfuit, quin repentino nouoque opprimerer infortunio. Piratæ enim, qui iuxta promontorium Baiadoriense latrociniis infestum habebant mare, commorabantur ad id temporis in iis oris, cum iam aliquid de meo aduentu inaudiuissent. Nunquam torrens, qui auctus pluuialib. aquis immani præcipitio de summis rupium delabitur iugis, saxa & arbores ante se voluens, tanto impetu campis irruit: quanta illi pernicitate & furore suis me appetiuerunt incursibus, vt captum me, si possent, denuo cogerent latronum execrandam persentiscere conuersationem. Et illis quidem satis erat malitiæ ad me capiendum: Cælitibus aliter visum est, qui non subscripserunt sceleratis eorum conatibus. Puer enim paruulus etiamnum, qui primus eorum obseruauerat impetum, monuit me, vt hoc agerem, atq; periculo cauerem.

In Vrbem igitur me cum recepissem, consuluit mihi Sacrorum Præfectus, vt me aliquot diebus ibi continerem, Piratis subinde intento oculo me obseruantibus. Cum autem mora fieret longior, suasit mihi ipse Hierophantes, quærerem occasionem mei in libertatem asserendi, cum diceret, æquis oculis adspicere se non posse, me ad eum modum instar captiui aut mancipii ibi attineri. Nactus igitur equum, quem nescio quis ignotus mihi commodauerat, dissimulato quis essem, per vnam portam fuga elapsus sum, dum me illi præstolantur ad alteram, nec tamen sic satis effugeram, cum circum mœnia oppidi eundum mihi esset, vt in rectam redirem viam: vbi ego latrones illos vidi ad portam mihi insidiantes. Videbatur autem ipsum cœlum nebulonum illorum detestari perfidiam, orto effuso imbre, qui illos sub-

ter

ter proximum rectum se recipere coëgerat. Euitato igitur tam manifesto captiuitatis periculo, huc ad te me contuli, vt me tuæ vltro addicerem seruituti, & deoscularer manus illas, quæ mihi animoque meo tam iucundas iniecere catenas.

Gratulata toto pectore Manadela amatori suo, quod è tanto periculo benignitate Numinis tam feliciter euasisset, & confecto tam celeriter itinere satis longo ad se rediisset: vicissim narrauit, quot prauis consiliis & perniciosis machinationibus, ipso absente, appetita fuisset, suggerentibus inuidis discordiarum flammas, vt mutuus ille amor dissolueretur. Verum, inquiebat, qui vere amat, æternum amat; & qui desinit amare, nunquam vere amauit. Non bene faciunt, qui tam leuiter subscribunt inconstantiæ. Ad hunc modum non curatur cæcitas amantium, sed mutatur tænia, qua obligantur oculi: non extinguitur vetus ignis, sed accenditur nouus: non abiiciuntur omnino amoris vincula, sed pro veteribus induuntur noua.

Hanc ne ego tibi, mi Galactio, referrem gratiam pro amore, quo me hactenus prosecutus es, vt ereptum tibi cor meum manciparem alii? Ipsi superi, qui mihi auctores fuerunt non repudiandi petitiones tuas, sed dandi fidem futuro matrimonio: an non me exquisitis punituri fuissent suppliciis, si te decepissem, vel potius ipsos coniugii præstites? Non sum ego ex earum numero, quæ vagabundos sectantur amores, quæ modo hos modo illos probant laudantque, nec quicquam pensi faciunt, quales adipiscantur amatores. Recepi quem elegi, conseruo quem diligo, nec quicquam iuris est mutationi temporis in amorem meum, non hercle plus, quam ignibus in aurum obryzum, cum flammarum id committitur examini.

Et spinas quidem quasdam circa Memphim Vrbem crescere

crescere perhibent, eius naturæ & ingenii, vt ad leuem contactum folia haud sane firmiter pediculis infixa dimittant, in quorum locum continuo subnascantur alia: at quæ meus amor felici stirpe progenerat folia, haud facile vllis aduersitatum ventis defluunt, si vel maximo concutiantur impetu: neq; si semel decidant, renascuntur facile, cum longe mihi alia sit indoles quam multis è nostro sexu, quæ nulli in amore fidem seruantes, locum faciunt prouerbio, vt iure dici possit, esse

Verba puellarum foliis leuiora caducis,
Et quarum lasciua Venus periuria ridet.

His talibusque sermonibus cum multum tererent hi duo amantes temporis: accidit, vt Poliarchus reuersus ex Iberia, ipsa itineris ratione in Pulciniam Insulam deferretur. Quo cum venisset, statuit eorum desideriis grato fine satisfacere. Intellecta regis voluntate, Præfectus Insulæ, homo virtutibus penitus incoctus & innutritus, qui non minus apud exteros quam domi valebat auctoritate, Manedelæ suscipiebat in se patrocinium. At Magnus ille Themidos Sacerdos, qui suæ deæ simulacrum nunquam sub tholo reponebat, aut in solio collocabat, quin exquisiti traderet examinis ei in manus bilancem, vt memor esset officii sui, pro Galactione nitebatur, ita quidem, vt ex huius sententia totum id succederet negocium. Adeo autem omnia videbantur his amantibus fauere, vt ipsum cœlum nitidius solito festiuitati futuræ arrideret, & Sol iste, ad constitutum illius lætitiæ diem radiorum suorum fulgorem duplicaret: vt geminato calore videretur æmulari faces Cupidinis, quibus ille tam delicata vrere solet corda. Nempe compacto videbantur egisse hi duo ignes, vt ille non minus torreret corpora externis flammis, quam hic animos occulto ardore.

Lectum est huic tantæ solennitati exiguum castellum

Bla-

Blamense, vt hæc ceremonia, cuius memoriam etiam posteri essent habituri sacrosanctam, ibi perageretur: cui quidem loco per se non magno, non minus famæ ac celebritatis inde accessit, quam olim magnæ illi Ægypto, quando trepidantes excepit hospitio deos, cum Gigantum fugerent arma.

Aderant Hierophantæ duo celebriores, non parua societatis illius ornamenta: horum alter, cum manu innuisset, postulato fauore linguæ, sermonem orsus est in honorem matrimonii præsentis, quem deduxit ad finem tanto quidem orationis flumine & suauitate, vt satis ostenderit, quantum posset vera & solida eruditio, cum nacta est os facundum & linguam eloquentem. Vnde accidit vt postquam nuncupatis rite votis & peracta re diuina discederetur, omnibus plene satisfactum fuerit, & orationis Epithalamicæ suauitate; & felicitate nouorum coniugum, Galactionis inquam & Manedelæ.

Ab eo tempore in summa vixerunt nouelli isti coniuges concordia, pace eorum non modo ligante pectora sed & totam gubernante familiam. Omnes insuper, qui stimulante inuidia ante id tempus conati fuerant, matrimonio isti quacunque tandem ratione remoras iniicere mutatis animis sententiisque bene precabantur: quin & ipsa Sibylla, quæ in eorum gratiam quicquam facere recusauerat, vltro misit ad eos responsum Oraculi Genethlionis, quod antea precante atque obsecrante Galactione consulere noluerat, vt clarissime pateret, hoc par coniugum non solum propitio numinis fauore coiuisse, sed & summa cæli vti in posterum beneuolentia.

CAPVT

CAPVT TERTIVM.

PERIOCHE.

Nouus ab regina Timandra ad Poliarchum è Gallia affertur nuncius. Ambiodorix reuersus in regnum Auimonem Vrbem occupare nititur. Populus ad seditionem concitatus init cum ipso fœdus. Præfectus Vrbis captum Ambiodorigem in suam potestatem redigit. Damnatur ad mortem & securi percutitur.

POliarcho adhuc in Iberia versante, inque eam vnice curam incumbente, vt quæ ad Gelanoris coronationem facerent, expediret: Ambiodorix cuius inflata ambitione mens quiescere non poterat, Galliam denuo ingressus est, scilicet vt imaginarium suum cum ipsa vita perderet diadema: eo quidem euentu, vt Timandra regina celeriter mitteret in Iberiam, qui eodem labore simul nunciarent Poliarcho & Archombroto, Hyanisbam Mauritaniæ reginam cum rege Tunetano venisse Massiliam, & Ambiodorigem dignum sceleribus suis inuenisse vitæ exitum. Vtriusque nuncii is fuit effectus, vt nemo prope per omnem fuerit Iberiam, qui non suauiter afficeretur animo. Regina cum primis, quæ non ignorabat, Equum illum Troianum fatalem fuisse regno suo, supra cæteros efferabatur lætitia: imperauit igitur, non contenta litterarum breuitate, vt is qui à Timandra missus fuerat, vniuersum narraret negotium, quo nam potissimum pacto inquietum illum & formidabilem Ambiodorigem è vita tolli contigisset.

Orsus is: incredibile memoratu, inquit, est, quam miris ra-

tis rationibus sua ipsum inuenerint fata, & eo ipso quidem tempore, cum is nihil minus fabricare se opinaretur quam suum interitum. Dignum profectò est animaduersione: à Polimcho rege quidem delictorum veniam adipisci Ar biodougem potuisse, à superis autem minime, qui constituerant, nequaquam dimittere impunitam hominis exquisitam malitiam. Versabatur infelix in hac cogitatione, totius Galliæ ab sese dependere felicitatem, sed ita, si ad summum is conscenderet rerum fastigium: ad hoc autem peruenire se nisi gladii sui beneficio non posse arbitrabatur. Calamitosus princeps: qui vt Ixyon nubes olim pro Iunone amplexus fuit: ita hic pro regno fallacem & inanem spem.

Non deerant fideles monitores, qui homini hoc extremum omnium consiliorum & velut supremam anchoram suppeditabant: vt se submitteret regi suo: at ambitiosissimus ille mortalium, quamuis se captiuum intelligeret, inque manibus ac arbitrio Victoris: tantum tamen abfuit, vt superbiæ & cupiditati modum imponeret, vt eo ipso tempore ausus fuerit ad regnum adspirare, quo nihil nisi capitis supplicium ei expectandum erat.

Nunquam igitur, quacunque etiam aduersæ fortunæ acerbitate adduci potuit vt i se humiliaret, & gratiam victoris regis imploraret, cum non ad humilia sed ad summa natum se arbitraretur, vir inquieti spiritus. Ad hunc modum occupatus vanitate & insolentia hominis animus, moderata consilia admittere non poterat. At considerasset duntaxat, quantopere offendisset regem suum, quam irritato in ipsum ferretur populus animo, quam immaniter, ne dicam crudeliter tractauerit Timandram reginam: hæc inquam commonefacere ipsum poterant, regum principumque iras plumbeas esse, vt apud magnam illam reginam

manet

——manet alta mente repostum
Iudicium Paridis spretaque miuria formæ.

Pro his omnibus, quæ ne in considerationem quidem admittere dignabatur, tam elato fuit supercilio, vt postulare à rege auderet, ne ingrediens cum Triumpho Ruscinonem oppidum, se inter bello captos numeraret.

O nimiam regis nostri in ignoscendo hostibus facilitatem. Contentus Poliarchus, hominem ad illius dedecoris mentionem erubuisse: non solum hanc ei gratiam fecit: sed & omnium delictorum largitus est veniam. Ignoscat mihi clementissimus rex, si ausim nimiam illam improbare in victore clementiam. Si enim tunc sumtum de eo fuisset supplicium, optimo iure punitus fuisset ob tot flagitia in rempublicam commissa, & satisfactum fuisset sacrosanctæ iustitiæ: nec ansa suppeditata posterioribus tumultibus. Volenti iniuriam non fieri, vetus verbum habet. Placet istud illius qui dixit: summæ misericordiæ opus esse, maleficos & noxios quam primum è vita tollere. Facinorosorum enim interitu hoc lucramur, vt imposterum delinquendi adimatur eis facultas, & caueatur bonis atque innocentibus, quos illi ad eorum, quos ante id tempus læserant, numerum, velut succidaneas hostias, erant addituri, si diutius his reipublicæ carcinomatibus viuere contigisset.

Nactus igitur delictorum veniam, discessit à facie regis sui, iisdem adobrutus sceleribus, quibus antea coopertus fuerat: imitatus serpentes, qui hyberno tempore non ideo deponunt venenum, quod eo vti per rigorem & infirmitatem non possunt, sed seruant in commodiora veris tempora. Sic Ambiodorix, recepta libertate, ibi mox virus suum euomuit, conatus rem, qua detestabiliorem vix solem istum vnquam intuitum fuisse peierauerim.

Cum

Cum per Galliam iter faceret in Liguriam, accidit, vt quidam eum accederent è complicibus eius, qui Auinioni Cauarum degebant. Horum qui primus erat, etsi Gallum se natione profiteretur, Barbari tamen atq; proditoris cor intra pectoris sepimentum occultabat. Ad primum congressum eorum hæc fuerunt agitata consilia, quomodo Auinionem, nobilissimam vrbem in Ambiodorigis potestatem redigerent. At proditor ille, cum inter eos conuenisset, reuersus domum id egit, vt eos, quos à sua factione non alienos nouerat, spe luculentissimorum præmiorum, quæ inde percepturi essent compulsos, in suas partes traheret.

Pollicentibus his operam suam, elapsis aliquot diebus, nocte quadam positis vestibus nudus insilit in Rhodanum amnem, quo natando superato, in alteram ripam emergens, à coniurationis sociis excipitur Ambiodorix, vti inter ipsos conuenerat. Quod supererat noctis impendit visitationi sociorum, vt hos in fide conseruaret, & alios insuper sibi adiungeret.

Vbi fugatis tenebris solis iubar illuxit, videns præcipuos sibi ad condictum adesse ciuium, credidit satis sibi esse roboris, ad arripiendum ciuitatis dominatum. Dato igitur signo, cum conuocasset in forum populum, simulat se habere à rege mandata, quæ ijs expositurus esset.

Scinditur incertum studia in contraria vulgus:

Ambiodorige enim, tanti nominis Principe intra Vrbem conspecto, alii quidem lætabantur: alii ita mirabantur, vt vix suis ipsi crederent oculis. Orsus igitur sermonem, ita perorauit, vt ij audientium, quorum non pudoris rubore suffunderentur facies, satis ostenderent, depuduisse illos, eorumque animos iam pridem infidelitatis crimine effascinatos ad omne dedecus occalluisse: ita extollebat sua homo ventosus in vniuersam Galliam merita: ita contra contemtim & contumeliose loqueba-

quebatur, de Poliarcho rege, deque matre eius Timandra regina, vt non vno modo summorum hominum famam læderet & honorem.

Dixerat Ambiodorix: & seditiosam viri concionem è vestigio secutus est tumultus popularis: quo abusus homo compita Vrbis, ipsaque adeo templa & quadriuia occupauit, præsidiisque è sua factione firmauit. Post conuersus ad statuas Poliarchi patrisque eius, eas demoliri & comminuere aggressus est, quanquam vniuersæ Galliæ consensus eas posuisset, vt essent virtutum eius & in rempublicam meritorum testimonia, & ad easdem posteritati æmulandas incitamenta; indicia insuper gratitudinis ciuium in Principes suos. Omnem autem barbariem & insolentiam superabant, conuicia & probra, quibus eorum nequaquam verebantur impudentissimè lacerare famam gloriamque.

Occupatis ad hunc modum per suos Ambiodorix vicis & plateis vrbis, perfidissimo cuique licentiam fecit, inuadendi eorum domos, qui firmi in fide aduersus regem perstiterant, vt eas exspoliarent, omniaq; in prędam verterent, interea dum ipse clauibus ad portas ciuitatis potitur, & Palatium occupat. Nemo vnquam credidisset, tantum nefas in homines Gallos cadere potuisse, nisi qui ipsus omnia oculis arbitratus fuisset. Ferocissimos enim Thracum Scytharumque populos, qui ipsius crudelitatis mammas suxissent, ausuros talia vix crediderim, neque tam inclementer debacchaturos fuisse in hostes suos aperto prælio victos, quam isti homines in ciues suos, immerentes, quibus eadem religio idem ortus atque patria.

Non senserat ista Præfectus oppidi, dante Ambiodorige omnem operam, ne quid harum, quas ipse machinabatur, rerum ad illum emanaret. Videns igitur de Vrbis possessione actum esse, suam insuper vitam in summo versari

verſari periculo, & futurum, vt Poliarchus amitteret ciuitatem partemque regni: vehementer expauit. Hinc ira animos ſuggerente, nixus æquitate cauſæ quam defendebat, congregatos milites ſuos arma capere iubet, ipſe dux eos præit, recta contendens ad vnam è portis ciuitatis. Pergunt hi, accepto imperio, vt omnes qui reſiſtere auſi fuiſſent trucidarent: ibi populus, qui nihil minus quam pugnam expectabat, territus audacia Prætorianorum, paulatim refrixit, poſitiſque humi armis, præclare ſecum actum credidit, quod viui ab ſtationibus ſuis dimitterentur, quas obſeruare iuſſi fuerant, eo loco ab Ambiodorige ſub ſeditionis initium conſtituti.

Potitus ad hunc modum poſſeſſione vnius portæ ciuitatis, auſus eſt Præfectus de cæteris quoque bonam ſpem concipere. Vocatis igitur ad ſe ciuibus, quotquot in fide erga regem perſtare cognouerat, iiſque ad virtutem commonefactis, altiora aggredi ſtatuit. Ii autem, quorum diripiebantur fortunæ & effringebantur domus, etſi initio furore aduerſæ partis perterriti diffugerant aut occultauerant ſe; voce tamen Præfecti animati concurrebant, vt opes ſuas libertatemque defenderent, quas illis adimere conabatur Tyrannus, vſus nefaria proditione.

Cum igitur facto concurſu ad numerum non exiguum excreuiſſent, accedente amore communis patriæ, & affectu in regem: recta ſequebantur ipſum Præfectum ad Palatium vſque Arcis, vbi ſtabat Ambiodorix concionabundus, hortatus populum, vt pro tam egregiis auſis ſibi gratias referrent, ſinerentque ſe pro communi vſu mutare magiſtratus vrbanos & diſtribuere officia. His aduentu fidelium ciuium perturbatis, cum omnia plena eſſent confuſione, Præfectus irrupit cum ſuis, protritis inſanientis plebis cuneis: cumque omnes occupaſſet aditus, & portæ cuſtodiam ſibi vendicaſſet,

abiecta omni mora in ipsos vsque cancellos ad Ambiodorigem peruadens, apprehenso capulo gladii eius, iussit, vti eum extemplo sibi traderet. Audacia hominis stupefactus Ambiodorix, dum hæsitat: alter conuersa ad multitudinem facie, arma ponere, atque malo cauere iussit: quod si repugnare ausi fuissent, scirent, habere se permixtos turbæ suos, quibus imperatum esset, vt sine discrimine omnes iugularent, qui vllo pacto resisterent. Ad hunc modum cereus ille funalis inuersus, adobruta flamma, eadem illa cera extinctus est, vnde ardendi sumserat nutrimentum. Nouus enim hic rex, in momento oculi amisit ciues suos: & idem ille insanientis plebis globus, qui hactenus eum tot encomiis ornauerat, tot laudibus ad cœlum euexerat, non deseruit solum ducem suum, verum etiam Præfecto prodidit, vt ipsi ciues tradito seditionis auctore sibi de impunitate cauerent. Ita magna illa auis, quæ sibi persuaserat, Leges velut aranearam telas, pro solis muscis culicibusque factas esse, tot filamentis reticulatim textis se implicatam animaduertit, vt se inde extricare non potuerit. Et sane, quasi omnis hominis istius vis ac potentia in solo gladio sita esset, ita erepto hoc immobilis sterit, haud secus ac corpus spoliatum anima sua, obrigescit: ita repente vidit se homo destitutum non solum sensibus suis, sed & fide, amicitia, ope auxilioque plebis Aunionensis.

Degenerauerat iam magnitudo animi eius in furorem, sed tamen ille furor non potuit extinguere magnanimitatem eorum, qui ipsum mascule adorti fuerunt. Et antea quidem mens ipsius rabie agitabatur, haud aliter, quam per dumos & salebrosa tesqua adacto in præceps curru

Fertur equis auriga nec audit currus habenas.

Adeo nullum verbum ex male conciliati hominis ore audiebatur, quo non iram in se prouocaret numinis, & conui-

conuicium faceret regi. Vnde postremo non multum à furioso aberat, nec inter hunc hominis furorem & mente capti rabiem quicquam erat differentiæ, quam ratione longioris aut breuioris durationis. Idem hic quoque accidit. Cum enim videret, parum admodum in verbis suis esse efficaciæ ad conficiendam sibi salutem: reuocata à maledictis lingua, & mutato genere dicendi, Deos & homines in auxilium implorabat. Quod cum frustra fuisset, denuo ad furorem conuersus, tam valide pugnũ impegit Præfecto, vt repulsus, gladii eius capulum è manu dimitteret: cuius nactus potestatem Ambiodorix, iam ictum non perfunctorium homini intentabat, confodissetque eum haud dubie, nisi præfectus vigilum interueniens, sublata alte bipenni, inque brachium eius impacta, humerum eius fregisset, vnde ei gladius è manu effluens in terram delapsus est. Erat autem ingens clamor & confusio, multis Quiritium fidem implorantibus, aliis misericordiam numinis, plerisque nescientibus, quos pro hostibus quos pro amicis sequerentur, aut vtrius vitam defendendam sibi sumerent.

Interim Præfectus tantum ocii nactus est, vt suos collectos & à reliquis segregatos ordine constitueret, qui deinceps semota multitudine, viam vtrimque constitutimuniuerunt, per quam Ambiodorix in carcerem deductus est, per duos robustos milites, qui tam firmiter ex vtroque latere eum distinuerunt, vt mouere se vix vlla ratione potuerit.

Imperitanti ad hunc modum Præfecto, nemo vel verbulo se opponere ausus est, sed cum progredienti omnes de via decederent, in inferiorem arcis aream descendit, ad includendum firmo carceri Ambiodorigem: quod cum fecisset, admouit custodes, iussos omni virum seruare fide atque vigilantia.

His ita peractis Præfectus in concionem rediit, gra-

uiterque correptos eos, qui adhuc in arce erant, ob leuitatem & animorum inconſtantiam, iurauit conceptis verbis per ſalutem Poliarchi, ſe nullum dimiſſurum incolumem, niſi ſanctiſſimo ſe ſinguli adſtrinxiſſent iuramento, redditũros ſpolia quæ rapuiſſent, & ſatisfacturos de damno fidelibus ciuibus, quorum perfregerant domos & diripuerant velut in prædam conceſſas fortunas. Sublatus eſt omnium vnus & idem clamor, facturos imperata, & errorem maiore fidelitate correcturos. Poſt, cum atrocitatem facti conſiderarent preſſius, procumbentes in genua, primo Deûm pacem, deinde gratiam regis expoſcentes, fauſtiſſima omnia Poliarcho precati, deque obedientia inpoſterum prolixe polliciti, magna animorum ſubmiſſione veniam à Præfecto exorauerunt.

Nam ex omni eorum numero, qui Ambiodorigis in ſeditione fuerant ſecuti partes, nemo capite luit errorem, præter ſolum illum, qui proficiſcentem in Liguriam principem in via conuenerat, & ad tam pernicioſum capiendæ per proditionem Cauarum Vrbis conſilium ſollicitauerat. Huic enim illatum mortis ſupplicium hoc ſaltim beneficii præſtitit, ne per omnem vitam neceſſe haberet affligandi animum recordatione tam deteſtabilis flagitii. Poſtea Præfectus ad omnes ciuitatis exitus, & ad ripam vicini fluminis excubitorum ſtationes diſpoſuit, ne quis exire Vrbe poſſet. Sic effecit, vt ciuibus redderentur omnia, quæ iis à ſeditioſis erepta fuerant, reſtituit eos ſuis domiciliis, honoribus ac officiis, quibus vnuſquiſque ante tumultum illum ciuilem functus gauiſuſque fuiſſet.

Ordinatis ad hunc modum in ciuitate rebus, ſcripſit ad Timandram reginam Præfectus, ecquidnam ipſa de capto Ambiodorige fieri vellet? Hæc cum ſenatum procerum conuocaſſet, propoſuit iis quæſtionem Præ-

fectis

fecti: & ipsa quidem censebat, expectandam præsentiam filii sui Poliarchi. Plærisque aliter visum est, optimum factu iudicantibus, si quam primum pestis illa reipublicæ è medio tolleretur. Magis metuendas esse eius proditorias machinationes, dum captiuus sit, quam si libertate frueretur. Neque enim conquieturum hominem, dum vitali hac vesceretur aura: neque iuratos eius socios, qui velut in specula constituti, in omnes essent intenti occasiones, ad concitandos nouos in Galliæ regno motus, ad summam diligentiam quicquam reliqui facturos. Horum omnium artes, consilia, conatus in ventos ac fumum abituros, vna Ambiodorigis morte. Neque cuiquam verisimile videri, fore, vt is à rege reuerso, gratiam sceleris consequeretur, quem videret in singulos dies se ipso deteriorem fieri, & perfidia perfidiam cumulare. Postremo, alterutrum necessario faciundum: aut supplicio capitis sine mora afficiendum Ambiodorigem: aut vocandum exercitum ad custodiam ciuitatis, in qua vinctus attineretur is, quæ eo solo nomine, quam manifesto esset exposita periculo, fortasse non omnes satis intelligerent.

De Rege vniuersos securos esse debere, cui magni solatii loco sit futurum, si videat, hominem istum acceptis tot illustribus beneficiis, in quem ipse tam munis, propensus, & in ignoscendo facilis fuisset, vltro se in id infortunium nouis furoribus præcipitasse, cuius alius quam mors esse non potuerit exitus.

Non habebat, quid huic procerum sententiæ opponeret Regina: acquieuit igitur. Præfectus autem non mediocriter lætatus est, vbi accepit, primo quoque die supplicio afficiendum captiuum suum, quem ad causam dicendam vocare superuacaneum erat, quod nec haberet qua ratione vel negaret admissum crimen vel palliaret: volebat igitur omnibus modis aculeatam hanc spi-

nam è horto suo eradicatam. Quos seditionis societas velut torrens inter tumultum abripuerat, veriti iustam Præfecti indignationem, paulisper è conspectu eius se subduxerunt, quanquam non nisi vnius, qui coniurationis princeps fuerat, caput sibi depoposcisset, vt eo cæterorum omniũ expiaret flagitium. Sicut autem columbæ domesticæ circa columbarium diu plenæ formidinis volitant, donec vna facto periculo ingrediatur, post secunda & tertia, tandem velut agmine facto maiore irrumpunt frequentia quam egressæ fuerant; ita hi seditiosi, suo ipsorum iudicio & conscientia rei, prodeuntes è latibulis suis ad reginas vix audebant accedere, veniam petituri; quæ quidem, vt erant ad omnem mansuetudinem natæ atque institutæ, acquieuerunt, cum viderent, plus habere fulmen suum pauoris quam noxæ: nolebant enim imitari Tyrannos qui id habent in more positum, vt etiam innocentes ad pœnam rapiant, ne modo noxii & malefici effugiant. Inprimis Timandra, Poliarchi Mater, ambabus quod dicitur veniam orantes excepit vlnis, plus ipsis largita veniæ, quam vnquam petere ausi fuissent. Enimvero Leoni, animalium generosissimo

Ire super satis est——

Et

Parcere prostratis scit nobilis ira Leonum,
Pugna suum finem cum iacet hostis habet.
At lupus & turpes instant morientibus vrsi
Et quæcunque minor nobilitate fera est.

Donec in carcere seruabatur Ambiodorix, non poterat conqueri se solum inclusum detineri, sine socio: habebat n. secum, (nisi forte magis intra se) vsitatã illam vanitatẽ & stultam confidentiam, qua sibi ipsi persuadebat fieri non posse, vt à bona sua fortuna vnquam destitueretur, ne in euidentissimo quidem illo periculo. Neq; sane omitte-

mittebat, in omnibus suis actionibus vanæ iactationis & ostentationis ampullas proiicere. Quod doliis plenis, & firmato obturatis operculo accidere nouimus, vt humorem contentum non dimittant, nisi pertusa tabula aer admittatur, ob fugam vacui: idem Ambiodorigi vsu veniebat, vt nulli de cogitatione sceleris ipsum interroganti, verbulũ redderet, nisi qui vanæ laudis vento, vel ficta oratione, hominem impleret, adeo immersus erat superbissimus mortalium vanæ gloriationis cupiditate. His enim verbis vtebatur ad Iudices, quibus de causa ipsius cognoscendi & sententiam pronunciandi ius erat: Istud saltim vos nouisse confido, quod per me non steterit, quin dulcem ac desideratam patriæ meæ restituerim libertatem. In præclaris illis conatibus non animus mihi defuit, sed manus. Tandem video cedendum Poliarcho, qui me superior est, non iustitia causæ, sed fauore fortunæ. De diademate regni Galliæ mihi cum eo contentio est, quod quidem ipse suo capiti imponere non poterit, nisi prius hoc meum à ceruicibus auulsum viderit. Pernitiosissimus ille fuit error meus, quod nimis credidi vulgo, qui se quidem iuit perditum, me autem turpissime decepit. Doceat hoc principes viros, ne nimium fidant auræ populari, scientes istud:

Λαῷ μὴ πίστευε πολύτροπός ἐστιν ὅμιλος.

Aliquando contra Iudices suos excipiebat, quanquam ex omni regno lecti fuissent viri cordatissimi & Iuris scientissimi: hos omnibus modis suspectos & inhabiles facere conabatur. Quod cum non succederet, cæpit eos contemnere, deque iis aliene ac desultorie loqui, etsi non ignoraret, vitam suam ab eorum dependere arbitrio.

Capitis sententiam à Iudicibus in eum latam, primus homini nunciauit Præfectus ciuium, additis his sub discessum

cessum suum verbis: fuisse tempus quo clementia regis in ipsum valuerit; nunc necesse esse, vt Iustitiæ suus constet vigor: cumque parum ipsi commodum visum fuerit, frui beneficiis Domini Principisque sui: consequens esse, vt magno animo parique patientia sustineret debitas delictis suis pœnas, quas ipsi Mors allatura esset. Ad Mortis mentionem expauit, haud aliter quam ad monstri alicuius repentinum conspectum, adeo durum erat illud vocabulum & concoctu difficile. Vocatus quidem è Druidis, cum de vitæ futuræ conditione quædam locutus fuisset, effecit, vt colligeret animum, & puerilem mortis abiiceret formidinem. Sicut enim in obscuræ noctis caligine (aiebat ille) multæ species satis formidabiles nostris sensibus offeruntur, quæ neque corpus vllum habent, neque formam aliam, quam quæ perturbata nostra imaginatio illis tribuit: ita quoque Mors, cum eam corrupto iudicio & perturbatis intuemur sensibus, horribilis nobis videtur; Si autem recto mentis vsu eam contemplemur pressius, multum de horrore illo & formidine deperdet.

His aliisque verbis videbatur animum recepisse, & obfirmata ad mortem patientia, alacritatem quandam præseferebat. Hoc habitu productus in publicum inter præsidiariorum militum vtrinque constitutos Ordines, conscendit in eum finem erectum theatrum ligneum, eam vultu ac gestibus præ se ferens hilaritatem ac frontis serenitatē, quasi ludos scenicos aut gladiatorū spectaturus esset certamina, aliquid inde percepturus lætitiæ. Nec n. minus in infami illo Circo videbatur Ducē exercitus agere, quam olim Massiliæ, cum potiretur vrbe. Loqui ad populi coronam volentem, monuit lictor, ne faceret, neque enim meliores plebem illam habituram auriculas quam corda & animos habuisset, cum ipsum

in vitæ

in vitæ periculo deseruit. Hoc audito supersedit dicere, inuocatoque semel atque iterum numinis fauore, ad recipiendum ictum se composuit: cuius tanta vis fuit, vt caput cum vita ei in momento oculi auferret.

CAPVT QVARTVM.

PERIOCHE.

Poliarchus audita morte Ambiodorigis, iure eum casum pronunciat. Multi reges conueniunt Massiliæ, Poliarchus, Archombrotus, Tunetanus, Iberus cum regina vxore. Comitas & hospitalitas Gallorum in tractandis peregrinis: mos Vandalorum in recipiendis hospitibus.

NEmo erat ex omni numero eorum, qui narrationem illam de Ambiodorige supplicio capitis affecto non lubentissimo animo audiuerit, & Iudices in irroganda pœna magnis euexerit laudibus. In Poliarchum omnes intenti erant oculis, probaturusne esset ille quæ acta fuerant an secus? at is vltro etiam hæc verba addidit; nullum odorem suauiorem fingi posse, quam eum qui ex Proditoris mortui exhalat cadauere: nec quicquam esse pestilentius eiusdem vita. Subiunxit his Iberorum regina: omnes, quorum præcipua sit delectatio, concitare ad seditionem populos, turbare respublicas, quærere res nouas, tædio præsentium, odio paupertatis, formidine iustitiæ: eos omnes, aiebat, non mediocriter perculsum iri supplicio tam magni perduellis. Poliarchus subtristior videbatur, non quod capite truncatus fuisset iste, qui mille mortibus dignus fuerat, sed quod tam malo vsus consilio se ipsum in calamitatem illam præcipitauisset:

Non

Non me fugiebat, ait clara voce, huncviri fore vitæ finem: neque vero se commissurum, vt ciues subditique sui in posterum deridiculo haberent regem suum, eius abuterentur benignitate, & in quæstū verterent absentiam. Non negare se, quin Princeps, qui assuendo Leoninam ad vulpinam pellem regnum obtinuisset, & astu, vafritie, malis artibus aut crudelitate regale conscenderit fastigium, necesse habeat multa dissimulare, etiam si apette contemnatur, quod potentia eius atque dominatus infirmis nitatur fundamentis, instar nauigii, quod destitutum gubernaculo ludibrium debeat fluctibus, quorum postremo rumpatur violentia. Se vero, qui regnum suum non solum iustitia & armis teneat, sed & legitimæ hæreditatis successione adeptus sit, non vltra admissurum aut toleraturum in Gallia, quæ nullus ex aulæ suæ comitibus domi suæ perferre ac pati volet.

Dum in omnium ore est capite truncus Ambiodorix, dum perfidi hominis cęde lætatur omnis Iberia, dum Gelanor diadema regum capite circumfert, dum regina in eius deliciatur amplexibus: Poliarchum cupido incessit visendæ dilectissimæ suæ Argenidis, & Archombrotus perpetuis ad Elisam suam anhelabat suspiriis. Capto igitur proficiscendi ex Iberia in Galliam consilio, Rex Balearicus, Gelanor, eiusque coniux Regina Iberiæ se vna profecturos affirmauerunt. Hi igitur omnes cum se viæ dedissent, magnis itineribus pertendentes, etsi in omnibus vrbibus oppidisque, qua illis transeundum erat, exquisitis honoribus exciperentur, effuso ad summam lætitiam populo: nullo tamen loco diuturnas traxere moras. In hoc itinere accidit, vt tædium quod è longinqua via capi solet, leniretur ludicro, sed auditu non ingrato certamine duorum militum, contendentium inter se de hospitiorum diuersoriorumque varietate, quam experiri coguntur ii, quibus multæ

terræ

terræ prouinciæque percurrendæ sunt: vt vulgo dici solet: *multum peregrinantes multos habere hospites paucos amicos.*

Igitur duo illi milites, qui ad exemplum Homerici illius Vlyssis valde multa viderant regna & oppida, & hominum mentes cognouerant, hac ratione de hospitiorum differentia sermocinari cœperunt. Mirabatur vnus, quæ causa mouisset regem, quod tanto tempore commoratus fuisset Bliterræ, cum negotia maximi momenti, quæ regni incolumitatem concernerent, non paterentur diuturnam eius absentiam. Respondebat alter satis prudenter: non conuenire militibus, vt velut instituto examine curiosius in regum inquirerēt consilia. Si tamen sibi fas sit, quæ vellet quæque sentiret dicere: arbitrari se regem ideo diuturniores ibi trahere voluisse moras, quod non posset à suauissima se celeriter abdicare societate: deinde vt hospitibus suis ostenderet, quanta esset Gallicæ nationis in excipiendis peregrinis comitas & hospitalitas, qua quidem in re isti omnes gentes suo iudicio superare viderentur. Ideo se mirari, quod rex non diutius ibi commoratus fuerit.

Miratus alter, cur adeo suus commilito extolleret ciuilitatem & hospitalitatem Gallorum, id responsum tulit: non fingi hæc, aut iusto altius attolli gentis affabilem humanitatem, quam ipse coram aliquoties expertus fuisset. Vnum quidem omnibus terris oriri ac lucere solem: non autem omnium prouinciarum regnorumq; idem esse ingeniū, nec eosdē populi mores atq; indolē.

Omnibus autem nationibus hospitalitatis & Vrbanitatis laudem præripuisse videntur Galli, vt non tantum nobilibus illa virtus sit familiaris, quibus ante alios studium est honestatis, sed in priuatorum quoque ædes, adeoque diuersoria publica immigrauerit. Nemo domi tractatur melius quam ibi in Pandocheo, etsi ab omnibus mundi partibus homines eo confluant. Vix intrasti, cum

cum statim ad limen occurrunt, qui te salutant: seruus, materfamilias, domestici certatim te circumstant, subinde sciscitantes, si qua in re eorum velis vti opera? nunc blandiuntur, arrident, iubent te hilarem esse, & obliuioni tradere tædium si quod ex itineris obortum sit incommoditate. Semper adstat cœnanti ad mensam aliquis ad omnes iocos instructus, vtque fastidium leuet solitudinis, obiter narrat, qui sint mores illius gentis, quid nouarum rerum vulgaris circumferatur rumoribus. Interea hospes ipse aut materfamilias adest, quæ iubebit te hilarem esse, & quod apponitur boni consulere. Abeuntes complectuntur, tantoque affectu dimittunt, ac si fratres essent omnes aut propinquæ cognationis. Breuiter, dicas illic locum esse, vnde non potuerunt auelli socii Vlyssis: & scio, me non sine dolore ex huiusmodi diuersoriis, ipsiusque adeo humanitatis officinis discessisse, & maledixisse negotiis meis ac proficiscendi necessitati, quod mihi non diutius ibi commorari liceret.

Non negauit alter, humanitatis & hospitalitatis laude inter omnes populos excellere Gallos, sed affirmauit illos potius consuetudine quadam simulandi, quam affectu & beneuolentia tam promptos esse in hospites. Cæterum aliarum gentium consuetudinem in excipiendis peregrinis, inprimis Vandalorum, videri sibi magis generosam atque masculam. Itáne vero? aiebat prior ille: miror quo pacto masculum & generosum appelles id, quod sordidum potius & inciuile dici possit. Ne autem putes me alieno in gentem istam animo, aut odio abreptum hæc dicere: ostendam tibi ad oculum, quibus illi homines soleant vti ceremoniis ac consuetudinibus in excipiendis peregrinis: nec est quod verearis, ne forte hæc alii mihi parum bona fide retulerint, cum ego ipse non semel apud Vandalos diuerterim, &

exper-

expertus fuerim admirabilem eorum humanitatem. Neque tamen affirmauerim, omnes vbique ad eundem tractari modum, quæ ego vidi, ea narrabo.

Primum omnium, aduenientem nemo salutat, neve id fiat sedulo cauent, ne videantur ambire hospitem: id enim sordidum & abiectum existimant, nec dignum Vandalica seueritate. Vbi diu inclamaueris pulsaueris-que ostium, & satis diu foris steteris, tandem aliquis per fenestellam æstuarii, (nam in his degunt fere vsque ad solstitium æstiuum) profert caput, non aliter, quam è testa prospicit testudo, ita tamen, vt id confestim retrahere possit. Is tamdiu te adspectat, donec eum supplex rogites, an liceat illic diuersari. Si non renuit aut quassat caput, bonum signum est: intelligis enim dari locum.

Rogantibus vbi sit stabulum, mota manu demonstrat. Illic licet tibi tuum equum tractare tuo more. Nullus enim famulus manum admouet. Si celebrius est diuersorium, ibi famulus commonstrat stabulum, atque etiam locum equo minime commodum. Nam commodiora seruant venturis præsertim nobilibus. Si quid causeris, statim audis. Si non placet quære aliud diuersorium. Fœnum in vrbibus ægre ac præparce præbent, nec multo minoris vendunt quam ipsam auenam. Vbi consultum est equo, totus commigras in hypocaustum, cum ocreis, sarcinis, luto, id est vnum omnibus commune. In hypocausto exuis ocreas, induis calceos, mutas si voles indusium, vestes pluuia madidas suspendes iuxta fornacem, ipse te admoues vt sicceris. Est & aqua parata, si libeat lauare manus, sed ita munda plerunque, vt tibi post alia quærenda sit aqua, qua lotionem illam abluas. Quod si tu appuleris ad horam à meridie quartam, non cœnabis tamen ante nonam, nonnunquam & decimam. Nihil apparant, nisi videant omnes, vt eadem o[illegible] ministretur omnibus. Itaque frequenter in idem hypo-

hypocaustum conueniunt octoginta aut nonaginta, pedites, equites, negotiatores, nautæ, aurigæ, agricolæ, pueri, fœminæ, sani, ægroti. alius ibi pectit caput, alius abstergit sudorem, alius repurgat perones aut ocreas, alius eructat allium. Quid multis? Ibi linguarum ac personarum non minor est confusio quam olim in turri Babel. Nefas est interim tibi quicquam petere. Vbi iam multa est vespera nec sperantur plures aduenturi, prodit famulus senex, barba cana, tonso capite, vultu toruo, sordido vestitu. Is circumactis oculis, tacitus dinumerat, quot sint in hypocausto: quo plures adesse videt, hoc vehementius accenditur hypocaustum, etiam si Sol alioqui sit molestus æstu. Hæc apud illos præcipua pars est bonæ tractationis, si sudore diffluant omnes. Si quis non adsuetus vapori aperiat rimam fenestræ, ne præfocetur, protinus audit, Claude. Si respondeas, Non fero: audis, Quære igitur aliud diuersorium. Post redit ille barbatus Ganymedes, ac linteis insternit mensas, quot putat esse satis illi numero. Sed ô Deum immortalem, quam non Milesiis: canabea diceres ex antennis detracta. Destinauit enim vnicuique mensæ conuiuas ad minimum octo. Iam quibus est notus mos patrius accumbunt, vbi cuique libitum fuerit. Nullum enim discrimen inter pauperem & diuitem, inter herum ac famulum. Postquam accubuerunt omnes, rursum prodit toruus ille Ganymedes, ac denuo dinumerat sua sodalitia: mox reuersus, apponit singulis pinacium ligneum, & cochleare ex eodem argento factum, deinde cyathum vitreum, aliquanto post panem: eum sibi quisque per ocium purgat, dum coquuntur pultes. Ita nonnunquam sedetur ferme horæ spacio. Tandem apponitur vinum: Deus bone quam non fumosum. Non aliud oportebat bibere Sophistas, tanta est subtilitas & acrimonia. Quod si quis hospes etiam oblata priuatim pecunia, roget vt aliunde paretur

aliud

aliud vini genus, primum diſſimulant, ſed eo vultu, quaſi in erfecturi: ſi vrgeas, reſpondent: Hic diuerſati ſunt tot Comites & Marchiones, neque quiſquam queſtus eſt de meo vino: ſi non placet quere tibi aliud diuerſorium. Solos enim nobiles ſuæ gentis habent pro hominibus & horum inſignia nunquam non oſtentant. Iam igitur habent offam, quam obijciant latranti ſtomacho: mox magna pompa veniunt diſci. Primus ferme habet offas panis madefactas iure carnium, aut ſi dies eſt piſculentus, iure leguminum. Deinde aliud ius: poſt aliquid carnium recoctarum, aut ſalſamentorum recalfactorum. Rurſus pultis aliquid, mox aliquid ſolidioris cibi, donec probe domito ſtomacho, apponant carnes aſſas, aut piſces elixos quos non poſſis omnino contemnere, ſed hic parci ſunt & ſubito tollunt. Hoc pacto totum conuiuium temperant, quemadmodum ſolent actores fabularum, qui ſcenis admiſcent choros, ita iſti alternis miſcent offas ac pultes. Curant autem vt extremus actus ſit optimus. Porro piaculum ſit ſi quis interim dicat, tolle hunc diſcum nemo veſcitur. Deſidendum eſt vſque ad præſcriptum ſpacium, quod illi clepſydris, vt opinor, metiuntur. Tandem prodit ille barbatus, aut pandocheus ipſe, minimum veſtitu à famulis differens, rogat ecquid animi nobis ſit. Mox adfertur vinum aliquod generoſius. Amant autem eos qui bibunt largius, quum nihilo plus ſoluat ille, qui plurimum hauſerit vini, quam qui minimum. Quum nonnunquam ſint qui duplo plus abſumant in vino, quam ſoluant pro conuiuio. Sed antequam finiam hoc conuiuium, dictu mirum quis ſit ibi ſtrepitus, ac vocum tumultus, poſtquam omnes cœperunt incaleſcere potu. Quid multis: ſurda omnia. Admiſcent ſe frequenter ficti moriones: quo genere hominum, quum nullum ſit magis deteſtandum, tamen vix credas quantopere de-

lectentur Vandali. Illi cantu, garritu, clamore, saltatione, pulsu faciunt, vt hypocaustum videatur corruiturum, neque quisquam alterum audit loquentem. At interea videntur sibi suauiter viuere, atque illic desidendum est voléti nolenti vsque ad multam noctem. Tandē sublato caseo, qui vix illis placet, nisi putris ac vermibus scatens, prodit ille barbatus, adferens secum pinacium escariū, in quo creta pinxit aliquot circulos ac semicirculos: id deponit in mensam, tacitus interim ac tristis. Charontem quempiam diceres. Qui agnoscūt picturam, deponunt pecuniam: deinde alius atque alius donec expleatur pinacium. Deinde notatis qui deposuerunt, supputat tacitus: si nihil desit, annuit capite: si quid supersit fortasse redderet, & faciunt hoc nonnunquam.

Nemo reclamat iniquæ rationi: Nam protinus audiret: Quid tu es hominis? Nihilo plus solues quam alii. Quod si quis ex itinere lassus, cupiat mox à cœna petere lectum: iubetur expectare donec cæteri quoque eant cubitum. Tum suus cuique nidus ostenditur, & vere nihil aliud quam cubiculum: tantum enim ibi lecti sunt, & præterea nihil quo vtaris, aut quo fruaris. Illic mundicies est eadem quæ in conuiuio, lintea forte lota ante menses sex. Equi ad eandem disciplinam tractantur, ad quam homines. Quanquam non sit vbique eadem tractatio. Alicubi ciuilior, alicubi durior quam narraui: verum in genere talis est.

CAPVT QVINTVM

Perioche.

Poliarchus comitatus cæteris regibus Massiliam venit. Aduentus Legatorum regis Liguriæ ad Poliarchum, inter quos & Lexilis Gymnosophista. Anerocstus summus Pontifex constituitur. Magnificus

gnificus Poliarchi ingressus in Vrbem. Nuptiæ Archombroti regis Siciliæ cum Elisa Gallicana. Pugna naualis, in qua Lexilis depugnauit contra hostes. Conclusio totius operis.

HAc tam immani diuersoriorũ per Galliam Vandaliamque differẽtia, & temporis fastidium & itineris tædium facile profligauerunt reges, Nicopompo, qui semper ad eum diem Poliarchum Archombrotumque secutus fuerat, eam debentes gratiam, qui effecerat, vt tam facunda aures eorum delinirentur narratione. Sic igitur perrectum est vsque ad Portum Halcidonium haud procul Massilia vrbe. Agnouerunt ibi celerius solito appulsi reges, verum esse, quod prouerbio circumfertur

Facundum comitem in via vehiculi vicem præstare.

Quanto autem reginarum ibi tam gratos hospites sollicite expectantium fuerit gaudium, quantæ populi acclamationes & applausus: alius pro me exponat, qui multo me sit disertior. Aderant sub ipsum aduentus Poliarchi tempus duo Oratores ab Ligurum rege, qui ei de victoria ab Iberis reportata gratularentur, simulque fœdus atque amicitiam peterent. Erat cum his Lexilis, inter Brachmanes longe famosissimus, qui adeo obstupuit, cum videret ibi regem Tunetanum, vt vix ipse suis crederet oculis. Elisa, cuius adeo possidebat totam amor mentem, vt simultatibus locum non relinqueret: facile ignouit regi Numidæ, etsi atrocissimis ab eo affecta fuisset iniuriis. Eadem ingentes agebat Iberorum reginæ gratias: regem vero Balearicum laudibus ad cælum euehebat, impetrata insuper delictorum omnium Lexili venia: quiquidem, cum vniuersa ciuitas intenta esset in omne genus ornatus & magnificentiæ, quo Regis Siculi cum Elisa condecorarentur nuptiæ, totus & ipse in

eam curam incubuit, vt ostenderet illustria scientiarum suarum specimina atque artificia.

Reliquerat Poliarchus rex Aneroëstum Senem apud reginas, vt iis per absentiam regum præsidio esset atque solatio. Ad hunc certatim confluebant plerique omnes Allobrogum Proceres, conati persuadere homini, vt abiecto religiosi habitu & austeritate viuendi, mutaret animum & genus vitæ. Verum id frustra erat. Poliarchus ergo, animaduersa hominis vel constantia vel obstinatione, constituit illum supremi donare sacerdotii dignitate, & ius conferre gerendi pallii purpurei: quem quidem is honorem recusare honeste non poterat, quod non multum abiret à pristino vitæ suæ instituto: cum vtrobique non aliæ quam sacrosanctæ res tractarentur, ad cultum Numinis & ceremonias pertinentes.

Postera luce, paratis iam omnibus tam in vrbe quam templis, quæ ad celebritatem tantæ festiuitatis pertinebant, vt ingressus in vrbem Poliarchi & Argenidis cum Timandra regina, nec non tot votis exopatæ inter Archombrotum Siciliæ regem & Elisam nuptiæ requirere videbantur: Pompa Triumphalis tam splendida & tam exquisita adornata est, qualem vix vlla vnquam priscorum Romanorum Græcorumque viderunt secula: cuius quidem seriem ordinemque, an aliquo modo persequi possimus, videbimus.

Primum igitur vtrinque, qua regia per plateas patebat via, stabant prætoriani milites, munientes vtrunque latus, & viam tutam præstantes ingredientibus, Agmen ducebat chorus Musicorum pneumaticorũ, equis insidentium, quinquaginta constans hominibus, qui tubis, lituis, minoribusque tympanis equestrem ingenti sonitu ciebant concentum. Hos sequebantur ducenti Musici qui fidibus ludebant, plerique è genere Mercatorio: increpa-

crepabant hi citharas, lyras, testudines & id genus alia instrumenta Symphoniaca.

Post hos ibant duorũ regum domestici, precioso habitu amicti omnes. Deinde veniebant præfecti Armamentarii regii, agitantes occultis machinis prægrandes duas arbores, velut malos, stupendæ altitudinis, quarum rami omnis generis fructibus graues erant, è pomorum genere, è cera fabricatis, mirabanturque homines, non tam arborum fæcunditatem & fructuum elegantiam, quam quo pacto tam annosæ stirpes ingredi possent & moueri.

Sequebantur complures è nobilitate, magna triumphi pars, ferentes varia pægmata & fercula, spolia insuper ab hostibus parta, arma, insignia victorum regum atque populorum, in trophæorum speciem adornata omnia. Deinde ibant præfecti Equitum, Bocchus & Arsidas, pulcherrimis vecti Asturconibus: quibus præferebantur duo prægrandes cerei funales, intecti laminis aureis, variis hinc inde insertis gemmis & lapillis quorum non minor erat splendor & claritas quam ipsius flammæ, quæ in apice ardebat. Postea incedebant Gobrias & Galactio, ductantes agmẽ quinquaginta domesticorum ministrorumque, è familia reginarum: omnes hi lauri ramos præferebant manibus. Quos sequebantur tres reges exteri, Iberus, qui medium obtinebat; Tunetanus qui eius dextrum claudebat latus: Balearicus, qui sinistrum tegebat. Posses hos tres Soles dicere, qui velut Parelia quandoque cælum, ita hi vrbem illustrabant, tantus erat eorum splendor & Maiestas. Insidebat regina Iberorum curri deaurato, quem Satyri trahebant, vicem iumentorum præstantes; debebatur autem ingeniosa illa fictio non alii quam ipsi reginæ, quæ adhunc potissimum modum pompæ interesse voluerat.

Portabatur deinceps ingens vmbo, in lacunaris forma late extensus, è panno holoserico coccinei coloris; itemque alius multo latior, cuius conuexa pars aureis stellis erat vndique persperfa: vtrumque hoc petasma donum erat Ciuitatis Massiliensis. Sub posteriori hoc ingrediebatur Triremis, facie ac forma currum triumphalem referens, quam triremem certatim trahebant Protei, Tritones, Nereides atque Sirenes, Epithalamios hymnos, & lætum Pæana cantantes. In puppi illius nauis ambulatoriæ sedebant Poliarchus & Argenis: in media Carina Timandra regina: in prora Archombrotus cum Elisa. Cursitabant per triremem innumeri Cupidines, alati, quorum alii quidem paruos remos inargentatos impellebant, alii autem per funes in summum carchesium erepebant, alii per foros ingrediebantur, spargentes corollas floreas, & lilia mixta rosis iniicientes iis qui in naui ista amoris vehebantur.

Extremum agmen claudebant capita militiæ, Tribuni & ductores ordinum, nec non Legati exterorum Principum cum Magistratibus vrbanis: quos extremi sequebantur ciues atque incolæ, ingentem animis concipientes & facie gestibusque præ se ferentes lætitiam.

Hos omnes præstolabatur ad primarii Templi vestibulum Anerocstus: qui cum immolatis rite victimis perlitasset, prospera pollicentibus extis: Poliarchi & Argenidis capita coronis aureis cinxit, Regesque eos Gallorum & Allobrogum salutauit, lætus supra modum, quod contigisset sibi videre tam dignos patria auitaque successione Principes, eosdemque suis inaugurare manibus. Oblatis igitur denuo hostiis, cum Thuris graues micas in ignem coniecisset: Archombrotus continuo Elisam ad Aram adduxit: quæ cum solemnibus adhibitis ritibus, votiuum Dianæ velū deposuisset, illudq;

sorori

forori Gelanoris donauisset, conuenit sub matrimonii fide in manum Archombroti.

Quis iam vel fando eloqui, vel stylo exprimere possit, quantum hic dies gaudii attulerit Elisæ virgini? quantum rursum ipsa delectationis genuerit in omnium spectantium oculis? Quicquid vspiam erat Venerum, quicquid Gratiarum, quicquid Elegantiarum Cupidinumque: si quis erat in eorum oculis nitor: in labiis dulcedo: in lingua suauitas: in facie venustas: id omne huc contulisse videbantur. Vultis quid sentiam verbo dicam? Tres Deas sub Ida monte de pulcritudine sub Pastoris Phrygii iudicio disceptasse autumant Græcas ego eas esse puto nugas, atque ædepol gerras. Argenis enim, & Elisa, & Iberorum Regina, tres mihi illas Deas graphice, sed vere pinxisse videntur: Istud saltim dissimile habent, quod Dearum litigantium formæ adeo diuersæ fuerunt, vt quam cæteris præferret, quamque pomo donaret aureo, facile Pastor inueniret.

Hîc tribus pomis opus habuisset, si vnamquamque pro venustatis suæ excellentia donare voluisset. Pomis inquam, non quæ Eris discordiarum dea, sed quæ Cypris, mater Gratiarum & pulchritudinis suppeditauisset.

Peracta re diuina, à Templo ad Regiam itum est, inter lætas plebis acclamationes & plausus multitudinis, quæ non minus præ se tulit lætitiæ, quam olim Triumphante Imperatore, cum is populo epulum aut [illegible]ationem dabat. Hinc populariter discursum est a[illegible]ndendos ignes publicæ lætitiæ indices, & agit[illegible] in plateis vicisque conuiuia.

Celebritati illius diei finem imposuit pugna [illegible]s ludicra cuius auctor erat Lexilis, in qua, quicquid i[illegible]mine latebat artis aut scientiarum, se exeruit, vnde [illegible]n parua ipsi conciliata est admiratio & auctoritas. Sub [illegible]

Z 4 spera[illegible]

ſperam frequentibus cantionibus feſcenninis vocabatur ad matrimonii nouam celebritatem Hymenæus, & Iuno Pronuba, & Zygia, & Amores Cupidineſque, & quicunque putantur præterea Dii præſtites coniugii. Summa omnium votorum hæc erat: vt ex nouo illo matrimonio ſoboleſcerent reges, qui toti huic vniuerſo prodeſſent, vtque inde naſcerentur firmiſſimæ Monarchiæ Gallicanæ Columnę, quas nullus vnquam in omne æuum poſſet concutere impetus aut labefactare.

At Nicopompus, cuius hæc præcipua cura poſſidebat animum, cum conſtituiſſet ab obliuione vindicare varios caſus, qui Regibus hiſce magniſque Principibus euenerant, vnice operam dedit, vt magna ſedulitate cognitos collectoſque, ſtyloque hiſtorico comprehenſos ad poſteritatis promitteret memoriam: fictis quidem nominibus: cum, fatentibus omnibus prudentioribus, tempora noſtra haud fere aliter admittant: & ipſe ſcriptor confidat, eos quos tecte & latenter etiam in hac tertia Dramatis ſui parte introduxit, facile intellecturos, quid velit, & proinde laborem hunc, ab homine minime ignoto profectum, purgata fronte accepturos.

ARGENIDIS PARTIS TERTIAE FINIS.



[illegible]

